
£200

R


NAZIONALE
VITT. EMANUELE
ROMA
BIBLIOTECA
8
43 H
23

PROSPERI ROSSETTI FLORENTINI, ORDINIS SERVORVM

Scripturam Sacram, & Diuinam Philoſophiam
è prima Sede in Piſano Gymnaſio
profitentis

IN CANTICA CANTICORVM SALOMONIS PROPHETAE COMMENTARIORVM


LIBRI DVO.

Nunc primùm editi, in Academicas lectiones centum diſtributi.

Ad Ampliſsimum Principem, Petrum Aldobrandinum
S. R. E. Cardinalem.







VENETIIS,

Apud Franciſcum de Franciſcis Senenſem. CIↃ IↃ XCIIII.





PETRO
ALDOBRANDINO
S. R. E. CARDINALI
AMPLISSIMO,

Proſper Roſſettus Seruita Perpetuam fœlicitatem.



LEctiones centum, quas ſuper Cantica Canticorum Salomonis Prophetæ, in Piſana Academia publicè habui, etſi ſatis ſuperq; fuerat, in hoc tàm celebri conſeſſu, & ſilentio auditas, & doctiſsimis viris minimè iniucundas fuiſſe; attamen nè illorum iuſſa, quorum apud me plurimùm valet auctoritas, parui facerem, eas in publicum mundi theatrum editurus, tibi Illuſtriſs. Princeps, inſcribendi occaſionem diu optatam, libenter arripui, qui, Marte tuo, de alienis ſcriptis, vt ſapientiſsimus æſtimator, ęquum dare iudicium vales, & ſumma tua auctoritate protegere: Munus ſanè tibi perexiguum, qui Princeps es ampliſsimus, at mihi magnum quando litterarum ſtudioſis nihil aliud eſt, quod offerant; Et certè ſi quid vnquàm alicui ex animi mei ſententia obtuli, hoc Amplitudini tuæ nunc offero Canticum Canticorum, vt de tuo tàm excellenti bono, & tàm eximia tui Cardinalatus dignitate tibi gratuler, ſummaq; lætitia cùm Propheta Regio canens, in Domino Ieſu exultem. Canam igitur atq; vt (vbi veritas ipſa loquitur) longè abſit inuidiæ liuor, & omnis aſſentandi ſuſpicio, canam non antiquæ & clariſsimæ familiæ tuæ ſplendorem maximum, non egregias tuorum progenitorum virtutes, inſignaq; facinora, quorum tu nepos cùm ſis, & hęres earumdemq; ſectator virtutum, ſummam tibi accumulas

claritatem, & amplitudinem. Canam inquàm non Patrui tui optimi viri, ac toto terrarum orbe celeberrimi Hippolyti Aldobrandini, nunc verò Clementis Octaui Pontificis Maximi laudes, & encomia, æternis commendanda monumentis, qui, & singulari scientiarum omnium præstantia, & incredibili vitæ sanctitate insignis verè Sal terræ, atq; Lux mundi, ad purpuream non solum Cardinalatus dignitatem, sed quod mirabile est, vnanimi, non dicam, Amplissimorum omnium patrum consensu, at diuina bonitate fauente, ad supremum Christianæ Reip. fastigium conscendit. Canam deniq; non proprias animi tui virtutes, non præclara scientiæ tuæ decora, non varia, ac propè innumera laudum tuarum ornamenta, quæ ita celebrem te reddunt, & gloriosum, vt Beatissimus Pontifex, & Sapientissimus, personam Herculis (vt inquiunt) & cothurnos tibi ferè adolescenti aptare minimè dubitarit: quippe qui res in Ecclesia Dei tàm graues, & arduas tibi demandarit. At omni refertus lætitia, diuinum Canam Epithalamium, canam Christi sponsi, sponsęq; Ecclesiæ sacras nuptias, canam inquàm cùm Propheta Regio Salomone Cantica Canticorum, quæ & lectu pulcherrima, & cognitu dignissima sunt. Tu verò Illustriss. Princeps, qui, & laudabilium scientiarum omnium, & sacrarum potissimum scripturarum iucundissima frueris Lectione, has centum, quas in Cantica Canticorum Lectiones conscripsi, publicè habui, & nunc primùm in lucem hominum edidi, grata animi benignitate accipere, & legere non dedigneris, sicuti ego toto animo, illas Amplitudini tuæ offero, & me, meaq; omnia dedo, ac vnicè commendo. Viue diù fœlix. Ex Pisana Academia kalendis Decembris. 1593.



PIO LECTORI. S.



VM in scripturis sanctis omnis ars omnisq; scientia humanitus adinuenta, at altiori modo expressa reperiatur, vt D. Augustinus astruit in Epistola 3. quam scribit ad Volusianum inquiens, Omnis Philosophia in sacris eloquiis inuenitur Physica nimirum, Ethica, & Mathematica. Ego quidem optima ratione ductus, illam præcipuè partem mihi explicandam selegi, in qua artem amatoriam cęterarum disciplinrarum iucundissimam, maximeq; delectabilem Propheta Salomon diuino lumine illustratus, eruditè pertractat: hoc est, Canticum canticorum, in quo de sacris Sponsi Christi, sponsęq; Ecclesię nuptiis, suaue Canit Epithalamium: Ex eo, libentius hunc potissimum librum interpretandum suscepi, qui totus metaphoricus est, mysticisq; sensibus refertus, quò iucundius symbolyci sermones, & arcani demonstrantibus, & manifestis audiuntur, suauiusq; leguntur: Etenim cuiquè diuinis scripturis modicè etiam erudito patere arbitror, vniuersam Theologiam in duas principes partes distribui, quarum vna Symbolica est, seu Mystica, & arcana, altera verò demonstrans, seu clara, & manifesta; Et quemadmodum hæc demonstrans rationibus, antiquiorumq; patrum auctoritatibus innixa, de rebus diuinis fidem facit, earumq; veritatem, ita persuadet, vt qui audiunt credant, & illis assentiri cogantur; Sic illa Symbolica eo pacto nos afficit, & Deo Opt. Max. nos adhærere compellit, vt de iis rebus, quæ cernuntur, & audiuntur, in animis nostris firmitatem imponat; Verum vtraq; pars Theologię tàm Symbolica quàm demonstrans, gemina est, vt S. Maximus, & Dionysius Alexandrinus asseuerant: Et quod spectat ad Symbolicam Theologiam, hęc aut in sacram figurarum sub sensum cadentium formationem distinguitur, aut in sacram formationem translationis, quæ sub intelligentiam cadit: Rem ipsam exemplis declaro, prior pars in formis Corporeis, aut in rerum (vt inquiunt) figuratione formatur, vt est rubus

 ille-

ille Mosis, scala Iacob, linguæ igneæ, & alia id genus quàm plura; at posterior pars in ipsis verbis seu verborum translatione formatur, vt cum legimus Deum pænitere, vigilare, dormire, irasci, Adhuc Os Dei, Cor, Vterum, Manum, & cętera humani Corporis membra, quæ ipsi Deo figuratè tribuuntur: Ambę tamen huius Sybolicæ Theologiæ partes arcanę sunt, & vulgo hominum abstrusæ, vt quæ sancta sunt, & diuinitatis plena profanis occulta non pateant, at piis duntaxat mentibus, & sanctitatis studiosis aperiantur: Quod verò ad Theologiam pertinet demonstrantem, hæc quoq; gemina est, affirmans videlicet, & negans: Hęc ab effectis rebus recedit, & formis imaginibusq; dissimilibus Deum declarat, vt cum dicimus ipsum Deum esse infinitum, inuisibilem, supra substantiam, supra sapientem, & huiusmodi alia, quę omnia aut priuanter, aut superlatè enuncientur, negationibus semper explicantur de Deo, qui formaliter (vt aiunt Philosophi) nihil est eorum, quę sunt. Illa autem ex effectis rebus inducitur, & formis imaginibusq; similibus Deum exprimit, vt cum enunciamus Deum potentem, sapientem, bonum, iustum, misericordem, & cætera id genus. quę de creaturis etiam affirmantur, & eminenter (vt inquiunt scholastici) in ipso Deo consistunt: Attamen nec ista affirmans, nec illa negans Deum perfectè exprimit, quippe qui omnem affirmationem, omnemq; negationem transcendit: Quare vtraq; vniuersę Theologię pars, Symbolica nempe, ac demonstrans abdita est, & nobis hominibus (dum in hoc mortali corpore manemus) valde occulta, At Symbolica quæ aut in figuratione rerum, aut in verborum translatione consistit, etsi difficilior est atq; obscurior demonstrante, quę modo affirmationibus, modo negationibus Deum declarat: iucundior tamen est atq; delectabilior, illa prę ertim pars, quæ non in figuratione rerum existit, at in verborum traslatione exprimitur, vti sunt Cantica Canticorum, quę cęterarum sanè omnium sacrosanctæ scripturę partium, & difficillima sunt, & iucundissima, tum quòd ibi Propheta Salomon spiritu diuino afflatus, res amatorias tractat, maximeq; delectabiles, hoc est de sacris sponsi Christi, Sponsęq; Ecclesiæ nuptiis, suaue canit Epitalamium, tum quòd totus est allegoricus, ac metaphoricus, aliud verbis, & aliud verborum sensu designans; quippe qui sub triplici generali Metaphora, nunc sponsi & sponsæ, nunc pastoris, & gregis, nunc agricolę & vineæ mutuum Christi Ecclesiæq; amorem nobis patefacit, & declarat. Nolim igitur vitio mihi dari, si ex tot tantisq; aut veteris, aut nouæ legis libris, hoc præcipuè Salomonis Prophetæ Canticum Canticorum interpre-

tatione

tatione explanandum selegerim; Nam etsi maxima est mysteriorum, quæ sub verborum traslatione figuratè hic exprimuntur, altitudo atq; difficultas, qua ab huiusmodi lectione quispiam distrahatur, summa tamen est Symbolicæ locutionis, ac metaphorarum iucunditas atque delectatio, qua ex huiusmodi intelligentia quilibet recreetur; Præterquàm quòd si homines, quò acriores sunt ingenio, & comitate humaniores, eò quoq; libentius res ipsas ob mysteria difficiles, & ob metaphoras iucundas legunt & audiunt, tibi sanè, Candide Lector, qui & acri præditus es ingenio, & singulari comitate, hunc cæterorum omnium, qui in scripturis sanctis habeantur, difficillimum librum, ac iucundissimum euoluendum, legendumq; proponi decuit. Ego verò, vt huius operis delectatio ad ipsum perlegendum magis te alliceret, & difficultas ab eius intelligentia minus auocaret, omnem operam studiumq; nauaui, vt & interpretatio facilis, & suauis esset locutio, cum interpretationis facilitas lectorem non abstrahat, & locutionis suauitas vehementius atrahat; Quod an fuerim consequutus, tu (Candide Lector) æquo animo perpendens, iudicare poteris. Vale.

A 2 PER-

PERSONÆ INTERLOQVENTES
In Canticis Canticorum.

1 SPONSA, *quæ est Ecclesia Dei, siue Synagoga siue Plebs gentium sit*
2 *Sponsus, qui Christus est & Ipsemet Deus Opt. Max.*
3 *Chorus Virginum sponsæ pedissequarum, quæ sunt animæ Iustorum.*
4 *Chorus adolescentium sponsi sodalium, qui sunt beati spiritus.*

ARGVMENTVM PRIMI
Cantici Canticorum.

IPSA *Ecclesia sponsa, quæ est vetus Synagoga, Sponsi Christi Vnigeniti Dei filij corpoream præsentiam, eiusq; in carnem aduentum expetit, quem iam hominem factum obsecrat, vt eam post se trahat suæ gratiæ manu, & cum plebe gentium eam in cellaria sua introducat, vt ibi suaui sacramentorum, ac euangelicæ doctrinæ pabulo nutriatur, & demum sub eius vmbra in Aeuum beata quiescat, cuius votis ipse Sponsus Christus aspirans, quæcunq; petierat illi concedit.*

PRI-



PRIMVM CANTICVM CANTICORVM,

A Gilberto Genebrardo Theologo Parisiense versibus Iambicis, Dimetris, Ita Expressum.

Sponsa loquitur — *Quæ est vetus Synagoga.*

1 O Sculetur me osculo
oris sui

1 Tot expetitus sæculis
Tot prædicatus patribus
Tot antedictus gentibus
Tot nuntiatus litteris
Tot personatus vatibus
Tot lineatus formulis
Tot concupitus Angelis,
Nunc ille me frequentibus
Suimet oris osculis
Ex osculetur suauiter.

2 Quia meliora sunt
Vbera tua vino,
Fragrantia vnguentis
optimis:

2 Dulces amores nam tui
Sunt pręferendi poculis,
Fragrantibusq; balsamis:

3 Oleum effusum nomen
tuum, ideo adoles
centulę dilexe-
runt te.

3 Vt sis vocandus balsamum,
Se cuius vnguen largiter
Partes in omnes funditat,
Et hinc puellæ Virgines
Sanctissimè te diligunt.

4 Trahe me post te,
curremus in odorem
vnguentorum tuorum;
Introduxit me Rex
in cellaria sua, exul-
tabimus, & lętabimur

4 Tu me ergo fessam pertrahe,
Ad te gradu tunc concito,
Tantis adactæ odoribus,
Perniciter volabimus:
Rex duxit intra me sua
Benignus in Conclauia,

in

in te, memores vberum tuorum super vinum; Recti diligũt te.

5 Nigra sum sed formosa Filię Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

6 Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me Sol; Filij matris meę pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, Vineam meam non custodiui.

7 Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes, in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

Ibi simul lętabimur,
Tuis fruentes vultibus,
Tui en amoris fontibus
Memores lac are dulcius.
Vllo meraco nectare
O quem probi perdiligunt.

5 Sum nigra, pulchra, sed tamen
O Sollymorum filię,
Sum nigra ceu mapalia,
Arabs tetendit quę Cedar,
At pulchra sicut candida
Dauididę tentoria.

6 Nolite me ergo Virgines
Fuscam velut contemnere
Me decolorem feruidus
Estu suo Sol reddidit:
Quando miscellam filij
Matris meæ per vineas
Me depulerunt exteras,
Hinc exulo procul, meam
Non (mæsta) seruans vineam.

7 Te quęso nobis indica
O sponse quem mens deperit,
Pascas vbi greges tuos
Vbi cubes, Sol torridus
Dum verticalem possidet
Lucis diurnæ circulum;
Captans ouili vmbracula,
Ne post greges horum vager
Qui pro tuis sodalibus
Se se gerunt quam turpiter,
Velut quietem quæritans:

Spon-

Sponsus loquitur | *Qui Deus est factus homo.*

8 Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula Pastorum.

8 Id Virginum pulcherrima
Si nescis, exito foras
Et qua meus grex inspice,
Carpens agrorum pascua,
Impresserit vestigia:
Horum gregum pastoribus
Te proximam coniungito
Hædos tuos hic pascito:

9 Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilaui te amica mea:

9 Sic interim præstantia
Formæ sublimi præditam
Te confero Pharoniis
Egyptiorum curribus,
Quos nunc mei trahunt equi
O Virginum carissima:

10 Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia.

10 Genas habes ceu Turturis
Vtrinq; tectas aureis
Argenteisuè inauribus,
Habes nouum colli decus
Monilibus cum gemmeis:

Sponsi sodales loquuntur | *Qui sunt beati spiritus.*

11 Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

11 Quæ iam nouis honoribus
Augere plenè cogito,
Hinc inde sparsis punctulis
Argenteis, murænulas
Dum fabricamus aureas.

Primi Cantici Canticorum.

FINIS.

INDEX RERUM MEMORABILIUM, ET MAXIME NOTATU DIGNARUM;

quæ in hisce in Cantica Canticorum Commentarijs

Reuerendi Patris F. Prosperi Rossetti Seruitæ continentur, Alphabetica serie non inconcinnè digestus.

A

An-

Capilli

Domi-

Equi.

F

Genus

Gregum

Iehoua

&

corum

Mercu-

Poe-

Susa

peraret

Victo-

Vinum

Z.

FINIS.



PROSPERI ROSSETTI SERVITAE

In Cantica Canticorum Salomonis Prophetæ Præfationes.

PRIMA LECTIO,

In qua totius operis difficultas & excellentia demonstratur.



RAVE profectò (vt in primo huius meæ professionis tanquàm vestibulo dicebam, Auditores ornatissimi) & infirmis viribus meis sic longè impar onus suscepi, vt longæuus ille Gigas fortissimus Athlas, non ita onerosam validissimis suis humeris sustineat molem. Ea etenim est, non dicam Scripturæ sacræ altitudo, & maiestas, vt nihil altius, & sublimius esse possit, sed huius præcipuè libri, quem hoc anno interpretandum suscepimus, difficultas, & dignitas, vt nullus, inter omnes sacrosanctæ antiquæ doctrinæ libros, aut difficilior, aut dignior isto, à sanctis Patribus censeatur: & sanè, si ex Peripateticorum Principis authoritate, intellectus humanus ita se habet, ad earum rerum intelligentiam, quæ natura manifestissimæ sunt, sicut oculus noctuæ ad lumen Solis inspiciendum; qui fieri potest, vt Sacrosancta mysteria, quæ sub obscurissimis similitudinum, ac metaphorarum velaminibus, à Salomone Hebræorum Rege, atque Propheta, in Canticis Canticorum explicata, ea qua decet dignitate, à me vobis declarentur? Multæ in his vestris Gymnasiis perdifficiles quidem,

& adhuc à paucis fortaſſe cognitæ res pertractantur, vt inter artifices adhuc lis eſt, quænam ſit ars, an pingendi, an ſculpendi præſtantior; vt apud Rhetores, qui perfecti oratoris ideam hucuſque ignorant; Vt apud Dialecticos, an detur quarta figura ſyllogiſtica; Vt apud Mathematicos an detur area circuli et quadrati æqualis; Vt apud Philoſophos, quid ſit lux, an ſubſtantia, an accidens, an ſpiritus, an corpus, an potius quædam media natura; Vt demum apud Theologos, quisnam ſit, & quantus Angelorum tàm bonorum, quàm malorum numerus determinatus. Verum myſteria ſacra, quæ in canticis canticorum à Propheta ſapientiſsimo, nobis explicantur, non ſolum difficilia ſunt, & à paucis adhuc cognita, ſed à nullo etiam homine, ſolius naturæ lumine illuſtrato percipi poſſunt. Quod mehercule, ita verum eſt, vt illud ad hoc comprobandum ſatis eſſe exiſtimem, quod Diuus Hieronymus in ſua præfatione ſuper cantica canticorum, ex antiquorum Hebræorum teſtimonio dicit, nimirum, *Niſi quis ad ætatem perfectam maturamque peruenerit, libellum hunc, nèquidem manibus tenere permittatur:* cui Diuus etiam Auguſtinus in libro, quem de Paſtoribus ſcripſit, aſſentiri videtur inquiens: *Cantica canticorum Aenigmata ſunt, quæ paucis intelligentibus nota, paucis pulſantibus aperiuntur*. Immo verò, cum quatuor apud Hebræos veteris legis loca perdifficilia, & omnium digniſsima cenſerentur, in his Canticum canticorum Salomonis Prophetæ reponebatur, vt ibidem Diuus Hieronymus aſtruit dicens. *Sed & illud ab eis accepimus, quatuor hæc loca, tanquam ſecretiora præcipuè obſeruari*, Principium, ſcilicet, Geneſis, in quo mundi creatio deſcribitur. Ezechielis Prophetæ principia, in quibus de Cherubin pertractatur, in vnius, ac trini Dei laudem canentibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; & eiuſdem libri finem, in quo templi ædificatio continetur; & demum hunc Cantici canticorum libellum. Etenim, ſi in Geneſis initio de rerum omnium, in temporis exordio, ex nihilo productarum, creatione Moſes pertractat, ſi in fronte libri Ezechielis Prophetæ ſub pulcherrima illa Cherubin cantione admirabile trium perſonarum in vnius diuinitatis ſubſtantia myſterium nobis declaratur; ſi in calce eiuſdem libri, dum auguſta templi Dei ædificia nobis oſtendit, præclaram Eccleſiæ triumphantis ſtructuram nobis demonſtrat; & in hoc Cantico canticorum ſub variis parabolarum velaminibus totius Eccleſiæ militantis ortum, incrementum, & ſtatum ab ipſo mundi exordio, ad vltimum vſque iudicii generalis diem, nobis explicat, & patefacit: nonne igitur huius libri difficultas maxima eſt, ſi res hic pertractatæ ita arduæ ſunt, vt nullus intellectus humanus ſine fidei lumine eas concipere poſsit? At ſi luce clarius cognoſcere deſideretis, quàm difficile ſit, & quàm dignum hoc Sa-

lomo-

lomonis opus, illam totius philosophiæ generalem diuisionem recolite, neminem sanè vestrum hic adesse puto, quem lateat triplex philosophiæ genus, Moralis videlicet, naturalis, et diuinæ à Græcis sapientibus fuisse cognitum: Sed à Salomone Propheta, qui diuino afflante spiritu, disciplinarum ordinem, & sectionem primus excogitauit, huiusmodi philosophiæ tres partes didicerunt, quippe qui tribus in voluminibus, nempe in Prouerbiis, Ecclesiaste, & Canticis canticorum eas mirificè pertractauit, mores vtique in Prouerbiis docens, rerum naturam in Ecclesiaste explicans, & diuina mysteria in Canticis canticorum reuelans; Modò quantum difficultate præstat & dignitate philosophia diuina, duabus aliis philosophiæ partibus, quæ de moribus & natura pertractant, tantum etiam Cantici canticorum liber, Prouerbiorum, & Ecclesiastis libris excellere videtur. Quamobrem, cum Diuus Hieronymus huius libelli difficultatem, atque præstantiam ex materiæ ibi pertractatæ altitudine, & nobilitate, tanquam ex primo capite nobis ostendisset; eam secundo loco confirmat Diuus Gregorius ex doctrinæ ordine, quem Salomon in suis libris collocandis obseruat; à facilioribus enim, & imperfectis, ad difficilia progrediens, & perfecta in tertio loco, & postremo hoc Canticorum canticum constituit, in quo diuinam philosophiam pertractat, in secundo posuit Ecclesiasten, in quo rerum omnium naturas docet, & in primo Prouerbia collocat, vbi mores hominum explicat, ita inquit Diuus Gregorius. Nec vacat mysterio, quòd liber hic tertius ponitur in operibus Salomonis, sed plena ratione ob sui maximam dignitatem ponitur, nam in Prouerbiis moralis vita exprimitur, in Ecclesiaste naturalis, & in Cantico canticorum contemplatiua vita, dùm in eò ipsius domini aduentus desideratur: Hinc quoque factum esse existimo, vt Diuus Bernardus primo sermone super Cantica canticorum, dum nos ad huiusmodi cantici suauem cantilenam excipiendam inuitat, eius quoque difficultatem maximam considerans, nos etiam hortetur, vt nisi corporis, ipsius saltem spiritus gustum paremus, non liquido lacti, sed vberiori, grauiorique cibo, *Itaque,* inquit ipse, *parate fauces non lacti, sed pani, est enim panis apud Salomonem, isque admodum splendidus, sapidusque; librum dico, qui Cantica Canticorum inscribitur.* A quo parum dissentiens Hugo doctissimus Cardinalis hoc eodem in loco ait: Trium librorum, quos Salomon conscripsit, hunc tertium difficillimum esse, & dignissimum; Quandoquidem primum librum composuit Salomon pro incipiêtibus, secundum pro proficientibus, & tertium pro perfectis. Verum mirabilem audite ingeniosissimi Origenis sententiam, quam ad huiusmodi cantici canticorum obscuritatem, atque præstantiam extollendam habet, inquiens: Sicut is, qui ingreditur in sancta, pluribus adhuc indiget, vt va-

leat introire in Sancta sanctorum, eodem modo difficile reperitur, vt qui omnia, quæ in scripturis continentur Cantica peragrans, valeat ascendere ad Cantica canticorum: Augent etiam huius libri difficultatem, atque excellentiam ipsius breuis, & ænigmatica descriptio, obscurissimus stylus, & abruptum dramatis initium, quo sanctissimus Propheta suum exorditur opus; Adsunt enim frequentes Catachreses, hyperbolæ, aliæque id genus figuræ quàmplurimæ; Ad hæc vasti, & sine vlla parasceue, aut transitione, inter dramatis partes, hiatus, altissimæque voragines, non parum obscuritatis illi tribuunt; & demum, intermissi sermonis post variarum personarum, & diuersorum colloquiorum interpositionem, resumptio, illum obscurissimum facit, atque difficillimum, ita inquiunt Diuus Thomas, & doctus Haymon. Est autem obscurissimus in hoc iste liber, quia ibi nullæ personæ commemorantur, & quasi Comico stylo compositus est. Iacobus denique Valentinus Christopolitanus Episcopus, huiusce libri interpretationẽ laboriosam, & arduam esse affirmat, ex magna doctorum paucitate, qui cantica canticorum omni ex parte interpretari voluerint; paucissimi enim ex antiquioribus patribus Latinis, & Gręcis, totum hoc opus, etsi breuissimum, in octo tantùm capita distinctum, explicandi munus susceperunt, namque Origenes, vir doctissimus & eloquentissimus, qui primus post Apostolos Sanctos, hunc libellum interpretari cępit, duas duntaxat homilias composuit, in quibus vix primum caput declaratur; Diuus quoque Hieronymus quatuor tantum homilias compilauit, in quibus duo tantum priora capita explicãtur; Diuus etiam Bernardus quamuis plures, & longiores super Cantica canticorum, sermones confecerit, vix tamen tertii capitis interpretationem compleuit: & demum omnes vetustiores patres, qui super hunc libellum commentaria conscripsere, prophetico sensu relicto, & literali, mysticè tantum, hoc est aut tropologicè, aut allegoricè, aut etiam anagogicè illum interpretati fuerunt. Quapropter, cum sit ita obscurum, atque excellens hoc canticum canticorum, non solum ob materiæ præstantiam, & ex ordine librorum, verum etiam ex difficili modo procedendi, ex stylo comico & dramatico, atque ex interpretum paucitate, vt satis superque ostendimus, quis non ingenuè fateatur, arduam viribusque meis longè imparem, me suscepisse prouinciam? Proh Deum immortalem, alia profectò difficultas est, sacrosancta quæ hic continentur mysteria verbis declarare, quam ex labyrinthis multis viarum ambagibus inflexis, egredi, aut ex Cretico, aut ex Aegyptio, aut ex Lemnio, aut ex Italico ipsius Regis Porsenæ, alis quidem non cereis ipsius Dędali, sed argenteis, atque aureis ipsius sacræ columbæ Dauidicæ pennis mihi opus esset, vt ad hæc sublimia, & augusta Cantici canticorum mysteria intelligenda ascendere pos-

re possem. Hoc vnum, in tanta rerum obscuritate, & amplitudine, nonnihil luminis, & consolationis mihi affert, quòd sicuti verissimũ est, ex Aristotelis testimonio, omnes homines natura scire desiderare, ita ex eiusdem philosophi autoritate, quò res difficiliores sunt, & digniores, eò magis nos ad earum intelligentiam peruenire velle, *Malumus* (inquit ipse) *pauca scire de diuinis etiam obscurè, quàm plura de Mathematicis per certitudinem;* & sanè duce experientia quotidie discimus, rerum difficultatem, atque præstantiam, humanum intellectum, & voluntatem, magis ad sui cognitionem, & desiderium inflammare: Hac igitur de caussa factum esse putetis, vt ego vir catholicus, & religiosus, sacræ scripturæ arcana intelligendi desiderio ardens, hanc arduam cantica canticorũ interpretandi prouinciã suscipere ausus fuerim, in quorũ sanè interpretatione licèt non eximiã me habere eruditionem aĩaduertatis, maximã saltem facilitatẽ summa cum diligẽtia coniunctã, me quotidiè adhibiturũ cognoscetis. Quare Deus optimus maximus, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, mihi opẽ ferat, vt ad eius nominis gloriam, & ad omnium vestrum vtilitatem, hunc Prophetę Salomonis libellum, cæterorum omnium difficillimum, & dignissimum, satis aptè, et dignè interpretari queam.

SECVNDA LECTIO,

In qua operis quæ sit inscriptio declaratur.



VI aliquem librum, siue sacrum, siue profanum sibi interpretandum proponunt, nonnulla capita quæ à Græcis prolegomena, à Latinis verò præludia nuncupantur, ob clariorem rerum in eo libro pertractatarum intelligentiã, explicare solent. Quod eo libentius faciunt, quo difficilior est liber interpretandus. Cum igitur hunc Cantici canticorum libellum omnium sacræ scripturæ antiquæ librorum, & præstantissimum, & difficillimum vobis explicandi munus susceperim, sex tantum, quæ cęteris aliis vtiliora, & magis necessaria censui præludia, vobis declaranda propono, nimirum, inscriptionem libri, ex qua nomen auctoris, & cantici excellentiam cognoscemus, subiectam materiam, ex qua scopum & finem Prophetæ Salomonis intelligemus, modum procedendi, ex quo doctrinæ viam, & methodum addiscemus; ordinem doctrinæ, ex quo facile dignoscere poterimus, in quanàm sacræ scripturæ parte interq; quos legis antiquæ libros, & in quo Salomonis operum loco, hoc Canticum canticorum sit reponendum: diuisionem libri in varias eius partes,

partes, ex qua diuersorum sensuum varietatem, tum literalis, tum my-stici, qui in allegoricum secatur, tropologicum, & analogicum, audie-tis. Quòd igitur ad primum proludium spectat, Græci, & Latini interpretes, huius inscriptionem libelli, ab antiquioribus Hebræis diuersam faciunt, etenim illi hoc titulo ipsum exornant, *Cantica canticorum Salomonis*. Hi vero ita illum inscribunt, *Canticum canticorum Salomoni*. Quæ duæ sanctorum Patrum inscriptiones, etsi in eo quòd ad rei substantiam spectat, non discrepent, cum in vtraque, & Auctoris nomen, & Cantici excellentia nobis declaretur, in duabus tamen accidentariis conditionibus ab inuicem differunt, quandoquidem, à doctoribus Hebræis in minori numero dicitur, *Canticum canticorum*, à Patribus verò Græcis, & Latinis maiori numero, appellantur *Cantica canticorum*; & quòd illi generandi casu dicunt *Salomonis*, illi in casu dandi dixere *Salomoni*. Audite Domini, *Incipit Canticum canticorum Salomoni*; ita inscribunt Hebræi, *Incipiunt Cantica canticorum Salomonis*. Ita inscribunt Græci, & Latini. Quare duplex, vt audistis, inter has duas huius operis inscriptiones, intercedit discrimen, & facile quidem est prioris discriminis rationem in medium proponere, nam quod Hebræi vnum canticum generale, Græci patres, & Latini multa particularia cantica effecerunt, & quòd illi plura in vnum coniuncta, isti vnum in plura distinctum nuncuparunt; sicuti nanque plures, imo verò omnes homines sunt vnus homo, ita & hæc plura Salomonis cantica particularia, sunt vnum generale canticum. At non parum difficultatis habet, genitiui casus cum datiuo coniunctionem inuenire, quandoquidem ex Latinorum Grecorumque sententia, qui genitiuo casu vtuntur, Salomonem Prophetam huius operis auctorem fuisse dignoscimus; Ex Hebræorum verò opinione, qui casu datiuo vtuntur, ipsi Salomoni, & opus, & totum operis scopum consecrari, in ipsumque referri videmus, ex quo Salomon pro seipso, & sibi ipsi hoc Canticum canticorum cecinisse videretur, & ita nullum in eo mysterium, nullumve sacramentum inquirendum esset; Quòd sanè asserere, grauissimus est error, & diabolica hæresis, cum sancta Dei Ecclesia in Niceno Concilio, hos tres Salomonis libros, Prouerbia scilicet, Ecclesiasten, & Cãtica cantic. in canone sacrorum librorum reposuerit. Hoc & Chaldaica translatio confirmat, quæ in horum trium librorum titulis Salomonem Prophetam appellat, vt in hoc potissimum loco videre est, vbi dicit, *Incipit liber Canticorum Salomonis Prophetæ*; Immo verò, & Origenis in sua præfatione super Cantica canticorum, & Clementis Alexandrini libro 2. Pedagogi, & Eusebii Cęsariensis, in historia Ecclesiastica, & Diui Augustini libro 1. de doctrina Christiana testimonio comprobatur. Qui vnani-

mi

mi omnes consensu, inter cęteros sacræ scripturæ libros, hæc tria Salomonis volumina reponunt. Veruntamen, si diligentius rem perpendamus, & ipsius intellectus alis sublimius euolemus, mirabilem sanè, & admirabilem genitiui casus, cum datiuo vnionem intercedere percipiemus. Nam Salomon, Latino sermone explicatur, & idem est, quòd pacificus, seu dilectus Deo, ac ipsummet Christum vnigenitum Dei filium mystice nobis significat, de quo canit Ecclesia, *Rex pacificus magnificatus est*, & vox æterni Patris in nube clamauit; *Hic est filius meus dilectus*. Nonne ita se res habet Auditores; ipsemet Christus, qui nec falli, nec fallere vnquàm potest, ore se proprio Diui Matth. capit. 17. Salomonem vocauit dicens, *& Ecce plus quàm Salomon hic*.

Salomon igitur Dauidis filius, & Rex Hebræorum tertius, in mystici Salomonis Christi vnigeniti Dei filii, & totius mundi regis laudem, Cantica canticorum composuit, ita vt Græci patres, atque Latini, dum in genitiuo casu dixerunt, *Incipiunt Cantica canticorum Salomonis*, hunc terrenum Salomonem libri auctorē respexerint; Hebræi verò doctores in datiuo casu inquientes, *Incipit Canticum canticorum Salomoni*, diuinum Salomonem Christum, ad quem totus huius operis scopus dirigitur, intelligere voluerint.

Quare sub diuersa, vel auctoris, vel illius ad quem liber refertur, ratione, & isti, & illi, optimam huic cantico attitulationem imposuerunt.

Illud tamen non parum admirationis mihi affert, quòd Salomon, qui duorum præcedentium librorum, hoc est Prouerbiorum, & Ecclesiasten inscriptionem egregiis titulis exornauit, hunc tertium librum amborum præstantissimum nudo, ac simplici sui nominis titulo decorare voluerit; Audite illustrem libri Prouerbiorum inscriptionem. Liber Prouerbiorum Salomonis filii Dauid, qui regnauit in Israel: & quid illustrius dici potest; Audite præclarum libri Ecclesiastes titulum, *Verba Ecclesiastes Regis Hierusalem*, & quid præclarius apponi poterat. Sed purā audite, ac simplicem Cantici canticorum attitulationem, *Cantica canticorum Salomonis*. Bonæ Deus, nonne hic liber Salomonis tertius, quòd cæteris duobus, & materiæ excellentia, & styli excelsitate quàm maxime præstat egregiis titulis, præ cęteris etiam exornandus erat, & quæ causa, quæ ratio huius tàm puræ inscriptionis extitit. Quidam ex Hebræis doctoribus hanc esse causam astruit, quòd Salomon dum esset adhuc adolescens, regno nondum accepto, Cantica canticorum conscripsit, alios verò libros post regnum iam adeptum compilauit, & ob id, non in hoc opere, at in illis duobus Salomonem regio se titulo decorasse aiunt. Verum hoc, & auctoritati, & rationi repugnat, auctoritati nimirum, quoniam tertii libri Regum cap. 30. legimus Salomonem adolescentem

 & ferè

& ferè puerum regnare cœpisse, neque antequàm ad regni fastigium cō-scendisset vlla sapientia, nec diuina, nec humana ipsum præditum fuisse habemus, ita enim ipsemet ibidem asseuerat. *Nunc Domine Deus tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauide patre meo, ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum, & introitum meum.* Rationi quoq; aduersatur, vt quod aliis duobus præstantius opus, ex Patrum testimonio reputatur in puerili ætate confectum existimetur, & quæ hoc minus digna opera censentur, in maturiori, ac sagaciori ætate conflata dicantur. Origenes igitur vir inter patres Græcos eruditissimus, harum trium inscriptionum varietatē ingeniosissimè docet, dum inquit Salomonem horum trium librorum auctorē misticè Christi typum ferre, & ob id in Prouerbiis, vbi disciplinis, quæ ad mores spectant nos instituit, Rex esse dicitur in Israel, nondum in Hierusalem. Quoniam etsi Israelitæ dicimur propter fidem, ad hoc tamen peruentum non est, vt ad Hierusalem cœlestem peruenisse dicantur. Vbi verò profecerimus, & in hoc ventum fuerit, vt Ecclesiæ primitiuorum consociemur, tunc Christus iam nobis Ecclesiastes efficitur, & non solum in Israel verum etiam in Hierusalem regnare dicitur, & demum cum ad completam omnium rerum perfectionem ventum fuerit, & ipsi sponsa perfecta hóc est omnis creatura rationis particeps iungetur, tunc Salomon, hoc est pacificus duntaxat vocabitur. Quare hoc Canticum canticorū in quo de perfecto sponsi, & sponsæ, Christi scilicet, & Ecclesiæ à Propheta peragitur, Salomonis tantum esse dicitur, vt neque filii Dauid, neque regis Israel, & Hierusalem, neque alicuius terreni nominis in tam sacrosancta diuinorum mysteriorum explicatione mentio fieret, & sanè quo aptiori digniorive nomine, in huiusmodi Cantico, vbi de sponsi, & sponsæ admirabili vnione, sermo habetur, sanctus Dei Propheta se appellare poterat, quàm puro, & simplici Salomonis, hoc est pacifici nomine.

Præterquàm quòd mirificè quadrat hoc nomen, *Salomon*, ad huius cantici principium, quòd ab osculo exordium sumit. *Osculetur me osculo oris sui.* Nullum etenim apud antiquos Patres, aut pulchrius, aut cōgruentius erat pacis symbolum, ipso osculo, quo sanè egregius ille Poeta libro 1. Aeneid. artificiosè vsus est cum Venerē Iouem alloquentem, & grauiter cum illo conquerentē introducit, quòd in eius filium Aeneā in Italiam nauigantem, nimis dure seuiret, tunc enim Iuppiter (si recolitis) vt se, & in Venerem benignum, & in Aeneam pacatum demonstraret osculo pacis signo, id comprobauit. Audite

Olli subridens hominum sator atque Deorum,
Vultu quo cœlum, tempestatesque serenat
Oscula libauit Natæ.

Sed

Sed quid nunc de Ioue,& Venere falsis gentium Numinibus loquor? ipsiusmet Redemptoris nostri auctoritas Diui Lucæ, cap.22.hoc confirmat; *Osculo pacis*, inquit ipse, *filium hominis tradis*. Et mehercule, quid in hoc omniũ Canticorum celeberrimo cantico, à Salomone Propheta canitur,& cauendo petitur,nisi per tot tantaque annorum sæcula desideratum diuinæ pacis osculum,quo Deus Opt.Max.ex sui Verbi incarnatione hominem deosculatus fuit? *Osculetur me osculo oris sui*. hoc est, *Verbum fiat caro*.

Miro igitur artificio factum esse putandum est, vt nudo, ac simplici Salomonis, hoc est pacifici nomine huius cantici titulũ Propheta exornaret, in quo Dei pacem, & amorem cupit,petit, & accipit: *Incipiunt Cantica canticorum Salomonis*.

Hinc huius tam eximij cantici excellentia dilucidè planeque perspicitur, vt non solum reliquis omnibus, ipsiusmet Salomonis canticis excellere (quæ vt libro 1. Antiquitatum Iudaicarum, cap.20. Ioseph antiquissimus narrat, & lib.3o.Regum cap.4.legimus,quinque millia extitere,) verum etiam omnibus aliis à quocunque Propheta diuino lumine illustrato, decantatis, tum propter operis egregium argumentum, tum propter styli summã elegantiã plurimum præstare videatur; Ita doctus Haymon,& Diuus Thomas in sua præfatione asserunt inquirentes,*Cantica canticorum vocauit hunc libellum Salomon, quia omnia cantica superexcellit*. Quòd etiam Diuus Bernardus sermone 1. & Rupertus Abbas in sua præfatione super Cantica canticorum, noua ratione ducti fatentur, & aiunt: *Cecinerunt alij quàmplures Prophetę,Canticum Domino, sed omnes ceciniße reperies pro quocunque suo, suorumve percepto commodo,vt pro obtenta victoria, pro euasione periculi, aut pro rei desideratæ adepto beneficio,ne ingrati animi labe polluti videretur: Salomõ autem pro communi ac generali totius naturæ humanæ beneficio, Christi, & Ecclesiæ laudes, & sacri amoris gratiam, & æterni connubij cecinit sacramenta*: Hoc idem & disertissimus Origenes in primæ Homiliæ initio super Cantica, asseuerans aiebat. *Sicuti ex Mose didicimus quædam esse non solum sancta, sed & sancta sanctorum, & alia non tantum Sabatha, sed & Sabatha Sabathorum, ita nunc scribente Salomone, docemur quædam esse non solum cantica, sed & Cantica canticorum: Beatus quidem is, qui ingreditur sancta, sed beatior, qui ingreditur sancta sanctorum: Beatus,qui Sabatha Sabathizzat,sed beatior, qui Sabathizzat Sabathorum Sabatha: Beatus pariter, & is, qui intelligit Cantica, & canit ea, sed multo beatior, qui canit Cantica canticorum*; Et certè, si huiusmodi canticum, in Christum Salomonem mysticum, verè pacificum & pacis largitorem dirigitur, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium,


hoc

hoc ſanè Epithalamium, non puro nomine canticum, ſed Canticũ cãticorum appellandum erat, ita cenſet Diuus Bernardus: *Pro ſui excellentia reor, nuptiale hoc carmen huiuſmodi titulo præſignitum eſſe, vt meritò Cantica canticorum nuncupetur, ſicut is, cui canitur dictus eſt Rex Regum, & Dominus dominantium*. Præterquàm, quòd ſi reliqua cantica à cæteris decantata Prophetis, venturum Saluatorem prænunciarũt, hoc Canticum cãticorum, tanquã eum, qui iam venit pręmonſtrat, ſicut enim Ioannes dictus eſt à Chriſto plus quam Propheta, & ab eodem tanquam Prophetarum omnium præſtantiſsimus eſt cõmendatus: prophetæ, venturum prædixerunt, iſte præſentem demonſtrauit, ita & hoc plus quàm canticum eſt appellandum, & omnium canticorum præſtantiſsimum, propterea quòd, quem reliqua omnia cantica Chriſtum venturum cecinerunt, iſtud iam veniſſe canit. At quid præclarius, quid admirabilius, in huius cantici laudem dici poteſt? quàm quod Origenes eloquentiſsimus doctor in prima Homilia eruditè animaduertit? Animaduertit enim acri ſuo ingenio ſex duntaxat ante Salomonis tempora, à cæteris Prophetis cantica decantata fuiſſe, ita vt illis ſex canticis tanquàm omnium præclariſsimum, præclariſsimo loco, hoc eſt ſeptimo, hoc canticum Salomonis ſuccedat. Primum eſt Exodi cap. 15. à Maria Moſis ſorore, in exitu filiorum Iſrael de Aegypto decantatum. *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem proiecit in mare*. Secundum eſt Num. cap. 21. Quod filii Iſrael, per loca Arabiæ deſerta cecinerunt: *tunc cecinit Iſrael, carmen iſtud domino, Aſcendat puteus, puteus, quem foderunt principes*. Tertium eſt Deuteron. cap. 32. ab ipſo Moſe Hebræorum duce pronunciatum, cum dixit. *Audite cæli, quæ loquor, audiat terra uerba oris mei*. Quartum eſt Iudic. ca. 5. Quod Debora, & Barac cantarunt. *Audite Reges, & auribus percipite principes, ego ſum qui Domino canam, & pſallam Domino Deo Iſrael*. Quintum eſt ſecundi libri Regum cap. 22. à Rege, & Propheta Dauide decantatum: *Locutus eſt Dauid Domino verba carminis huius, Dominus petra mea, robur meum, & ſaluator meus*. Sextum eſt primi libri Paralipomen. cap. 16. ab Aſaph, & eius fratribus pronunciatum. *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius*. Septimum tandem fuit hoc, omnium canticorum præclariſsimum Salomonis Prophetæ, & Regis Iſrael canentis Domino Deo; *Oſculetur me oſculo oris ſui*. O celeberrimum, & ſummis laudibus ſemper extollendum Canticum canticorum, cum ex ſubiectæ materiæ excellentia, tum ex ſtyli Poetici, & Grãmatici excelſitate, tum etiam ex auctoris præſtantia, qui eſt Salomon filius Dauid, tertius Rex Hebræorum, Propheta, & omnium hominum ſapientiſsimus. Celebrent igitur quantum velint, antiqui Poetæ Amphionem Thebanum,

banum, & Arionem Methymneum, quòd ambo arte canendi prædiri, hic quidem piscem inescauerit, ille verò Thebas ædificauerit; Iactet Græcia suum Orpheum Sophistam Thracium, quòd solo cantu feras reddiderit mansuetas, quin etiam, & arbores, & fagos suis locis motas musicâ transplantarit: dulcius profectò, & millies suauius est Salomonis canticum, quo non pisces inescat, sed homines ad amorem Dei trahit, & allicit; non Thebas ædificat, sed Ecclesiam Dei constructam demonstrat; non feras mansuetas reddit, sed ipsummet Deum nobis pacatum ostendit; non demum arbores, & fagos transplantat, sed homines, qui humi iacent, euocat, & extollit in cœlum. O cantorem egregium, & cœlestem: ò canticum præclarum, & diuinum, ad cuius suauem cantici melodiam, non omnes, vt inquit Diuus Bernardus, sed mentes solum inuitantur pacificę, quæ sese à vitiorum perturbationibus, & curarum tumultibus, vendicare nituntur, & præualent. Perfecta igitur, & omni ex parte completa est huiusce libri inscriptio, aut secundum antiquiores Hebræos hoc pacto, *Incipit Canticum Canticorum Salomoni,* aut hoc altero secundum Græcos Latinosque patres: *Incipiunt Cantica canticorum Salomonis.*

LECTIO TERTIA,

In qua Propheta diuino afflatus spiritu hæc Cantica Canticorum conscripsisse ostenditur.


T si vnanimi omnes cōsensu, cum Latini, tū Græci, tū etiam Hebræi doctores non solum antiqui, & catholici, verum etiam recentiores, & hæretici asserunt hoc Canticum canticorum à Salomone Dauidis filio, & tertio Iudæorum Rege conscriptum fuisse, digladiantur tamen inter se, eò quòd plerique ex antiquis Hebræis, & nonnulli ex recentioribus hæreticis, volunt non diuino lumine illustratum, sed proprii sensus voluptate allectum ipsum composuisse: Ita referunt Theodoretus in præfatione canticorum: Philastrius in suo catalogo; Iacobus Episcopus Christop. in suis proludiis super Cantica cant. & Xistus Senen. octauo lib. posterioris volum. Bibliothecæ sanctæ. Hinc ad tantam deuenerunt stultitiam Anabaptistę, vt crediderint Canticū istud à Salomone iamiam concubinarum blandimentis deprauato compositum fuisse in laudem filię Pharaonis regis Aegypti, quam omnium adolescentularum formosissimam sponsam adamauit, existimantes de ea Salomonem dixisse,

capite

capite 2. huius cantici, *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*, & cap.6. *sexaginta sunt Reginæ,& octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus, vna est columba mea,perfecta mea, vna est matri suæ dilecta,viderunt eam filiæ Syon,& Reginæ laudauerũt eã.*

Alii verò, vt Castalion in annotationibus eiusdem libri cum Anabaptistis existimarunt hoc Canticum Salomonis esse colloquium cum amica quadam Sunamitha, de qua cap. 6. inquit: *Reuertere reuertere Sunamitis, reuertere reuertere, vt intueamur te.*

Nonnulli demum, vt Martinus Lutherus, in exordio suarum annotationum in cantica,asseruerunt libellũ hunc nihil aliud esse, nisi familiare,politicumque colloquium inter Salomonem,& Iudæorum Bers.inuitantem Salomonem dilectum suum, & pacificum virum ad regnandum super eam; Quòd apparentibus quidem, sed leuibus rationibus probare nituntur. Primo enim dicunt, Salomonem cum ad grauiorem ætatem peruenisset,qua hæc cantica composuisse asserunt,voluptatum illecebris, ac libidinum ita delinitum esse, vt impudicarum adolescentularum amore captus,eò dementiæ deuenerit, vt & Magus, & idolorum cultor factus fuerit; Cum ergo in animam maleuolam sapientia Dei non intret, putandum non est(inquiunt ipsi) vt diuino spiritu afflante, sed malo potius dæmone persuadente, Salomon hæc Cantica canticorum composuerit: Augent verò difficultatem ex eo, quòd nõn de rebus sacris,& diuinis,sed de mundanis,& obscænis hic à Salomone tractari dicunt, vt de osculo,vberibus,amplexibus,lectulo,cellariis,vnguentis, floribus, amasiis,& concubinis;et tandem ad spiritalem, & sacram intelligentiam huiusmodi Canticum referri non posse,hoc argumento confirmant; Quod nunquam Dei nomen hic positum sit, id autem contrà diuinæ scripturæ consuetudinem esse constat,in qua nullus extat liber, in quo nomen Dei tetragrammaton, hoc est quadriliterum Ieouha, scriptum non reperiatur,aut saltem aliud quoddam Dei nomen, vti sunt Adonai, El, Saddai, Zebaoth, & his similia, ex quibus,cum nullum inuenirent in hoc libro, eius materiam profanam esse pronunciarunt, ac proinde Salomonem amatoriis carminibus Sanctum Dei nomen immiscere ausum minimè fuisse,nè contrà legis præceptum in vanis sermonibus Dei nomen assumeret. Verum ex altera parte omnes catholici patres Hebræi, Græci,& Latini,& præcipuè Esdras antiquæ legis restaurator. Clemens Alexandrinus secundo libro pędagogi, Eusebius Cęsariensis in historia Ecclesiastica. Diuus Augustinus primo sermone de doctrina Christiana:& Concilium Nicænum, in canone librorum sacræ scripturæ, immo uerò, & Origenes,& Diuus Hieronymus,et Diuus Gregorius, & Diuus Bernardus,& Beda venerabilis,& Diuus Anselmus,et Sanctus Thomas Aquinas,

nas, & Haymon, & Theodoretus, & Hugo Cardinalis, & Rupertus Abbas, & Iacobus Episcopus Christopol. in suis omnes commentariis super Cantica canticorum hunc libellum sicut, & reliquos duos, Prouerbiorum videlicet & Ecclesiastes à Salomone Propheta, diuino afflante spiritu conscriptos fuisse fatentur, & probant. Quod & Concilium Laodicænum prouinciale, sed postea confirmatum in sexta Synodo generali canone 59. & Concilium Carthaginense tertium, sed in eadem sexta Synodo generali confirmatum canone 47. & Concilium Florentinum decreto septimo, de canonicis scripturis, & demum Concilium Tridentinum sessione quarta in initio primi decreti, comprobarunt: At hæc vna sufficiat autoritas, quæ ex commentariis desumitur Rabbini Abraham & Abben Ezrę. inquit enim, nefas est credere Canticum canticorum de rebus esse venereis, nam certè allegoricum est, & nisi magna fuisset dignitas eiusque præstantia, nunquam ascriptum esset arcanis sacrarum literarum libris. Præterquàm quòd ipsa huius cantici verba dilucidè, planeque demonstrant, non Pharaonis filiam, non amasiam Sunamitham, non Iudæorum Remp. hic à Salomone laudari; tales enim sunt similitudines, parabolæ & figuræ, quibus adamatam sponsam Auctor describit, vt si absque vlla spirituali intelligentia, ita purè intelligantur, vt literalis vocum sonus indicat, magis eam deforment, ac deturpent, quàm decorent, & illustrent; Quid enim dic, aut fingi potest ineptius, quàm, quod hic de sponsa à Salomone refertur? eam, scilicet, habere caput amplum instar montis Carmeli? oculos persimiles piscinis magnis, quæ sunt in Esebon; capillos capitis; sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad: Nasum præseferentem magnitudine sua turrim, quæ respicit contra Damascum: Genas rubras sicut fragmen mali punici; labia sicut Vittam coccineam; dentes sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro; linguam dulcem, sicut lac, & mel; collum sicut turrim eburneam, quæ ædificata est cùm propugnaculis. Guttur sicut vinum optimum; Duo vbera sicut duos hinnulos gemellos; ventrem, sicut aceruum tritici vallatum liliis; vmbilicum, ut craterem tornatilem, nunquam indigentem proculis; manus tanquam sphęras aureas; Crura sicut columnas marmoreas, supra bases aureas erectas; & demum totam corporis formam, sicut palmam; Quæ omnia, si aut de filia Pharaonis Salomonis sponsa, aut de Sunamitha eius amasia, aut de Hebræorum Rep. ipsum Regem appellante, intelligâtur, adeo rudia sunt, & agrestia, vt longè politiora sint illa, & elegantiora, quæ rudis ille Cyclops apud Poętas in Galatheam suam ineptè cecinisse fingitur; Et sanè quis tàm rudis esset, & mente captus, vt iis titulis suam exornaret amasiam; quibus in hoc cantico Salomon sponsam suam cohonestat; nàm quandoque eam vocat colum-

bam,

bam,hortum clausum, fontem signatum, puteum aquarum viuentium immo verò illam sæpè appellat pulchram,sicut locum tirza, decoram, vt Hierusalem,terribilem,vt castrorum aciem ordinatam ; Si verò loca, ad quæ sponsus in hoc cantico,sponsam suam inuitat, perpendere velimus; Quis non videat hæc carissimis amasiis, augustisq; Reginis,minimè digna esse?In hortos enim,in mõtes, in cauernas macerię,in pecudum man daras, dicam etiam in tigridum,& leonum speluncas, dilectam suam vocat,& allicit.Proh Deum immortalem,& quæ dona egregia, quæ munera præclara à Salomone ditissimo Rege,& magnificentissimo sponsæ reginæ Pharaonis Aegyptiorum Regis filiæ promittuntur,dum illius animum,ad sui amorem trahere cupit, si mala punica sunt,si poma noua, & vetera,si vinum,& mustum,si aloe,& myrrha?ò stulti,& fatui, antiquiores Iudæi; ò impii, & conscelerati recentiores hæretici, et quæ fieri potest,vt Salomon omnium hominum sapientissimus, et omnium Regum ditissimus,his titulis,in hæc loca,& his muneribus,suam sponsam, aut amasiam,aut Hebræorum Remp.exornaret,alliceret,donaret? Nugę profectò sunt istæ & ineptię,ne dicam impietates,& blasphemiæ.Quamobrem,si Salomonem Prophetam(vt par est) ineptiæ & impietatis nota,liberare velimus,verba Cantici huius, à carnali,& literali,ad spiritalem, & mysticam intelligentiam nos reuocare oportet, & castas sponsi Christi eiusque sponsæ Ecclesiæ nuptias intelligere; quarum Epithalamium in hoc volumine canitur,sicut omnes Patres in huius præfatione testantur, præcipuè verò Diuus Thomas, qui sua in hunc modum, commentaria exorditur. *Salomon inspiratus diuino spiritu, composuit hunc libellum de nuptijs Christi & Ecclesiæ,& quodammodo Epithalamium fecit,idest cantícum super thalamos:* Quod etiam confirmare videtur Diui Augustini autoritas,quam libro,quem de pastoribus conscripsit,habemus; *In canticis* (inquit) *canticorum, loquitur sponsa ad sponsum, hoc est Ecclesia ad Christum, & nouimus cantica canticorum sancta, cantica sancti amoris, sanctæ charitatis,sanctæ dulcedinis.*Præterquàm quòd si prosani etiam homines atque Ethnici(vt ait Plato in Symposio) duos cupidines finxere, vnum filium Iouis, & Diones castum,alterum Iouis,& Veneris,impurum; Non video, cur aliqui in cogitationem turpium amorum hinc venire debeant,aut possint, cùm præsertim nulli sint tàm prauè imbuti diuinis literis,vt illas nesciant castitatis & sanctitatis magistras esse;& propterea si quę impotentis animi speciem præseferant ad spiritum transferenda esse, ità inquit Gilbertus Genebrardus suis in Commentariis super Cantica. Reliquum modo est,vt hac fidei catholicæ veritate,tàm rationibus, quàm autoritatibus confirmata, aduersariorum obiectis, quæ tria sunt,satisfaciamus.Quod enim primò dicunt Salomonem in grauiori æta-

ri ætate, qua Cantica canticorum conscripsisse asserunt, concubinarum amore captum, & voluptatum illecebris delinitum, Idolorum cultorem factum fuisse, fateor equidem rem ita se habere, sed cur magis putandum est Salomonem in senectute, quando impius est effectus, quam in viridiori ætate huiusmodi libellum composuisse? Præterquàm quòd, vt Diuus Ambrosius inquit, Salomonem suorum aliquando pœnituit erratorum, & ad meliorem vitæ statum redactum, diuinoq; lumine illustratum, huiusmodi canticum, ipsum, cecinisse, existimare nullum est incommodum, cùm præsertim ex mira Dei prouidentia (eodem diuo Ambrosio testante) in tantam cadere impietatem permissus fuerit Salomon, nè propter admirandam sui sapientiam, aut Deus, aut Messias, à Iudæis crederetur, & ob hanc caussam Diuus Ambrosius, Diuus Hieronymus, & D. Ioannes Chrysostomus Salomonem sæpe prophetam, & virum sanctissimum appellarunt. Quando verò huiusce libelli subiectam materiam, non de rebus sacris, & diuinis, at de profanis potius, & mundanis esse dicunt, negamus hoc esse verum, nam, etsi sub metaphoris prima fronte obscœnis apparẽtibus suas res explicat Propheta, sub variis tamen sensibus spiritalibus mysteria sacra recondita hic continentur: Sicuti nanque Prophetę in scripturis sanctis, figuratis vtuntur locutionibus, & similitudinibus, ad nostras dicendi formulas accommodatis, vt diuina nobis mysteria, quasi sub quibusdam velaminibus patefaciant, ita hoc idem efficiunt vt diuinos sancti amoris aculeos nobis declarent, & demum, cum nullum in hoc cantico Dei nomen inueniri astruunt, respõdemus ab ipsis, qui solo sensu ducuntur, non inueniri, quandoquidem singula huius Cantici carmina, plena sunt diuinis nominibus, quibus ipse Deus optimus maximus nunc sponsum, nunc amicum, nunc pastorem, nunc dilectum, de industria sese nominat, priscis illis nominibus, non absque mysterio præter missis, quibus diuina Maiestas, non sine metu ab hominibus circumscribi consueuerat, veluti El, hoc est fortis, Adonai hoc est dominus, Saddai, hoc est robustus, Zebaoth, hoc est omnipotens, & Ieouah, quod Hebręis ineffabile est; cum enim cęlestis ille sponsus Deus suam sponsam Ecclesiam, per tot tantaque annorum sęcula, diuini oris osculum expectantem in hoc Cantico consolari vellet, vetustam illam diuinorum nominum appellationem adhùc formidabilem omisit, & eorum loco, noua nomina sumpsit, & iucundiora, quorum suauitate æstuantem sponsæ animum demulceret, seipsum, non amplius Deum, aut Dominum vocans, sed amicum, sponsum, & dilectum, non omnipotentem, sed pacificum; non fortem, non robustum, non vltionum Deum, sed vulneratum, saucium, electum ex millibus, & omniũ pulcherrimum; Ita vicissim, sponsam suam Ecclesiam, nõ sicut olim appellare consueuerat, terram Israel,

filiam

filiam Syon, terram Iuda, & ancillam, vocat, at sororem, sponsam, amicam, columbam, mulierum pulcherrimam, & aliis multis, illisque blandis appellationibus, quibus dilectam sibi sponsam diuturno sui desiderio & amore languentem, suauissimè recrearet. Quare, ex Sanctorum Patrum, sacrorum Conciliorum, & totius Ecclesiæ catholicæ autoritate, Salomon Propheta, Dauidis filius, & Rex Hebræorum tertius, non solum Germanus, huius libelli est auctor, sed diuino etiam lumine illustratus de nuptiis Christi, & Ecclesiæ cecinit hoc Canticum canticorum; & hactenus, de huius libri inscriptione, ex qua & auctoris nomen, & cantici excellentiam satis superque cognouimus.

LECTIO QVARTA.

De Subiecta materia huius libri.


EXPLICATO præludio primo loco proposito, de huius libelli inscriptione, ex qua, & Cantici canticorum auctorem, & excellentiam dilucidè planeque cognouimus; Aliud in ordine secundum succedit explicandum, nimirum quodnam sit huius libri argumentum, seu subiecta materia: sunt autem variæ circa huiusmodi negocium opiniones, ex vna etenim parte sunt recentiores Iudæi, & hæretici in tres classes distincti, quorum aliqui vt Anabaptistæ, de amore Salomonis, & filiæ Pharaonis, siue Abozag Sunamitis, in hoc cantico pertractari dixere; alii verò, vt Martinus Lutherus, hoc canticum, ceu colloquiũ inter Salomonem, & Iudæorum Remp. exponunt. Nonnulli autem, hoc ipsum canticum Epithalamiũ esse Philologiæ, & Mercurii; hoc est sapientis, & sapientię inuicem colloquentium, affirmarunt; quæ tres opiniones, vanæ sunt, & ineptæ, & à nobis satis superquam in præcedenti sermone reiectæ: At ex altera parte sunt omnes catholici Patres Cantici huius interpretes, cùm Hebræi, tùm Græci, tùm etiam Latini; verum aliqui ex Hebræis volunt, Epithalamium esse sponsi Dei, & sponsæ Synagogæ, ita vt Propheta Salomon spiritus sancti radio illustratus, fore præuiderit, vt Israelitæ procul abducerentur à finibus Iudęæ, aliquot sibi mutuò succedentibus exiliis, atque lamentarentur in hac captiuitate suam gloriam pristinam, priscę dilectionis recordati, qua erant Dei peculium, præ reliquis omnibus populis. Quare in hoc Cantico à Salomone inducitur synagoga, quæ ita loquatur, ibo & reuertar ad virum meum primum, quia tunc mihi melius erat ac nunc sit, vt mihi largiatur illa bona, quæ extremis temporibus se daturum pollicitus erat, ita putat Rabbinus Sclamon Iarhius, in suis commentariis super

Cantica. At Græci, & Latini, vt Origenes, Theophilactus, Diuus Hieronymus, Diuus Gregorius, Beda vener. Diuus Bernardus, Diuus Anselmus, Diuus Thomas, Haymon, Hugo Card. Rupertus Abbas, & Iacob. episcopus Christopolitanus, qui vnanimi consensu, huius cantici subiectam materiam asserunt esse mutuum amorem sponsi, & sponsæ, hoc est Christi, & Ecclesiæ, & admirabilem vtriusque copulationem, id est diuini verbi, & humanæ naturæ, in vna diuina hypostasi factam vnionem, & vniuersa denique mysteria, quæ tàm sacrum, & Augustum connubium consequantur, sicut etiam in Euangelio, in Actis apostolicis, in epistolis sanctis, & in Diui Ioannis Apocalypsi dilucidius nobis reuelata fuere, quàm in veteri lege sub variis figurarũ velaminibus fuerint adumbrata: cõtinet enim Epithalamium istud, totius Ecclesiæ encomiũ, immo verò totum illius cursum, initium nimirum, progressum, & statum, ab ipso mundi exordio, vel saltem ab ipsa temporis plenitudine, vsque ad vltimum generalis iudicii diem, ita vt vtriusque testamenti epitomen, hunc libellum censendum esse existimem: ita præcipuè dicunt Diuus Thomas, & Haymon, *Salomon inspiratus diuino spiritu, composuit hunc libellum de nuptijs Christi & Ecclesiæ, & quodammodo epithalamium fecit Christi, et Ecclesiæ*, ita quoque primò asseruit Diuus Bernardus: *Rex Salomon diuinitus inspiratus, Christi, & Ecclesiæ laudes, & sacri amoris gratiam, & æterni connubij cecinit sacramenta*. & primus omnium hoc affirmarat antiquissimus Origenes inquiens, *Nuptiale carmen à Salomone conscriptum fuit in modum dramatis, quod ipse cecinit instar nubentis sponsæ erga sponsum suum, qui est sermo Dei*. Verum cum sapientissimus Salomon talis ac tanti amoris, qui cęlestis est, ac diuinus, excellentiam, ea qua decet dignitate, se nobis explicare non posse cognosceret, non proprias Christi scilicet, & Ecclesiæ personas, in pulcherrimum huius Cantici cantic. theatrum, simul alloquentes inducit, verum sub variis metaphorarum velaminibus, modo sponsi, & sponsæ, modo pastoris, & gregis, modo verò agricolæ, & vineæ, eas nobis in magnificentissima quasi comica & tragica scena lepidè adumbrat: Hinc profectò est, vt hoc augustum naturæ humanæ cum Deo vnionis mysterium, per tenebrosas aquas densissimis quippe nubibus collectas, regius vates in Psalmo 17. nobis indicare voluerit dicens, *Inclinauit cęlos, & descendit, & caligo sub pedibus eius, & tenebrosa aqua in nubibus aeris*; & sanè auditores Sphynges in Aegyptiorum templis hieroglyphicè nos admonent, mystica dogmata, institutionesque sacras, per ænigmatum nodos à profana procul multitudine inuiolata custodiri debere, & in arcanis tantummodo tractari. Hinc Mercurium Trismegistum dicere solitum fuisse legimus, tractatum tota numinis maiestate plenum irreligiosæ mentis esse, multo-

rum conscientiæ publicare, immo verò Porphyrius de Plotini disciplina narrat, ipsum Plotinum à nonnullis creditum pediculari morbo oppressum, miserè periisse, propterea quòd Ammonii sacramenta euulgasset, ad quæ perpetuò celanda se iureiurando adstrinxerat. Argumentum igitur huius libri de nuptiis est, seu mutuo sponsi, & sponsæ, hoc est Christi, & Ecclesiæ amore: & quamuis omnes cantici huius interpretes catholici in hoc consentiant; sponsum nimirum esse Christum vnigenitum Dei filium, eiusque sponsam, sanctam Dei Ecclesiam esse, digladiantur tamen inter se, quid Ecclesiæ nomine hic significare velit Propheta; Quidam enim vt doctor Angelicus, & doctus Haymon, immo verò & omnes antiquiores Hebræi solam synagogam, Ecclesiæ sponsæ nomine hic designari asserunt; Alii verò, vt Rabanus Glossæ ordinariæ auctor, Ecclesiæ sponsæ nomine Ecclesiam, quæ sub Christo esse cępit intelligere videntur, quippe quæ de latere Christi manauit, dormientis in cruce, sicut Eua formata fuit de latere Adæ dormientis in paradiso, ita enim ait Rabanus *Sponsum Christum intellige, & sponsam Ecclesiam sine macula, et ruga*, quibus verbis nemini dubium esse potest, illam designari Ecclesiã, quam Diuus Paulus, Ephesiorum cap. quinto, vnde verba hæc sumpta sunt, describit; At Diuum Paulum eo in loco, Ecclesiam, quæ ex aduerso contra synagogam ponitur describere, manifestius profecti est, quàm vt nobis probandũ esse videatur: Quare, quę in hoc dramate de sponsa dicũtur, ad Ecclesiam noui testamenti referenda esse existimat Glossæ ordinariæ auctor; Nonnulli autẽ recentiores, huius Cantici cant. interpretes, totum hoc argumentum Ecclesiæ quoque Euangelicę, vnà cum Rabano facilè accommodari posse dicunt, si tamen ad Zachariam spectemus, & Elisabetham eius coniugem, si ad Simeonem & Annam Phanuelis filiam, si ad sanctissimam Deiparam Virginem, & ad reliquos omnes ipsius nascentis Ecclesiæ viros sanctos, qui vt aurora Solem Christi diem præcesserunt, horum namque vox illa est, *Osculetur me osculo oris sui;* Plurimi demum, vt Origenes, Theodoretus, Diuus Gregorius, Diuus Bernardus, Diuus Anselmus, & Iacobus Valentinus, sponsæ nomine intelligendam esse putarunt, Ecclesiam vtriusque testamenti statum complectentem, quæ, vt inquit Diuus Gregorius homilia septima, à primo Abel iusto exordium sumens, ad vltimum vsque electum, qui in fine sæculorum nasciturus est perseuerat. Verum & si variæ sunt hæ quatuor sanctorum interpretum opiniones, non ita tamen sibi inuicem aduersantur, quin omnes, & singulę Catholicè sustineri possint, quamuis ego cęteris probabiliorem, & ipsi veritati magis congruentem hanc postremam esse existimem, quemadmodum enim in libri processu videbimus, modò Synagoga, modò Ecclesia, hoc est modò Iudęi, & modò Gentes,

immo

immo verò,& omnium Christi fidelium,tàm Iudęorum quàm Gentium vnio sponsum Christum compellantis à Salomone Propheta hic inducitur. Quare, cum libri huius subiecta materia sit immensus & mutuus amor Christi,& Ecclesię,ex Iudęis,& Gentibus congregatæ, Auctoris etiam scopus,& finis,in hoc cantico pręclarissimo,facilè hinc colligitur, est enim specimen, & sensum aliquem diuini amoris nobis præbere, vt illius incomprehensa suauitate capti vnicum animorum nostrorum sponsum Christum toto corde amemus, omnique pietatis officio prosequamur; Noster enim Propheta, sub allegoriarum, & ænigmatum inuolucris,vniuersam Ecclesiam, tanquam sponsam Christo despondere, & vniuscuiusque nostrum animum ceu virginem castam eidem exhibere studet,vt perspecta illius splendoris pulchritudine,ardentissimo in illũ amore feramur,& à rebus terrenis abstracti, totis corporis, animique uiribus,in ipsum rapiamur,ita inquit Diuus Gregorius Papa: *Summus amor Dei detegitur in canticis erga homines,qui ut nos excitet ad amorem suum efficit,vt hic ponantur verba corporei amoris, & sic non irridenda est sacra scriptura,sed consideranda misericordia Dei*. Neque Prophetæ solum Salomonis in Canticis cant.sed omnium etiam Prophetarum,& Apostolorum,in tota sacra tàm veteri, quàm noua doctrina, huiusmodi scopus est,atque finis,vt nempe,ex visibilibus istis rebus,in inuisibilis Dei optimi maximi notitiam,& amorem,nos deducant, omnibusque modis alliciãt,sicut etiam nos docuit dominus noster Iesus Christus Diui Matthęi cap.22.inquiens.*In hoc præcepto vniuersa lex pendet,& prophetæ;diliges Dominum Deum tuum,ex toto corde tuo,ex tota mente tua,& ex totis viribus tuis*; Hoc facite, Auditores, & viuetis; nam *qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*. Claudamus igitur,dilectissimi,claudamus obsecro terrenas sensuum nostrorum portas, per quas insidiosus quotidie Dæmon ingreditur,& longè, lateque pandamus spiritales voluntatis,& intelligentię portas,per quas rex glorię Christus, nostrorum pontifex animorum in nos ingredi possit; etenim ad illius ingressum, statim gaudebit cor nostrum,& gaudium nostrum nemo tollet à nobis. Ex his omnibus patet, & quę sit huius Cantici canticorum subiecta materia, videlicet, mutuus amor sponsi & sponsę, hoc est Christi & Ecclesię, & qui sit auctoris scopus, & finis, nimirum, ex amore Christi, ergà sponsam suam Ecclesiam,in amorem Dei optimi maximi, nos deducere omnibusque modis allicere.




LECTIO QVINTA.

De ordine procedendi seu methodo viaq́ doctrinæ qua in Canticis vtitur Propheta.

ERAT tertio loco à nobis propositum explicandum præludium de ordine procedendi, seu de methodo, viaque doctrinæ, quà in huius Cantici cantic. tractatione vtitur Propheta: neque vllum profectò dubium est, totum hûc librum allegoricè, siue vt Lyranus ait, parabolicè conscriptum fuisse, eiusque sensum historicum, vulgò literalem nuncupatum, figuratum omni ex parte, & allegoricum esse: non ita tamen illum allegoricum esse putetis, sicut allegoria à sacris Theologis vsurpatur, cum de quadruplici sacræ scripturæ sensu loquuntur. Ita enim allegoria dicitur, quando ea, quæ veteris legis sunt, ea quæ ad nouam pertinent legem significant, seruata semper in historiæ contextu propria verborum significatione, quem sensum, Diuus Paul. sępe frequentat, præcipuè verò in illa Geneseos historia, de duobus Abrahæ filiis, in Epistola enim quam ad Galatas scribit, cap. 4. inquit: *Abraham duos filios habuit, vnum de Ancilla, & vnum de Libera, sed qui de Ancilla secundum carnem natus est, qui autem de Libera per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta;* Nos verò, cum dicimus, huius libri sensum totum allegoricum esse, idem significare volumus, quòd Grammatici, cum allegoriam tropum esse docent, quoties scilicet verborum fit inuersio, & ex propria significatione trahuntur ad impropriam; vnde aliud verbis, aliud sensu significatur, quòd fit per metaphoram, & parabolam, idest per translationem, & collationem. Id autem vt melius intelligatur, animaduertendum est triplex intelligentiæ genus in scripturis sanctis obseruari; primum cum quædam omnino historicè accipiuntur, sepositis parabolis, allegoricisque figuris, vt est legis decalogus; alterum est, quod non tantum historiam rerum gestarum, sed figuram etiam allegoricorum sensuum complectitur, huiusmodi est illa Mosis petra in desertis Arabiæ locis, quæ iuxta historiam quidem cautis fuit, & aquas reuera euomuit, at iuxta allegoricum sensum Christi figuram retulit, qui sit cũ lapis in fundamẽto Syon fundatus, suauissimo spiritalis vitæ poculo credentium mentes satiat. Tertium genus est quod solum per allegoriam, iuxta sensum spiritalem sumitur, & huiusmodi est Canticum cãtic. & cętera parabolæ, in quibus nihil historicè accipitur, sed omnia ad spiritum perpetua quadam allegoria transferuntur, sit exemplum, scriptura sacra

allego-

allegoricè in hoc ſenſu Brachium Dei ipſius potentiam,& robur appellat, translato verbo à brachio hominis, quod propriè denotat, ad Dei potentiam, quam impropriè ſignificat. Hac igitur ratione, in hoc libello tractantur nuptiæ, vt mutuus amor Chriſti & Eccleſiæ, ſub perpetua allegoria: Ita tamen, vt cum ſenſus parabolicus ſit, & allegoricus, idem ſit literalis etiam, & hiſtoricus, præter alium ſenſum literalem, & grammaticum, quem voces propriè acceptæ nobis reddunt. Et quoniam ſub uariis trium perſonarum generum ſimilitudinibus Chriſtum, & Eccleſiam ſe inuicem alloquentes, Salomon introducit, hinc eſt, vt ſub triplici etiam generali metaphora nunc ſponſi, & ſponſæ; nunc paſtoris, & gregis; nunc agricolæ, & vinctæ altiſsima nobis myſteria pateſaciat. Ex hac autem trium metaphorarum varietate, tria quoque nomina diuerſa hic libellus ſibi vendicat, nam quatenus Chriſtus, & Eccleſia ſub ſponſi, & ſponſæ parabola, in pulcherrimum quaſi Theatrum, ſe mutuo compellantes, à Salomone Propheta in hoc canticum inducuntur Epithalamium, ſeu nuptiale carmen appellatur, quatenus verò ſub paſtoris, & gregis metaphora comparent, canticum buccolicum dicitur, & paſtorale: Quatenus demum ſub agricolæ, & vineæ ſimilitudine introducuntur, Georgica Cantilena, ſeu ruralis vocatur; Ita inquit doctiſsimus ille Epiſcopus Chriſtopolitanus; Triplici modo metaphorico procedit Salomon in hoc opere modò videlicet epithalamico, modò buccolico, & modò Georgico; ex quo patet iſtud opus partim epithalamium, partim buccolica, & partim Georgica, nũcupari poſſe, & quãuis Ariſtoteles lib. 2. Poſterioris reſolutionis, metaphoras parabolicoſque ſermones, in ſcientiis perfectis reprehendat, & ob id Platonem præceptorem ſuum acriter accuſet, quòd ferè ſemper ſuis in colloquiis grauioribus parabolicus eſſet, id tamen, in diſciplinis humanis naturæ lumine acquiſitis, non autem in ſcientiis diuinis naturæ vim excedentibus, veritatem habere cenſeo, eo quoniam illarum diſciplinarum finis, eſt aperta ueritatis cognitio, harum vero ſcopus eſt ſacroſancta myſteria, quaſi per ſpeculum in ænigmate, non clare cognoſcenda, ſed potius credenda præbere, nec me latet Salomonem Eccleſiaſt. capit. 14. hunc arcana Dei explicandi modum parabolicum damnare videri, cũ inquit, *Non abſcondas ſapientiam tuam in decore ſuo*. Verumtamen, quandoque hoc veritatem non habet, cum ſcilicet res de quibus agimus, adeo abſtruſæ ſunt, vt nos vlla verborum proprietate illas effari nequeamus, at potius longis ambagibus, & variè compoſito ſermone, eas enunciare cogamur, tunc igitur parabolis vti licet, vt enim aſtruit D. Dionyſ. in libro de Angelica hierarchia; parabolæ, ſunt quædam ſenſilia velamina, quibus diuinus radius circumuallatur, vt nobis maniſeſtius illuceſcat,



nam sicut lucidissimus Solis aspectus, oculis mortalium obest, nisi nube tegatur, ita diuinæ lucis radiis humanarum mentium aciem obtunderet, nisi huiusmodi parabolarum velaminibus coöperiretur, cui Diuus etiam Gregorius assentiri videtur, inquiens, *Qui in sacro eloquio iam alta intelligit, ea coram non sapientibus per silentium tegat, ne per scandalum, aut fidelem paruulum, aut infidelem, qui credere potuisset, interimat:* inde Plato Epistola secunda, quàm ad Dionysium scribit, idem ferè asseuerans, aiebat. Dicendum est nunc per ænigmata, quædam, vt si quid huic tabellæ, vel in mari, vel in terris contingat, qui cum legerit, intelligere nequeat, præterquàm quòd, vt inquit Theophilactus super D. Matth. hic loquendi modus metaphoricus, attentiores facit auditores, quoniam, curiosa scholasticorum ingenia, in rerum admirandarum notionem excitat, cum minori siquidem diligentia illud inuestigemus, quòd ante fores prestò est, quàm quòd longe situm in abyssum recōditur. Quamobrem scripturam sacram Salomon Propheta, in Cant. cant. ca. 6. nucis hortum appellauit dicens: *in hortum nucis descendi; ut viderem virgulta amœna*, quæ verba Cabalistici interpretantes aiunt, Hanc nucē esse veluti aureum pomum, argenteo reticulo inclusum, & talis est scriptura sacra ænigmatum, & parabolarum refertissima, nam ingeniosis institutionibus, tanquàm filis argenteis est circumligata: taceo nunc huiusmodi scribendi morem antiquitus vsitatum fuisse, præcipue verò apud Palęstinos, vt refert D. Hierony. super D. Lucam cap. 8. quem etiam variarum gentium sacerdotes seruarunt, vt Druides, Brachmanes, Aegyptii, Pythagoras, & Plato, immo verò, & ipsemet Dominus noster Iesus Christus hoc eodem loquendi modo, quàm sępe in Euangelio vsus fuit, & per os Dauidis, in Psal. 48. Illum se aliquando obseruaturum prædixit, inquiens, *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* Quare si procedendi modus, quo Propheta Salomon in hoc opere utitur, allegoricus est, & metaphoricus, stylus etiam, quo huiusmodi canticum scribit, Poeticus est, partim verò tragicus, metro enim Saphyco, & Lyrico, vt à Pindaro Græcorum Poetarum celeberrimo, vt aliqui non benè existimant, originem trahente, in modum dramatis nuptialis inter personam sponsi, eiusque puellarū digesti Salomon illud decantat, ita docet Iacobus Valentinus, *Scribendi stylus, seu forma tradendi, decantatiua est, & procedit metricè, videlicet metro Saphyco, seu Pindarico, & Lyrico.* Ita docent etiam D. Thom. & doctus Haymon inquientes: *Salomon quasi comico stylo composuit hunc libellum, & Epithalamium fecit Christi, et Ecclesiæ*, ita quoque asserit D. Bern. dicens: *Meritò carmen hoc nuptiale canticum appellatur*. Ita tandem primus omnium docuit antiquissimus Origenes cum ait, *Epithalamium*

thalamium est hoc Canticum cantic.in quo duo sunt Chori inter se concinentes: sponsa enim canit cum iuuenculis, et sponsus canit cum socijs; Ita vt præter has duas præcipuas Christi & Ecclesiæ personas, duos etiam ornatissimos choros sponsi, & sponsæ, hoc est alterum cantorum, & alterum cantatricum, Salomon in hoc Cantic. cantic. introducat, hunc adolescentularum sociarum ipsius sponsæ Ecclesiæ, quæ sunt hominum hic viuentium animæ iustæ; illum verò iuuenum ipsius spōsi Christi sodalium, qui sunt spiritus beati, quippe, qui vt in comicis fabulis veteribus, seu tragicis fieri solet, sponsum, & sponsam insequentes, per modum dramatis nuptialis, eorum laudes eximias, mutuo concelebrantes, apparent. Hoc igitur Canticum canticorum, allegoricè nō solum quoad procedendi modum, & poeticè, quoad stylum scribendi, verum etiam in modum dramatis, quò ad cantilenæ genus, mihi videtur conscriptum, de quò sanè canendi modo, inquit Ecclesia; *Ante thorum huius Virginis, frequentate nobis dulcia cantica dramatis*. Etenim drama, vt eruditè animaduertit D. Hierony. in suo Prologo super Cantica, multarum personarum vicissim canentium, cantilena dicitur, quemadmodum in scenis agi fabula solet, vbi diuersa personarum genera inducũtur, & aliis accedẽtibus, aliis verò discedentibus, à diuersis personis, ad diuersos narrationis textus, ipsa fabula cumulatè expletur. Quã quã (vt Diomedes in suis Grammaticis ait) in Cãticis vna tãtum debeat esse persona, aut si duæ fuerint personæ, ita induci debent, vt ex occulto vna audiat, nec loquatur. Neque me etiam latet, vt refert Iosephus Scaliger, in Manilium lib. 5. Canticum apud Ethnicos in malam partem sumi, inquit, enim psalterium, quod vulgò dicitur Canticum, in alterius infamiam compositum est, & publicè decantatum, verum apud Ethnicos non sacros auctores hæc vera sunt. Neque profectò est, Auditores, vt admiremini, Salomonē Prophetam, in hoc cantico conscribendo, & stylo Poetico, & carmine Lyrico, & dramatis modo vsum fuisse: ipse enim diuino afflatus spiritu, humanis indulgens desideriis, ac terrenis hominibus, qui carminibus amatoriis, maximè alliciet ad mundanum amorem excitari solent, voluit hoc Cantico numerorum, & carminum mira suauitate condito, nos ad spiritalem, & diuinum amorem excitare, rapere, inflammare, ita dicit D.Greg.Papa in suo prologo super Cantica: *Summus amor Dei detegitur, in canticis erga homines, qui vt nos excitet ad amorem suum, efficit, vt hic ponantur verba corporei amoris, et sic non irridenda est sacra scriptura, sed consideranda misericordia Dei*, quòd & D.Dionys. Apostoli Pauli discipulus ca. 2. Cœlestis Hierarchiç nos docuit dicens; *Ecclesia humanæ mentis infirmitatem non ignorans, eique propriam, & cognitam viam, per quam ad altiora se-*

ra feratur, benignissime prouidens, quàm sæpe, in scripturis sanctis, poeticis vtitur fictionibus. Et quamquàm Plutarchus Cheroneus in suo libello, quem de ciuili institutione inscriptum Traiano misit Imperatori, ex Platonis auctoritate asserit, cantum omnem, tum Lydium, tum Phrygium adimi adolescentibus oportere, quos liberaliter institutos velis, quod alter luctu, & conquestionibus, deiicit, & affligit animum; alter verò, ad libidinem prouocat, & præcipitem agit, grauiores tamē & ipso Plutarcho sapientiores Philosophi, non solum Ethnici, sed catholici etiam doctores, cantum, & poeticum stylum summopere laudāt. Solius Pythagoræ testimonium sufficere posset, qui tantam, ex cantu lętitiam, & animi voluptatem sumebat, vt sibi non solum, sed aliis etiam iucundum, maximeque vtilem cantum ostenderit, quandoquidem in aliquibus adolescentibus, effrænata in quandam honestam familiam libidine concitatis, cum cytharedo iussisset, vt Phrygios modulos in spūdæos commutaret, iuuenilem adeo extinxit ardorem, vt hac via ipsi honestissimæ familiæ, cui iam magnum pudicitiæ amittendæ periculum imminebat, salutem attulerit: Contra verò Magnum Alexandrum Orchionomo persæpe, ita concitatum accepimus, vt à mensa prosiliret ad arma capienda, & quis vestrum auditores, non legit, aut non audiuit, Socratem Philosophum optimum, ita cantu oblectatum fuisse, vt etiam senex canere didicerit, vt cantum grauiorum suarum solicitudinum, ac studiorum socium comitemque haberet? Prætereo nunc Themistoclem, qui cum in conuiuiis, in quibus à singulis conuiuctoribus carmina cantari solita sunt, ad epulas multorum socius sederet, & ad tibias, vt caneret rogatus, canere se ignorare respondisset, minus profectò eru ditus atque erat, ab omnibus existimatus fuit: At illud equidem præterire non possum, in sacris etiam literis psalmorum cantores, eosque decem præsertim, cæterorum omnium excellentissimos musicos, summis vsque ad cœlum laudibus efferri, qui vt in sua refert apologia Ioannes Picus Mirandulanus, hi extitere, Adam, Abraham, Melchisedech, Moses, Asaph, Dauid, Salomon, & tres ipsius Roræ filii, quippe qui decem sacrorum carminum cantores, decem quoque musicis instrumentis, cantiones suas, in heroum illustrium laudem, aut in Dei Opt. Max. gloriam canere solebant, quorum certè instrumentorum nominum, idem Ioannes Picus ibidem meminit, & sunt hæc, Nesa, Neym, Mismor, Schir, Tephilla, Baracha, Hillel, Iedidia, Aschre, Halleluia; Primò cantabantur Ode; Secundò festa solemnia: Tertiò Psalmi; Quartò Cantica; Quintò orationes; Sextò benedictiones; Septimò laudes; Octauò gratiarum actiones; Nonò fęlices rerum euentus; Decimò tandem diuina solum canebantur encomia, quo Salomonem Pro-

phetam

phetam hoc Canticorum canticum, in Christi vnigeniti Dei filii eiusq; sponsæ Ecclesiæ laudem cecinisse putandum est, & quid profectò esset si priscos illos Poetas, hunc decem cantorum ac totidem musicæ artis instrumentorum numerum, nobis significare voluisse dicamus, cum Symphoniam omnem, omneque metrum Poeticum, ab Apolline Musarum principe, & ab ipsis Musis, quæ nouem sunt, Clio, Calliope, Melpomene, Erato, Vrania, Thalia, Euterpe, Tersichore, & Polyhimnia, originem traxisse asseruerunt? Hoc equidem certum habeo, cantum omnem, omnemque Symphoniæ rationem à Deo Opti.Max.per medios beatarum mentium choros, qui nouem sunt, Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Throni, Cherubin, atque Seraphin, hominibus esse traditam, vt Latinorum omnium Poetarum splendor, & decus, significare videtur inquiens.

Ab Ioue principium Musæ, Iouis omnia plena.

Ex quo sanè factum esse existimo, vt sapientissimus Plato in libro, qui Ione inscribitur affirmarit, homines, etiam imperitos, & quàm maximè ineptos, spiritu Poetico (quem diuinum appellat) sæpe afflatos dulcia carmina cecinisse, vt ex hoc admirabili effectu, diuina nobis prouidentia significaret, poemata egregia, non Phylosophorum hominumve inuenta, at summi Dei dona esse præclara, & alibi, Poetas Deorum ministros, & interpretes appellauit, quod illa mysteria, & arcana, Poetarum inuolucris inuoluta, & hominum generi sic demonstrata, non nisi quædam salutaria oracula, sunt iudicanda, quod etiam Aristotelem, miro ingenio virum, ac singulari doctrina præditum induxisse puto, vt crederet, priscis illis temporibus, eosdem extitisse Theologos, & Poetas, ac si poesim diuinam esse facultatem, cæterisque artibus liberalibus maximè præstantem diceret, & si Poetæ naturam diligentius perpendamus, quis non ingenuè fateatur, maximam inter Poetam, & Prophetam conuenientiam intercedere? Latini certè auctores hoc nomen vatis, à vi mentis deriuatum, vtrique, hoc est tam Poetæ, quàm Prophetæ commune esse affirmant, & Græci doctores, Poetæ nomen à verbo Græco ποιεῖν, originem traxisse dicunt; Quod sanè verbum ποιεῖν, medium sibi vendicat nomen inter creare, quæ solius Dei actio est, cum ex nihilo prorsus facit aliquid, & inter facere, quæ hominum etiam operatio est, cum ex aliqua præexistente materia aliquod opus efficiunt, ac si velint innuere, poemata, quamuis ex nihilo prorsus non sint, plurimum tamen ab operatione humana discedere, & quàm maximè ad actionem diuinam accedere; sicuti namque Deus Opt.Max.disertissimi instar poetæ totius mundi fabricam, egregiū quasi poema, in numero, pondere, & mensura creauit: ita sapientissimus

quique Poeta, & pedum numero, & syllabarum mensura, & periodum ac sententiarum pondere, suum poema disponit, conficit, exornat. Hinc Lilius Gyraldus in suis dialogis de poesi, dialogo primo, refert, Platonem asserentem, poeticam facultatem Deorum immortalium munere datam hominibus, & Phylo Hebræus libro de eo, quod deterior potiori aduersatur, Poeticam artem, diuinam quandam rationem appellat, qua Deus in his rebus disponendis vtitur. Salomon igitur, si ex totius Ecclesiæ catholicæ testimonio, Propheta est: nullum profectò sequetur incommodum, si ipsum in hoc Cantico canticorum Poetam quoque esse dicamus. Nam vt ibidem Lilius Gyraldus ait, poesis apud Hebræos primum excogitata fuit, & cognita, quàm apud reliquas gentium nationes, quod accepit à Philone eodem in loco, ab Eusebio in libris de præparatione Euang. & à D.Hier.tom.3.epist. Epist.146. quam scribit ad Damasum Papam: præterquàm quòd si poesim à musica progenitam testatur D.August.lib.2. de ordine cap.14. & musices auctorem fuisse Tubalchai, sacra testantur eloquia Gen.cap.4. ipsum quoque poeseos parentem, & inuentorem fuisse dicendum est. Quò fit, vt eius originem, & inuentionem, falsò Mosi aliqui tribuerint, aut Carmentæ fatidicæ, siquidem multò ante hæc tempora, apud Chaldæos, & Aegyptios, cum reliquis artibus, poetica quoque floruerat: quamquã alii Mosem, eiusque sororem Mariam primos extitisse, qui carmen hexametrum, mari rubro transacto, decantantes excogitarint, neque me latet Eliam Leuitam in Masoreth asseruisse, carmina illa Mosis, & Mariæ, nulla lege Poeticæ artis constare, nec vllas carminum leges, apud Hebræos fuisse, nec aliquem ex sacris libris carminibus cõpositum repertum esse, cum tota lex vnico Pasuck conscripta fuerit. Verum, quàm maximè vir iste decipitur, quandoquidem Moses, vt D.Hier. ait in sua præfatione super Iob, carminis hexametri leges, ab eodem inuentas optimè nouit antequàm Orpheus, Lynus, & Homerus Græcorum vates floruissent; Quinimmò omnia Græcorum carminum genera prius apud Hebræos culta, idem Beatus Doctor ibidem ostendit, nec illud officit totam legem nimirum vnico Pasuck conscriptam fuisse, nam etsi ante Massoritas, siue Tiberitas, nulla erat legis distinctio, diuersitas tamen erat sermonis, & diuersam canendi formam habebant Hebræi, vt idem D.Hieronym. tum in Epistola 105. ad Paulam Vrbicam, tum in sua præfatione in Iob, asseuerat dicens: *Nullum genus poeseos, in psalmis, & aliis Hebræorum libris desiderari posse*. Immò verò Ioseph Iudæus, Origenes Græcus, & Diuus Hieronym. Latinus Doctor, Salomonem non solum, sed Dauidem etiam Salomonis patrem per annos 400. ante Romam conditam, suos psalmos, heroicis carminibus,

nibus, & Lyricis cecinisse, & Iob Idumæum multò ante hæc tempora, flebile suum poema versibus elegis conscripsisse, affirmant; Ita ut cum apud antiquiores Poetas Græcos, tria præcipua carminum genera reperiantur, hoc est Elegorum, Heroicorum, & Lyricorum, hæc omnia apud sanctissimos nostros Prophetas in vsu extitisse habeamus; etenim Iob carminibus Elegis, Dauid Heroicis, & Salomon Lyricis sua conscripserunt poemata, quamuis ea carminum genera, nostri interpretes, in suis versionibus minimè obseruare potuerint, ne (vt D. August. Epistola 131. ad Memorium Episcopum scribit) metri necessitate, ab interpetrandi veritate, amplius, quàm ratio sententiarum sinebat, digredi cogerentur. Quare Salomonis Prophetæ stylus, in hoc Cantico canticorum, poeticus est, carmine Lyrico in modum dramatis compositus, sicuti etiam procedendi modus metaphoricus est, sub triplici metaphora descriptus, sponsi videlicet, & sponsæ, pastoris, & gregis; Agricolæ, & Vineæ, & de his hactenus.

LECTIO SEXTA.

Ordinem doctrinæ ostendit, & pulchra de ipso declarat.

EXPLICANDVM succedit quartum præludium, de ordine doctrinæ, ex quo facilè dignoscemus, in quanam sacræ scripturæ parte, & inter quos legis antiquæ libros, ac in quo Salomonis operum loco, hoc Canticum cantic. reponendum sit. Non est autem, vt vllo pacto dubitemus, & hoc Canticũ canticorum, & nonnulla alia Salomonis prophetæ opera, inter Canonicos libros antiquæ scripturæ reponenda esse, vt Latini patres, & Græci non solum, verum etiam Hebræi, & tria Concilia Nicęnum, Florentinum, & Tridentinum, & tota demum sancta Dei Ecclesia vnanimi consensu affirmant. Verum cum à diuersis auctoribus, in diuersas secetur partitiones sacrosancta antiqua scriptura, operepreciumesse duxi, has omnes, & singulas sanctorum patrum varias sectiones, quas præcipuè septem esse reperio, in medium proponere, vt nos meliori selecta, reliquas sex aliis relinquamus. Et vt à recentiorib. tãquã nobis notioribus, exordiamur, nonnulli ex Latinis auctoribus, totam sacram scripturam veteris testamenti (de hac enim sola in præsentia loquimur) in quatuor classes partiuntur, nimirum, in Legalem, Historicam, Paręneticam, & Propheticam, ita vt in prima classe contineantur libri Legales quinque, videlicet Genesis, Exod. Leuitic. Numeri, Deuteron. In secunda verò classe habeantur libri Historici nouem; qui sunt Iosue, Iudicum, Ruth, Regum

primus

primus,cum secundo,Regum tertius,cum quarto, Paralip. duo libri, Esdras,Esther,Iob.In tertia autem classe sint libri Parenetici tres,nimirum, Prouerbia,Ecclesiastes,Cantica cantic.In quarta demum classe reperiantur libri Prophetici septem.Hoc est Dauid,Isaias,Hieremias,Isaias,Threni,Ezechiel,Daniel,& Prophetæ duodecim minores: Prisci verò Latini, alia partitione veteris testamenti libros,in tres tantum classes diuidebant, videlicet in Legalem,Propheticam,& Agiographam,vt refert D.Hieronymus,in sua præfatione super Daniel. Prophetã. In prima etenim classe aderant libri Legales quinque,Genesis,Exod.Leuit.Num. Deuter.In secunda verò, libri prophetici octo, Iosue, Iudicum, Samuel, Malachias, Isaias, Hieremias, Ezechiel, & duodecim Prophetæ minores; In tertia verò ponebantur Agiographi libri vndecim, vt Iob, Psalmi, Prouerbia, Ecclesiast. Cantica, Daniel, Paralip. Esdræ duo libri, Esther, Ruth Enoch, siue lamentationes.

Et si à Latinis recentioribus,& priscis ad recentiores, & priscos Hebræos deuenimus,quidam recentiores Iudæi, in quatuor series Legem veterem distinguunt.In Legem,in Prophetas priores, in prophetas posteriores,& in scripturas sanctas; Quare in prima serie habebantur quinque libri ipsius Mosis,Genesis, Exod.Leuit.Numer.Deut.In secunda erant hi quatuor Prophetæ priores, Iosue, liber Iudicum, Samuel, Malachias:In tertia continebantur Prophetæ posteriores, Isaias,Hieremias, Ezechiel,& duodecim Prophetę minores;In quarta demum serie aderant libri Sanctarum scripturarum, qui sunt vndecim, Psalterium, Iob, Daniel,Esdra,Paralip.Ruth,Esther,Prouerbia,Ecclesist.Cant. Lamentationes:At antiqui Iudæi,vt referunt D.Hieronymus in præfatione primi libri Reg.& Isidorus sexto libro Etymologiarum,in tres tantum classes,totam veterem scripturam sacram distribuerunt,eodem ferè modò,quo veteres Latini eam distinxere, in legalẽ nempe, Propheticam, & Agiographam:Ita vt in prima classe essent quinque libri Legales,vt Gen.Exod.Leuit.Num.Deuter. In secunda libri octo Prophetici,vt Iosue,Iudicum, & Ruth, Samuel, Malachias, Isaias,Hieremias, cum Threnis,Ezechiel, & Prophetæ duodecim minores,in tertia tandem classe reperiuntur libri nouem Agiographi,Iob,Psalterium,Prouerbia,Eccles.Cantica,Daniel,Paralip.Esdras,& Hieremias,Esther. & ita veteres Iudæi à priscis Latinis in hoc differebant,vt à sacrorum veteris legis librorum canone, & Ruth,& lamentationes semouerent,quos libros Sancta Dei Ecclesia,inter Canonicos accipit,& reponit. Nunc verò ad Græcos patres accedendum nobis est,qui circa antiquæ legis librorum partitionem, non admodum inter se consentiunt,ex vna etenim parte Epiphanius Salaminæ Episcopus in libro de partibus diuinæ scripturæ, & Diuus Ioannes Damascenus,

quarto

quarto libro orthod.fidei, totam ſacram ,ac veterem doctrinam,in quinque ſeries partiuntur,hoc eſt in quatuor quinarios,& in vnum binarium, ita vt in prima ſerie ſint libri legales quinque, Geneſ.Exod.Leuit. Num. Deut.In ſecunda ſerie ſint libri Agiographi quinque,Ioſue, libri Iudicum,& Ruth,Regum primus cum ſecundo,Regum tertius cum quarto. & Paralip.In tertia ſerie ſint libri Carminum quinque,Iob, Pſalter.Prouer. Ecclеſ.& Cant.cant.In quarta ſerie,ſint libri Prophetarum quinque. Prophetæ minores duodecim, Iſaias,Hiere.Exechiel,& Daniel. In quinta demum ſerie,ſint duo tantum libri Eſdras,nimirum,& Eſther.ex altera verò parte adeſt Gregor. Magnus, qui libro ſuorum carminum,veterem ſcripturam ſanctam, in tres claſſes partitur, hoc eſt in Hiſtoricam, Poeticam, & Propheticam: In prima igitur claſſe reponuntur libri Hiſtorici duodecim Geneſ.Exod.Leuit.Num.Deuter.Ioſue,Iud.Ruth,Regum primus cum ſecundo,Regum tertius cum 4. Paralip. & Eſdras: In ſecunda reponuntur libri Poetici quinque,Iob, Pſalt.Prouerb.Eccleſ.& Cantica cant.In tertia demum reponuntur libri prophetici quinque, Prophetæ duodecim minores, Iaſais,Hier.Ezechiel,& Daniel.

Septima tandem & poſtrema diuiſio librorum ſacroſanctæ ſcripturæ antiquæ,ea eſt,qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in tres tantummodò partes illos diſtinxit,vt refert D. Lucas Euang. cap. 24. hoc eſt in libros legis,in libros Prophetarum, & in libros Pſalmorum, ſeu Carminum,Ibi enim legimus Chriſtum duos illos diſcipulos, euntes in caſtellum Emaus,ita allocutum fuiſſe,Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt de me in lege Moyſi,& prophetis,& pſalmis.In prima igitur parte, vt Ioſepho antiquiſſimo placet, habentur quinque libri legis, Geneſ. Exod.Leuit.Num.& Deut.In ſecunda ſunt libri prophetarum tredecim, Ioſue,Iudicum,& Ruth,Samuel,Malach.Paralip.Eſdras,Eſther,Iob,Iſaias,Hierem.& Threni, Ezechiel, Daniel, & duodecim prophetæ minores.In tertia denique ſunt libri Pſalmorum,ſeu carminum, qui ſunt quatuor,Pſalterium,Prouerbia,Eccleſ.& Cant.cant.


Canticũ igitur Salomonis prophetæ opus etſi a recentiorib. Latinis inter libros Parænēticos,& à priſcis Latinis inter libros Agiographos,& à iunioribus.Hebræis inter libros ſcripturarũ, & ab antiquiorib.inter libros Agiographos,& ab Epiphanio, & Ioanne Damaſc.imò verò & à Greg. Naz.inter libros poeticos,nos tamen ſeptimam, & poſtremam horum librorum partitionem inſequentes,quã nobis apud D.Lucam euang.c.24. tradidit magiſter noſter Chriſtus,hũc canticorũ librũ inter libros Pſalmorum,ſeu Carminum in tertia, & poſtrema parte collocamus. Quare cum à Chriſto domino noſtro in tres duntaxat ſeries, tota vetus ſcriptura ſacra diuidatur,Legis videlicet, Prophetarum,& Pſalmorum, ſeu Carminum,

num, liber iste, in tertia parte, in ordine librorum Carminum, seu Psalmorum, & in tertio loco operum Salomonis reponitur; sanctus enim Propheta, non dignitatis, sed facilitatis ordine vtens, primum locum Prouerbiis, vbi disciplinis, quæ spectant ad mores, nos instituit, medium libro Ecclesf. vbi rerum omnium naturas nobis explicat, & postremum Canticis canticorum assignauit, vbi diuina mysteria, nobis reuelat, & ob id D. Hieron. in prologo libri sapietiæ, Prouerbia pro adolescentibus, Ecclesiasten pro viris, & Cantica pro senibus Salomonem composuisse aiebat. Verum præter hos tres libros, qui in primo sacri Canonis ordine reponuntur, videlicet Próuerbia, Ecclesf. & Cantica cant. & præter duos Psalmos hoc est 72. & 127. & præter librum Sapientiæ qui inter volumina secundi ordinis numeratur, infinitum penè librorum numerum, edidit propheta Salomon, de quibus in sacris literis hi pauci duntaxat commémorantur: composuit enim Parabolarum tria millia, quarum ipsemet in calce libri Ecclesf. meminit, dicens, *Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, et inuestigans composuit parabolas multas*, immo verò in tertio Regum volumine, dilucidius id asseuerans, aiebat, *Dedit Deus Sapientiam Salomoni, & erat sapientior cunctis hominibus, & locutus est tria millia parabolarum:* scripsit etiam Salomon, carminum quinque millia, vt ibidem legitur, siue vt antiquissimus Iosephus octauo libro antiquit. Iudaicarum, exponit, carminum libros quinque millia, ex quibus vnus tantum liber, qui Canticorum cant. inscribitur superfuit, cæteris incendio Hierosolymorum absumptis: Edidit adhuc opus ingens naturalium disputationum, admirabili rerum omnium sapientia refertum, seu (vt Diuus Hieronymus ait) de vi, naturis, & moribus omnium rerum, lapidum, plantarum, animalium, volucrum, piscium, & reptilium, varios libros cõscripsit. Ita legimus 3. lib. Reg. *Disputauit Salomon super lignis, à cedro, quæ est in Lybano, vsq; ad Hysopum, quæ egreditur de pariete, & disseruit de iumentis, & volucrib. & reptilibus, & piscibus:* scripsit quoq; magnificentissimam templi Hierosolymitani structuram, in quâ ædificandi templi Dei exemplar, satis accuratè expresit, formam scilicet, situm, mensuram, partium dispositiones, & singula sacerdotum, Leuitarum, Ianitorum, Cantorum, & aliorum ministrantium officia explicans. Composuit denique piam ad Deum orationem, quam in templi dedicatione, flexis genibus, & manibus in cœlum sublatis, ipsemet obtulit Deo, inquiens: *Domine Deus Israel, & quæ* sequuntur cap. 6. secundi lib. Paralip. Hæc aût Salomonis sunt opera, de quibus fit mẽtio in scripturis sacris. Ioseph tamen Iudæus, nonnulla alia Salomonem Prophetã conscripsisse volumina refert, tum 8. lib. Antiquit. Iudaicarum, tum 1. libro contra Appionem Grammaticum, quòd etiam asserere videtur Origenes

nes in suis Homeliis super D. Matth. & Theophylus sextus Episcopus Antiochiæ 3. lib. ad Antolycum, quæ sunt ista. Liber vnus precationũ, siue præcantationum, ad leniendas ægritudines, liber vnus exorcismorum siue coniurationum, ad malos dæmones effugandos, liber vnus Epistolarum enigmaticorũ ad Hyramum Tyriorum Regem, & Hyrami vicissim ad Salomonem Prophetam fertur etiam liber alius, *Sapientia inscriptus*, ab eo tamen diuersus, quem in sacrorum librorum Canone habemus, à Salomone compositus fuisse, cuius meminit Ioãnes Picus Mirandul. in præfatione suæ Eptapli, vbi ita scriptum reliquit. *Extat apud Hebræos, Salomonis illius cognomento sapientissimi, liber, cui Sapientiæ titulus, non qui nunc in manibus est, Phylonis opus, sed alter secretiori lingua compositus.* Et demum tres alios libros, à Salomone conscriptos fuisse legimus, quorum hæ sunt attitulationes. Clauicula Salomonis, in qua de genere superstitionis maleficę pertractatur. Contradictio Salomonis, & liber de Vmbris Idearum, vbi magicæ impietatis opera explicantur; Hos tamen tres libros falsò Salomoni Prophetæ à quibusdam impostoribus ascriptos fuisse, sãcta Dei ecclesia dilucidè planeque declarauit, quandoquidem in decreto Gelasii Põtificis maximi, inter scripta damnata recensentur. Quare ex hoc quarto præludio satis superque manifestum est, in quanam sacræ scripturæ antiquæ parte, nimirum in tertia, & inter quos legis antiquæ libros, videlicet inter libros psalmorum, seu carminum, & in quo Salomonis operum loco, nempe in tertiò, & postremo, hoc Canticum cant. sit reponendum.

LECTIO SEPTIMA,

De huius Cantici Canticorum in debitas eius partes diuisione pertractat.



ANTICI huius interpretes, de illius diuisione in debitas eius partes, minimè consentiunt, sed alii alia dicunt, varioq; modo illud distribuunt, etenim ex antiquioribus Hebræis nonnulli in octo capita illud distinguunt, vt satis aperte colligimus ex ipso Canticorum textu, qui octo capitibus tantum quasi tot cancellis concluditur. Quidã aũt Rabbinus anonimus, vt refert Gilber. Genebrardus in com. super Cant. in certas narrationes & quasi actus hoc Canticum distribuit, ita vt quatuor sint actus huius sacræ tabulæ; Primus actus vsq; ad initium tertii capitis est, vbi noua incipit confabulatio, secundus usque ad secundum versum quinti capitis, ibi, *Ego dor-*

dormio, & cor meum vigilat : tertius illinc protenditur vſque ad vndecimum verſum ſexti capitis,ibi,*Anima mea conturbauit me*: Quartus & poſtremus inde eſt ad finem vſque. Alii verò, vt Origenes Græcus, & Diuus Hieronymus Latinus Doctor, ex modo procedēdi,qui poeticus eſt,& dramaticus,hoc canticum diuidentes per dramata,hoc eſt per mutuas variarum perſonarum cantilenas,illud diſtribuerūt, ita vt tot huius Cantici partes ſint,quot dramata fiunt,ſeu mutuæ interrogationes inter perſonas tum ſponſi, & ſponſæ, tum vtrorumque ſodalium, quæ ſanè dramata ſex duntaxat eſſe mihi videntur,vt ex totius cantici lectione colligere potui. Quare ab his Eccleſiæ Doctoribus in ſex partes diſtinguitur hoc Canticum, quæ ſunt iſtæ;

Oſculetur me oſculo oris ſui, quia &c. en primum drama.

Indica mihi quem diligit anima mea, vbi,&c. en ſecundum.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, &c. en tertium.

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, &c. en quartum.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, &c. en quintum.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de de deſerto delicijs affluens; &c. en ſextum, & vltimum drama.

Alii adhuc ſunt ex recentioribus,vt Coſmas Damianus, qui ex variis perſonarum confabulationibus (ceu comicam fabulam, aut tragicam, ſacram tamen & diuinam) hoc Canticum canticorum in quinque actus diſtinguunt, ita vt primus actus ſit vſq; ad illum verſum ſecundi capitis, *Vox dilecti mei*, Secundus autem ſit inde vſq; ad verſum tertii capitis ibi ; *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto*. Tertius hinc, vſque ad finem quarti capitis;Quartus verò protenditur vſq; ad finem ſeptimi capitis; Quintus, & poſtremus inde vſque ad finem.

Quidam verò, & præcipue Iacob. Epiſcopus Chriſtopolitanus, ex ſubiecta materia, librum diuidentes, in decem Cantica peculiaria, hoc generale Canticum diſtribuunt, ſicuti decem euangelica myſteria, ad incomprehenſam Dei verbi incarnationem, & ad omnem Eccleſiæ ſtatum modo miſerum, & modo fœlicem pertinentia, à Salomone Propheta hic explicantur, & ita in quolibet Cantico, aliquod ennarratur myſterium Euangelicum. Ego verò ex his quinque opinionibus tertiā,& poſtremā magis probandam cenſeo, cum libri diuiſio,in varias eius partes magis ex ſubiecta materia,ſeu ex re cōſiderata quā ex modo procedēdi,ſit capienda:diſtinctio certè vnius facultatis ab alia,aut vnius libri ab altero, ex procedendi modo accipi poteſt,at vnius tantum libri partitio in debitas illius partes ex re ipſa ibi pertractata deſumitur.

Cum

Cum igitur Propheta Salomon, diuino afflatus ſpiritu, totum Eccleſiæ Dei curſum, hoc eſt initium, progreſſum, & ſtatum, ab ipſo mundi exordio, ad vltimum vſque generalis iudicii diem, in hoc Cantico nobis explicet, dum antiquæ legis auguſta myſteria contemplatur, in quodam quaſi ſpeculo, etiam præuidit decem de Chriſto, & de Eccleſia futura myſteria. Primo enim dum omnes de Redemptore Chriſto venturo pollicitationes Patriarchis, & Prophetis ſanctis à Deo optimo maximo factas, illudque præcipuè ſummum deſiderium filiorum Iſrael in Aegypto exiſtentium, & ſummopere à crudeli Pharaonis ſeruitute liberari petêtium, Salomon contemplatur, maximum omnium fidelium Chriſti, tàm viuorum quàm mortuorum in lymbo exiſtentium, præuidit deſiderium, quippe qui Meſsiam, vt ad genus humanum à peccati ſeruitute redimendum veniret, ſummoperè cupiebant, inquientes: *Oſculetur me oſculo oris ſui*: quod eſt primum Canticum peculiare.

Dum verò magnificentiſsimam illius præclariſsimi tabernaculi ſtructuram, quod Deus ipſi Moſi fabricari præcepit, Salomon contemplatur, admirabile quoque incarnationis vnigeniti filii Dei myſterium præuidit, ibi: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, &c.* quod eſt ſecundum Canticum.

Dum contemplatur Deum in arcam ſanctificationis ingredientem, & Moſen diuinam eius legem edocentem, præuidit etiam Chriſtum iamiam hominem factum Euangelicam legem nobis prædicantem, ibi: *Vox dilecti mei, ecce iſte uenit ſaliens in montibus, tranſiliens colles*. quod eſt tertium Canticum.

Dum varias ipſius arcæ Dei, hac, & illac peregrinationes contemplatur, ob cuius præſentiam tot, tantaque fiunt miracula, diuerſa profectò Salomon præuidit Chriſti Domini noſtri, per totam Iudeæ, & Galileæ regionem itinera, in quibus innumera, eaque diuina effecit miracula, ibi: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi*: quod eſt quartum Canticum.

Dum Moſis aſcenſum ſuper Abarim, & Phaſga altiſsimos Arabiæ montes, contemplatur, ex quibus totam illam promiſsionis terram beatam proſpiciebat, Chriſtum præuidit Hieroſolymam aſcendentem, vt tradatur principibus Sacerdotum, & Scribis, qui tradant eum gentibus, ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum, ibi: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es*, quod eſt quintum Canticum.

Dum Moſen poſt varios caſus, poſt tot rerum diſcrimina in vertice montis Phaſga morientem, contemplatur, Chriſtum ſanè poſt acerbos dolores, diraque tormenta, in vertice montis, qui dicitur Caluariç locus, cruci affixum, & pro totius humani generis ſalute morientem prçuidit,

ibi; *Surge Aquilo, & ueni Auster*, quod est sextum Canticum.


Dum Iosue Hebræorum Ducem, in Mosis vita functi locum subrogatum Salomon contemplatur, qui populum Israeliticum, in terram sibi à Deo promissam aliquando introduxit, Christum certè à mortuis resurgentem præuidit, qui omnes in eum credentes, in illam cœli beatam terram introducturus erat, ibi: *Adiuro uos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, &c.* quod est septimum Canticum.

Dum Iosue duodecim duces eligentem contemplatur, qui totam promissionis terram peragrent, ac circundent, Christum duodecim seligentem Apostolos præuidit, quippe qui totum terrarum orbem peragrantes, omni creaturæ nuncient Euangelium, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ibi: *Quò abijt dilectus tuus ò pulcherrima mulierum?* quod est octauum Canticum.

Dum singulas Hebraicæ gentis, ab eius egressu de Aegypto, vsque ad Regis Dauidis patris sui tempora contemplatur progresiones, & omnes illius populi afflictiones, omnes victorias, omnesque euentus, considerat Propheta Salomon, omnes etiam ac singulas perturbationes, dolores, & miserias præuidit, quas à Tyrannis, & hæreticis, sancta Dei Ecclesia quotidiè passura erat, præcipuè verò ab ascensu Christi in cælum, ad Constantini Imperatoris vsque tempora, quibus denique ex singulari Dei optimi maximi beneficio superatis, maxima sui cum laude omnes ferè gentium populos Christi iugo suauissimo subiecit, ibi: *Quid ui debis in Sunamithe, nisi choros castrorum?* quod est nonum Canticum.

Et tandem Salomon, dum beatam sui regni fœlicitatem contemplatur, iucunditatem pacis, diuitiarum copiam, & magnificentissimam templi quod ædificauerat, structuram, spiritu quoque Prophetico ductus, præuidit sacrosanctam Dei Ecclesiam post tot, tantasque calamitates, & afflictiones, aliquando per totum terrarum orbem Christi fide diffusa optatissima pace, ac sempiterna iucundissimè fruituram esse, ibi: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delicijs affluens, &c.* quod est decimum & postremum Canticum.

Salomon igitur ex his decem mysteriis Euangelicis, quæ in toto Ecclesiæ noui testamenti progressu euentura erant, decem etiam in hoc generali Cantico particularia Cantica effecit, & inde patet hunc Salomonis libellum in decem præcipuas partes secari.



LECTIO

LECTIO OCTAVA.

Cantici canticorum vtilitatem demonstrat.




SEXTVM & postremum præludium à nobis propositum explicandum, est de huius Cantici canti. vtilitate, quæ à sanctis Patribus huius libri interpretibus, magna sanè, & admirabilis censetur, & sicut Diu. Ioannes 1. cap. Apoc. aiebat; *Beatus qui legit, & audit verba Prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in illa scripta sunt;* Ita beatus ille est existimandus, qui & auribus audit, & mente percipit, & re ipsa exequitur, quæ in hoc Cantico sacra & diuina præcepta continentur: nihil etenim est, vel ad ipsius spiritus voluptatem iucundius, vel ad animi salutem vtilius, quàm Dei optimi maximi verbum, suaue non solum super mel, & fauum, sed omni etiam gladio penetrabilius; fructuosè percipere, menteque concipere, ita inquit ipsemet Christus apud Diuum Lucam. c. 7. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Nonne igitur fœlices erunt, & ter, & quater beati, qui Cantici huius verba, & audient, & custodient? nam varios primùm Ecclesiæ status hic obseruantes, ad meliores semper nos, nostraq; tempora componemus, & maiorum nostrorum exemplis inhærentes, quæcũq; illi præclarè dixerint, & fecerint, nos imitari, & exequi nitemur. postea verò multum valet hic liber ad immẽsum Dei opt. max. quo Ecclesiam veluti filiam suam dilectam, suiq; vnigeniti filii spõsam prosequutus est, amorem dignoscendum; & demum vtile est hoc Canticum canticorum ad Christianæ religionis fidem comprobandam, cuius vniuersa ferè mysteria à Salomone hic decantata, hucusq; impleta conspiciuntur: Inde factum esse existimo, vt D. Apostolus Paulus in epistola, quam ad Ephesios scribit cap. 5. nos cohortetur, vt in huiusmodi Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus cantemus, & psallamus in cordibus nostris Domino. Verum in huiusmodi Canticorum cantico, non strepitus oris requiritur, sed iubilus cordis; non sonus labiorum, sed motus gaudiorum; non vocum consonantia, sed voluntatum concentus; est quippe nuptiale carmen, castos exprimens, iucundosque animorum complexus, morum concordiam, & affectuum consentaneam in alterutrum charitatem. Cæterum in huiusmodi Epithalamii lectione, cautos vos esse volo, vt non carnis voluptate, at spiritus iucunditate allecti, sacras, & diuinas, non vanas, & obscenas esse cantiones, hæc Salomonis cantica existimetis: *Sacer enim hic sermo,* vt inquit D. Bernar. primo sermone super Cant. cant. *non nisi sobrijs mentibus, & auribus omnino credendus*

est: immo verò, & Origenes prima homilia ibidem aiebat, *Hæc quæ in Canticis à Salomone Propheta pertractantur, nisi spirituali quodam modo intelligantur, nonne fabulæ sunt? Nisi habeant aliquid absconditi mysterij, nonne indigna sunt Deo?* & ob id subinfert paulò pòst, *Necesse est igitur eum, qui diuinas audire scripturas, & nosse desiderat, omni labore contendere, vt non iuxta carnem, & sanguinem conuersetur, sed spiritali cupidine, & amore accendatur, quò spiritalium arcanorum dignus fieri possit.* Quamobrem si in simplici, ac puro ipsius literæ sensu persistere velimus, & non ad intimam spiritus medullam penetrare, quis non videat, nullum salutis emolumentum, at plurimum detrimenti, nos hinc reportaturos? *Litera enim occidit, spiritus autem viuificat.* Verum si sub literæ cortice, sacrosanctos, atque diuinos sensus, mysticè reconditos Dei optimi maximi lumine illustrati perscrutari voluerimus, non turpem sanè, & meretricium, at honestum esse, & castum, sponsi, & sponsæ, hoc est, Christi, & Ecclesiæ amorem allegoricè intelligemus: Ita inquit Diuus Gregorius Papa in sua præfatione super Cantica. *Debemus in verbis exterioribus, & corporeis, quicquid interius est, & spiritale quærere, loquentesque de corpore extrà corpus fieri, ut ad nuptias sponsi, & sponsæ, cum veste nuptiali, nimirum cum intellectu charitatis veniamus, ne si ista careamus, ab hoc conuiuio, in exteriores tenebras, seu potius in ignorantiæ cæcitatem repellamur; litera enim occidit, spiritus autem viuificat.* O impium, & consceleratum Castalionem, qui, sicuti numquam credidit, mysticos Christi & Ecclesiæ amores in hoc Cantico describi, sed de venereis, ac profanis Salomonis, eiusque amicæ Sunamithis amoribus, amatorium colloquium texi, ita hunc libellum inhonestis lenociniis contaminauit, & profanis locutionibus, adeò impudicè, obscœneque deturpauit, ac si meretricum, & lenonum colloquia editurus fuisset, tertio penè verbo, diminutas quasdam, lubricas, ac molliter tinnulas voculas inculcans, veluti illæ sunt, *Huc ades ò mea sororcula, mea amicula, mea columbula;* & istæ *Quàm pulchra es, ò delicatula, ostende mihi tuum uulticulum, fac ut audiam tuam uoculam, nam & uoculam habes uenustulam, & uulticulum habes lepidulum*, & huiusmodi aliæ his persimiles. Nos ergo simplicis literæ paleam iumentis, hoc est terrenis hominibus relinquentes, ipsius spiritus frumentum, tamquàm homines, & catholici degustemus; & quamuis generalem D. Augus. regulam habeamus, vt nisi vrgeat, immo nos impellat manifesta necessitas, à certa, vsitataque vocabulorum significatione nullo pacto recedendum sit, ne historica narratio corrumpatur, alteram tamen eiusdem sancti regulam habemus, ex aduerso nos docentem, scripturam sanctam hoc habere singu-

lare,

lare, vt vnus, & idem locus, non modo plures ſenſus diuerſi generis admittat, nimirum literalem, & allegoricum, verum etiam plures literales, & plures allegoricos, modò his ſenſibus, ipſa rerum veritas, verborumque ſignificatio aſtipuletur. Cum autem in hoc Cantico canticorum, ſex explanationis genera prodiiſſe legamus: Primum eorum, qui totum ſecundum literam occidentem de amoribus Salomonis, & filię Pharaonis, ſeu Abiſag Sunamitidis interpretantur; Secundum eorum, qui illud eſſe colloquium inter Salomonem, & Remp. Iudæorum exponūt; Tertium eorum, qui ad librum Martiani Capellæ alludentes, de nuptiis Philologiæ, & Mercurii inſcriptum, inquiunt hoc Cant. Epithalamium eſſe ſapientis, & ſapientiæ inuicem colloquentium; Quartum eorum, qui hunc libellum Epithalamium eſſe Chriſti, & Eccleſiæ, allegoricè affirment. Quintum eorum, qui hunc eundem librum, tropologicè exponunt de amore animæ ad Deum, & viciſsim Dei ad animam. Sextū tandem eſt eorum, qui in hoc Cantico Mariæ matris Chriſti, & Chriſti filii eius, mutua colloquia, iucundè lepidèque enarrant. Nos, qui tres priores ſenſus tanquam à veritate Catholica alienos reiicimus, tres alios poſteriores, tanquam ſanctorum Patrum interpretationibus conſonos, iure optimo approbandos cenſemus; Veruntamen communiorem ſanctorum Patrum ſententiam inſequentes, in quarto ſenſu duntaxat, hoc Canticorum canticum de mutuo Chriſti, & Eccleſiæ amore, allegoricè explicabimus. Ad hæc igitur ſacroſancta diuinarum ſcripturarum ſtudia capienda, animum præparemus, & in ſcholæ diuinæ veſtibulum illoti non irrumpentes, ſed à uitioſis affectibus purgatam mentem afferentes, & quodam religioſo Dei Opt. Max. timore præditam habere eandem omnino elaboremus. *Timor enim Domini,* Vt Regius ille vates aiebat, *Initium eſt Sapientiæ*. Cæterum timori Dei adiunctum ſit ardens pietatis non cognoſcendæ ſolum, verum multò magis exercendæ deſiderium, nam vt inquit Apoſtolus, *Scientia inflat, charitas autem ædificat*. Et de præludiis hactenus.



PROSPERI ROSSETTI SERVITAE

In primum Canticum canticorum Salomonis Prophetæ, Explanatio.

LECTIO NONA,

Osculetur me osculo oris sui.



HOC generale Salomonis Prophetæ Canticum, ex operis subiecta materia, cùm decem de Christo sponso, & de eius sponsa Ecclesia, augusta mysteria hic explicentur, in decem etiam particularia cantica distingui, in quinto præludio ex Iacobi Valentini sententia, satis superque demonstrauimus; In quorum primo, vt audistis, dum omnes de redemptore Christo uenturo pollicitationes, Patriarchis, & Prophetis Sanctis, à Deo optimo maximo factas, illudque summum desiderium filiorum Israel in Aegyptoriam diù commorantium, & à crudeli Pharaonis seruitute liberari postulantium. Salomon contemplatur, maximum omnium Christi fidelium tàm viuentium quàm mortuorum, in Limbo existentium præuidit desiderium, quippe qui Christum toto corde rogantes, summoperè cupiebant, vt ad genus humanum à peccati seruitute redimendum veniret. Verùm cùm in hoc primo cantico, non solum sponsa Ecclesia, sed Christus etiam sponsus mutuò inter se colloquentes à Salomone inducantur, in duas principes partes illud secari existimo, in quarum altera, septem diù de

siderata,

ſiderata, à ſponſo, ſponſa implorat, in altera verò ſponſus omnibus ſponſæ votis aſpirãs illi cumulatè ſatisfacit, dũ inquit, *Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres, etc.* Primò enim expoſtulat ſponſa, vt per legatos, & nuncios non amplius eam alloquatur ſponſus, at ipſe veniat, ipſe corãm loquatur, ipſe oris ſui oſculo eam oſculetur, quia meliora ſunt vbera eius vino, fragrantia vnguentis optimis. Secundo petit vt eam ipſius manu apprehenſam poſt ſe trahat ſponſus, ut vnà cùm adoleſcentulis in eius vnguentorum odorem celerrimè currat, *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Tertio deſiderat in ipſius ſponſi thalamum ſe introduci, & ingentes, qui ibi reconditi ſunt ſapientiæ Dei theſauros contemplari. *Introduxit me rex in cellaria ſua, exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum.* Quarto rogat ſub gentium plebis perſona in tamdiu deſiderato ſponſi Chriſti aduentu ſe nigram ſanè, at formoſam, vnà cùm Iudaica Synagoga ſociari; *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.* Quinto expoſcit ab idololatriæ nigrore, ac uariorum erratorũ ſordibus Chriſtianæ fidei candore dealbari; *Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.* Sexto cupit ſuauiſſimo ſacramentorum, ac fidei articulorum pabulo, gregis inſtar errantis, à Chriſto paſtorum principe paſci; *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas.* Septimo tandem flagitat ſponſa, ut ſub umbra ſponſi recepta, ibi tandem quieſcat in meridie, & beata cum illo æuo ſempiterno fruatur, *Vbi cubes in meridie, nè vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Hæ ſunt auditores, petitiones ſeptẽ, æquę ſanè & honeſtę in quibus ſpõſa Chriſti Eccleſia primò ſub Synagogæ, mox uerò ſub gentium plebis perſona, in hoc primo Cantico, ſatis à ſponſo Chriſto ſibi factum eſſe implorat.

Ad primam igitur ſponſæ poſtulationem explicandam accedens, quæ huiuſmodi eſt. *Oſculetur me oſculo oris ſui*: illud in primis uobis animaduertendum cenſeo, quòd in tertia prælusione de methodo, uiaque doctrinæ, à Salomone Propheta in hoc opere ſeruanda, declaraui, nimirum ſub triplici metaphora nunc ſponſi, & ſponſæ; nunc paſtoris, & gregis, nunc agricolæ, & uineæ, Chriſtum & Eccleſiam ſe inuicem compellantes à Salomone quaſi in comicam aut tragicam ſcenam, in hoc Canticum canticorum induci: nunc verò primo loco in ſcenam prodit eccleſia, ſub regio ſponſæ indumento, & à Chriſto ſponſo, optatis nuptiis breui potitura, oris ſui oſculo, ſupplex oſculari exorat, inquiens: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Et certè in ſcripturis ſanctis etſi centum atque mille reperiantur ſimilitudines, ſub quibus admirabilis verbi Dei incarnatio, quam in his uerbis ſponſa expoſcit, allegoricè nobis explicatur, nulla tamen eſt aut aptior, aut dignior iſta, in qua ſub pudico ſponſi, & ſponſæ connu-

bio, à Salomone Propheta declaratur: ita sentiunt Sancti patres, Prophetæ, Apostoli, atque Ecclesiæ Doctores Græci & Latini; ut Dauid in Psal.18. *Tanquam sponsus dominus procedens de thalamo suo*, ut Salomon sapientiæ cap.8. *Hanc amaui, & exquisiui sponsam mihi assumere.* ut Isaias cap.62. *Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus*. ut Ioel cap.2. *Egredietur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo*. ut Oseas cap. 2. *Desponsabo te mihi in sempiternum, & desponsabo te mihi in iustitia & fide.* ut D. Matthæus, cap.9. *Non possunt filij sponsi lugere, quàm diu cum eis est sponsus*. ut D. Marcus cap.2. *Nunquid possunt filij nuptiarum quamdiu cum illis est sponsus ieiunare?* ut D. Lucas, cap.5. *Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare?* ut D. Ioannes cap.3. *Qui habet sponsam sponsus est.* ut D. Paulus in epist. quam scripsit ad Ephesios cap. 5. inquit. *Sacramentum hoc* matrimonii uidelicet, *magnum est*, & subiungit, *Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Vt Origenes hom.20. super Num. *Matrimonium*, inquit, *quo relinquitur pater & mater, & adhæretur vxori, typus est coniunctionis Christi & Ecclesiæ, sunt enim duo in carne vna, quoniam ex Christo capite & Ecclesia fit vnum corpus*. Vt D. Augustinus primo libro quæstionum Euang. cap.31. *Nuptias vocat mysterium incarnationis, quo verbum caro factum est.* Vt D. Gregorius Papa homil.38. super D. Matth. cap.22. dicentem, *Simile factum est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo*. *In hoc* ait Diuus Gregorius, *Pater Rex filio nuptias fecit, quando ei per incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociauit.* Vt demum D. Basilius libro de Spiritu sancto ca.8. Diuus Hieronymus, cap.62. D. Bernardus sermone secundo super Cant. canticorum, Rupertus Abbas super Oseam cap.2. & D. Fulgentius epist.3. & in serm. de Nuptiis celebratis in Chana Galilęę, qui unanimi omnes consensu asseruerant, sponsum dici Christum, qui desponsauit sibi Ecclesiam, quando Verbum caro factum est.

Et quis uestrũ, auditores, non ingenuè fateatur, hoc admirabile incarnationis mysterium, sub pulcherrima casti coniugii, hoc est pudicorum sponsi & spõsæ methaphora, iucundè lepidèq; explicari? Etenim præter quàm quod sanctorum patrum auctoritas hoc confirmat, omnes etiam, & singulas sponsi, & sponsæ conditiones, & qualitates in Christo, & Ecclesia mirificè reperiri, ex hoc eodem Cantico canticorum colligimus; sponsus enim & sponsa eximia pulchritudine decori esse debent; & quid Christo & Ecclesia pulchrius ob gratiæ plenitudinem, quam acceperunt à Deo? *Ecce tu pulcher es amice mi, & decorus, Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Sponsus in regali solio sedens sponsam sibi a dextris assidentem semper habet, & Ecclesia, per æternam Dei

præde-

destinationem,in cælesti paradiso Christo semper assidet, *Astitit Regina à dextris tuis.* Sponsus sponsæ & sponsa uicissim sponso honorum, ac dignitatum titulos impartiuntur; & quis non uideat Deum hominem factum esse, & hominem Deum? Christus sanè Rex est & Sacerdos, & de Ecclesia dicitur. *Vos estis gens sancta, regale sacerdotium.* Sponsus osculari sponsam, eamque modò sinistra, modò uerò dextera manu amplecti debet, & Ecclesia dulcia pacis oscula, postquàm scelerum suorum se pœnituit, & iucundos uariarum uocationum amplexus, aut sinistra afflictionum, aut dextera beneficiorum manu, à Christo sponso suscipit. Audite, *Osculetur me osculo oris sui. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Sponsus magnificentissimis sponsam donat muneribus, regiis monilibus, & preciosibus uestibus, & Ecclesia magnificentissimis illis septem Spiritus Sancti donis regiis ipsius Christi meriti monilibus, & preciosis sanctarum uirtutum uestibus, à Sponso Christo donatur, audite, *Et dedit dona hominibus, Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento, In vestitu deaurato circundata varietate.* Sponsus denique & sponsa nunquam aut corpore, aut animo separati, semper vnà esse debent, & Christus Ecclesiam alloquens dicit, *Ego ero vobiscum vsque ad consummationem sæculi*, & uicissim de Christo inquit Ecclesia, *Tenui eum nec dimittam eum:* Proh Deus Opt. Max. & quę profectò sunt in regali connubio requisita, quæ in hoc Christi & Ecclesiæ diuino coniugio splendidè non reluceant? Flores adsunt lectissimi, suauissimus unguentorum odor, lectulus auratus, aquarum benè olentium laquearia, blandissimæ cantiones, delicata conuiuia, preciosissimi horti, & pudicissimus deniq; thalamus. Desideratis auditores, in hoc diuino Christi & Ecclesiæ cõnubio hæc omnia re ipsa cognoscere? Adsunt sanè adsunt & lectissimi bonorũ operũ flores. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo;* adest & suauissimus Sãctarum orationũ odor. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Adest & auratus cęlestium contemplationum lectulus. *In lectulo meo per noctem quæsiui quem diligit anima mea.* Adsunt & benè olentia baptismatis, ac pœnitentię laquearia. *Laquearia nostra cypressina. Puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Lybano.* Adsunt & blandæ diuinarum laudum cantiones. *Sonet uox tua in auribus meis, Vox enim tua dulcis.* Adsunt & delicata sacrosanctæ Eucharistiæ conuiuia; in quibus corpore, sanguine, anima, & diuinitate sui sponsi Christi Ecclesia sponsa pascitur, & nutritur. *Comedite amici, bibite & inebriamini carissimi.* Adsunt & preciosissimi cęlestis Paradisi horti. *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Et denique adest castissimus uirginei uentris thalamus. *Tanquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo.* O præclarum, & pulcherrimum

sponsum

sponsum Christum, ò præclaram, & pulcherrimam sponsam Ecclesiam quæ iampridem ab orbe condito, summi patris filio desponsata, & longioris moræ impatiens, supplex illum exorat, vt non amplius Prophetarum, & Patriarcharum, non amplius Sacerdotum, & Regum, sed oris sui osculo eam osculari velit, inquiens. *Osculetur me osculo oris sui.*

LECTIO DECIMA,

Osculetur me osculo oris sui.

SICVT Ecclesia Dei, etsi à mundi esse cœpit exordio, & iampridem patris æterni filio desponsata, per Patriarchas, & Prophetas sanctos, in spem nuptiarum indubitatam deducta fuit; nihilominus ne fortè adolescentula pateretur aborsum, non nisi in temporis plenitudine, cœpit esse nubilis & habilis viro, ita & vnigenitus Dei filius quàmquàm ab ipsa æternitate absque vllo tum temporis, tum naturæ exordio ex patre nòn factus, nec creatus, at illi coæternus, coæqualis, & consubstantialis, genitus fuit, tamen ne fortasse humana natura plusquàm par esset ad tantã extolleretur diuinæ vnionis dignitatem, non nisi in vtero Virginis matris receptus, sponsi rationem habuit. Quare cum per tot tantaque annorum sæcula, hoc est, non per annos ter mille septingentos, ac sexagintá, vt recentiores Iudæi putarunt, qui librum sequuntur inscriptũ: *Seder Olam*; non per annos ter mille, nongentos, ac sexaginta, vt prisci Hebræi Philonis opinionem sequentes asseruere; Non per annos quinquies mille ducentos, vt nonnulli ex Græcis patribus cum Eusebio Cæsariensi existimarunt; Non per annos quinquies mille, tercentos, & viginti quinque, vt alii Doctores Græci, vnà cum septuaginta interpretibus affirmarunt; Non per annos quinquies mille, centum, nonaginta, & sex, vt quidam patres Latini ex D. Isidori sententia asseuerarunt; Nõ per annos quinquies mille, centum, nonaginta, & nouem, vt quàm plures alii cum Beda Venerabili, opinãtur; Non p annos quinquies mille, tercentos, viginti, & octo, vt aliqui ex Astronomis cum Albumasare censere videntur; Non denique per annos sex mille, nongentos, octoginta, & quatuor, vt quidam alii Astronomi cum Alphonso dixere; Sed per annos quater mille, & viginti, vt ex Iacobo Naclanto, capit. 4. Præludiorum de Christi arcanis, satis eruditè colligitur: Nam licèt à mundi exordio vsque ad Abrahami tempora, bis mille & octo, & ab Abrahamo ad Christum conceptum bis mille viginti, & septem anni colligantur, ex quibus quater mille, & triginta quinque annorum nume-

rus completur; quoniam tamen antiquorum patrum ætates, ex quibus tot annorum excipitur summa, ad uiuum non credimus à Chronographis resecatos fuisse, ita vt non rarò dum multorum Patrum Geneses referrent, & dies, & menses dissimulare potuerint, non immeritò nos, & illum octo, & istum septem annorum numerum negligentes, à tota annorum summa, qui à prima mundi origine, vsque ad diuinum Christi conceptum defluxere, quindecim tantum annos, ob minutias à Chronographis neglectas, remoueri posse putamus. Cũ igitur per tot tantaq; annorum secula, sponsa Ecclesia sponsi Christi aduentũ præstolaretur, ardenti illius amore flagrãs, & longioris moræ impatiẽs; in hæc tandem suauissima verba erupit. *Osculetur me osculo oris sui* Ac si diceret ab orbis quidem initio, ò bonæ Deus, in ipso principio, hoc est in verbo tuo, quòd est omnium rerum artifex omnem habens virtutem, ex quo omnia, in quo omnia, & per quod omnia facta sunt, ad tui imaginem, & similitudinem non ex tui iussione ab Angelis, sed manuum tuarum opus, à te ipso creata, tot preciosis, tum naturalibus, tum gratuitis muneribus, iustitia scilicet originali, arbitrii libertate, corporis immortalitate, gratia gratum Deo hominem faciente, & honorifico super omnes creaturas imperio insignita, in deliciosissimaq; voluptatis paradiso posita, vnigenito filio tuo, sub illis uerbis, quæ Genesis cap. 2. leguntur. *Propter hoc relinquat homo patrem, & matrem & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, desponsata fui; At me miseram, uix tertia, aut septima, ut alii uolunt, humani generis constitutionis hora transacta, calamitoso quodam casu, hoc est grauissima primi parentis noxa, Dei similitudinem ex toto, & imaginem ex parte deposui, hinc donis gratuitis expoliata, & naturalibus comminuta, iustitiam mihi congenitam amisi, arbitrii libertatem attenuaui, mortis necessitatem induxi, diuinæ gratiæ iacturam feci, omnibusque malis, sub horribili dæmonis seruitute, subiecta, sub lege peccati captiua, & subdito mortis imperio constituta, ex regia paradisi aula eiecta, in hunc quasi carcerem mundi tenebrosum, tàm diu inuita detineor, *Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis*. Etenim carnis meæ ergastulo addicta, quod operor non intelligo, & non quod volo bonum, hoc facio, sed quod odi malum ex me ipsa hoc operor. O casum acerbum, & miserandum, neque naturæ præsidium, neque legis adiumentum, neque Prophetarum consilia, neque sacerdotum officia me infœlicem adolescentulam a tot tantisque calamitatibus, & miseriis vnquam eripere potuerunt; Infirmitatis igitur

tur ex naturali lege, & ignorantiæ ex Mosaica turpi iudicio, sed iusto conuicta, in sola vnigeniti filii tui gratia, meorum omnium malorum remedium positum esse animaduertens, & manibus supinis, & toto corde supplex te æternum illius patrem oro, ut tuiipsius oris osculo me tandem osculeris. *Osculetur me osculo oris sui*. Quamdiu enim ultionum Deus mihi irasci, ac succensere persistes?

Quamdiu iratus tot me miseriis, & calamitatibus afliges? Quamdiu luctu, atque mœrore me profligatum humi iacere sines? Quamdiu in thesauris tuis summa tui benignitas se continebit? Aperi Domine, aperi oculos tuos, & sponsæ tuæ aflictionem vide. Nonne ab impiis gentium populis, nonne à crudelissimis terrarum tyrannis, & à Pharaone per annos quadringentos supra triginta in Aegypto, & à Nabuchodonosor per annos septuaginta in Babylonia, intoleranda seruitute maximisque ærumnis depressa, centum ac mille passa sum incommoda? Et quid est in calamitate residui, quod ad me miseram per summam iniuriam ignominiamque non peruenerit? Ab ipsamet ætatis meæ infantia, pueritia, adolescentia, in Abel occisa, In Noe neglecta, in Abrahamo peregrinans, in Mose maledictis afflicta, in Aaron calumniam perpessa, in Hur obstrictis faucibus perempta, in Iosue bello profligata, in Dauide fame ferè enecta, in Helia spe salutis quasi destituta, in Helisæo à pueris delusa, in Isaia gladio secta, in Hieremia putrido in luto volutata, in Daniele Leonibus dilanianda exposita, in Michæa ferreis virgis percussa, in Naboth lapidibus obruta:, & tandem in omnibus amicis sanctis, flagellis verberibusque vexata; Nec vnum equidem per annos quatuor mille, & viginti, iucunditatis, aut solatii diem habui. Misisti aliquando o generis nostri optime conditor, seruum tuum Mosem, at si lingua hęsitas erat, ut qui fieri potest, vt perfectè me erudiat; Mox Isaiā misisti, verum si labia eius erant immunda, poterat nè a peccatorum sordibus me expurgare? Demum sanctum ad me misisti Hieremiā, sed si puer est, & nescit loqui, quid ab eo discere poteram; Tu tu ò pulcherrime sponsæ, lingua Dei, vox & verbum æterni patris. Qui diffusam habes gratiam in labiis tuis, Tu qui verba vitæ æternæ habes, tu cuius sermo viuus est, & efficax, tu veni, tu descēde de cœlo, tu sacro oris tui attactu me expia, tu roseum, ac diuinum os tuum meo iungas ori, & mille mihi figas basia: *Osculetur me osculo oris sui.* Inde profectò erant querulæ illæ, ac plenæ honesto murmure sanctorum patrum voces, inde erant anxię illę & plenæ pietate Patriarcharum, Prophetarum, Regum, & Sacerdotum preces, Ita Moses Dux Deum deprecabatur. *Obsecro Domine mitte quem missurus es.* Ita Aaron Sacerdos. *Inclina Domine cœlum, & descende,* Ita Dauid Rex. *Ostende nobis Domine miseri-*

misericordiam tuam , & salutare tuum da nobis. Ita Isaias propheta. *Veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ Israel.* Ita demum Salomon Rex, & Propheta Deum obsecrabat dicens. *Osculetur me osculo oris sui.* Et sanè hæc sponsæ Ecclesiæ verba, omnes tum Latini, tum Græci huius libri interpretes ita exponunt. Audite D. Thomam Aquinatem, & doctum Haymonem, *Vox est Synagogæ desiderantis aduentum Christi, quasi diceret toties mihi aduentum suum promisit per Prophetas; Veniat ergo iam, & osculetur me osculo oris sui, hoc est per se ipsum mihi loquatur.* Audite Hugonem Cardinalem, *Osculetur me Deus pater, osculo oris sui, idest vnione filij sui, nimirum ad reconciliandum me Deo, non Angelos, non Patriarchas, non Prophetas mittat, sed ipsum filium in propria persona mittat.* Audite Diuum Bernardum ibidem secundo sermone. *Non audio iam Mosem, impeditioris siquidem linguæ factus est mihi, Isaiæ labia immunda sunt, Hieremias nescit loqui, quia puer est, & Prophetæ omnes elingues sunt, ipse Deus loquatur nobis, ipse osculetur me osculo oris sui.* Audite Bedam venerabilem. *Synagoga Dominum venire in carnem desiderat, & venienti deuota charitate occurrit dicens. Osculetur me osculo oris sui, hoc est obsecro ad me exaudiendum, non semper Angelos non Prophetas destinet, veniat iam aliquando ipse, qui tamdiu promissus est, & proprio me ore alloquens confortet.* Audite Diuum Hieronymum, seu potius Origenem homilia prima super Cantica. *Ad te patrem sponsi mei precem fundo, & obsecro, vt iam non mihi per ministros suos Angelos, & Prophetas loquatur, sed ipse per semetipsum veniat, ipsum audiam, loquentem, & docentem.* Audite demum Origenem in prioribus commentariis homilia prima. *Orat sponsa sponsi patrem & dicit ad eum, quousque sponsus meus mittit oscula per Mosem? mittit oscula per Prophetas? iam ipsius ora contingere cupio, ipse veniat, ipse descendat, ipse osculetur me osculo oris sui.*

LECTIO VNDECIMA,

Osculetur me osculo oris sui.

NON est profectò auditores, vt admiremini, si ita bruptum est dramatis huius initum, quandoquidem sponsa præ ui amoris, ac animi perturbatione, de more amantium nec modum, nec orationis perspicuitatem in amoris significatione seruat; Illud potius sanè est admirandum, cur scilicet quod vno, aut paucioribus verbis dicere poterat, pluribus explicare puella nostra voluerit, pulcherrima vtens figura, quam Græci Periphrasim, Latini verò cir-

rò circuitionem appellant. Nonne enim satis erat dicere, *Osculetur me?* aut etiam, *Osculetur me ore suo?* cur ergo ex tam morosa verborum repetitione dicit. *Osculetur me osculo oris sui?* Dicerent fortasse recentiores nonnulli, hanc verborum circumlocutionem amoris vim premonstrare, & Hebraicam Emphasim, qualis etiam illa est apud Isaiam Prophetam *Morte morieris*, pro eo quod nos dicimus *Omnino morieris*, Ita ut hoc etiam in loco huiusmodi dictum, *Osculetur me osculo oris sui*, pro eo quod est, *Omnino me osculetur*, accipiendum sit; Alii verò aiunt, & præcipuè Diuus Bernardus sermone secundo super Cant. canticorum, ex sponsæ humilitate hoc factum esse, quippè quæ dicere non præsumebat, *Osculetur me ore suo*, hanc singularem prærogatiuam humanæ illi naturæ particulari adseruans, cui semel os Dei nunquam ab ea disiungendum, in temporis plenitudine vnitum fuit; & ob hanc causam sponsa Ecclesia, hoc est genus humanum non *Ore Dei* quod proprium est Christi hominis assumpti, at humilius *Osculo oris sui osculari* exposcit; Diuinum etenim verbum, quod Dei os est, non totam in generali naturam humanam, sed vt inquit D. Ioannes Damascenus libro tertio de fide orthodoxa, at homo hoc est in indiuiduo illam assumpsit. Ego uero miro quodam artificio Salomonem Prophetam hac verborum circuitione hic usum fuisse dicere, ubi de ineffabili uerbi Dei incarnatione loquitur; quam quam enim sola filii Dei persona hominem ad diuinam assumpsit hypostasim, ita ut solus etiam filius uerus homo & uerus Deus dicatur, & sit, tota tamen diuinarum personarum Trinitas hoc admirabile opus effecit, cum omnia Dei optimi maximi opera externa, ex communi Theologorum consensu, sint indiuidua, hoc est toti simul Trinitati communia, sicuti actiones eius internæ singularum personarum peculiares sunt, atq; propriæ. Declaro, generat quidem solus pater, & solus filius generatur; Rursus pater tantum & filius spirauit, & solus Spiritus sanctus utriusq; amor ab utroque, tamquam ab uno eodemque principio, unica productione emanat. At omnes simul diuinæ Trinitatis personæ, mundum crearunt, omnes simul ipsum gubernant; omnes denique simul diuini uerbi incarnationem tanquam unica caussa effectrix causarunt, licèt solus filius (ut scholastici aiunt) admirabilis huius unionis terminus, factus sit caro & homo; Vt igitur in his uerbis, ubi de hac admirabili operatione Dei externa uerba fiunt, non tantum filius, sed pater, & Spiritus sanctus tanti operis effectores ostenderentur, non dixit sponsa Christi Ecclesia, *Osculetur me*; quod est patrem significare, neque etiam inquit, *Osculetur me ore suo*, quod est patrem & filium simul præmonstrare, sed ait, *Osculetur me osculo oris sui*, quod est patrem, filium, & spiritum sanctum unum Deum ostendere: Ita ut Deus pater sit osculans, filius sit os, & spi-

& spiritus sanctus sit osculum: Sicuti enim osculum medio ore ab osculante procedit, ita quoque spiritus sanctus per filium à patre emanat; & sicuti os, animi nostri conceptus demonstrat, ita & filius paternæ mentis ac uoluntatis est declaratio: pater uerò osculans esse dicitur, quòd initium est, atque origo totius diuinitatis, & omnium fons diuinarum actionum, tàm interiorum, quàm externarum, siue absolutę sint, siue notionales, tàm necessariæ, quā contingentes: Quamobrem cum tota diuinarum personarum Trinitas, hoc admirabile incarnationis mysterium operata sit, non mirum si sponsa à patre, à filio, & à spiritu sancto se uoti compotem fieri expostulat; dicens, *Osculetur me osculo oris sui*. Sed audite rem pulchram, tria sunt quæ in se mutuò lepidèque osculantibus expostulantur, nimirum ut utriusque oris labia copulentur, ut interiores anhelitus uniantur, ut ipsorum se osculantium corpora conglutinentur, quæ sanè omnia in hoc diuino incarnationis osculo perspicuè reperiuntur; adest enim labiorum, hoc est diuinæ & humanæ naturæ copulatio, adest etiam anhelituum diuini scilicet & humani spiritus, unio, adest demum corporum, idest perpessionis & gloriæ, conglutinatio. Audite. *Et Verbum caro factum est*. en utriusque naturæ copulatio; Diui Ioannis, capi. primo: *Qui adhæret Deo unus spiritus est*. En amborum spirituum unio, priori epist. ad Cor. script. cap. 6. *Si compatimur, ut conglorificemur*, en perpessionis & gloriæ conglutinatio. Rom. cap. 8. en demum omnia tria simul sub hac pulcherrima oris Dei osculi metaphora à sponsa Christi Ecclesia nobis explicata, *Osculetur me osculo oris sui*. Verum, & qui fieri potest, ut sponsus sponsam lepidè osculetur, nisi duo in utriusque amantis ore rosea labra adsint? Hæc quidem ut in hoc loco Hugo Cardinalis eruditè animaduertit, in ore Dei osculantis diuina est misericordia & iustitia, in ore uerò sponsæ deosculatæ est amor, & timor, ita ut labra timoris, & amoris in Ecclesia sponsa, labris conglutinentur iustitiæ atque misericordiæ in ipso sponso Deo optimo maximo. Et sicut ex duplici ore, hoc est ex quatuor amantium labiis simul iunctis, efficitur osculum, ita ex admirabili naturæ humanæ unione cum diuina, id est ex Dei misericordia & iustitia cum hominis amore & timore copulatis, iucundissimum incarnationis osculum inter Christum sponsum, & sponsam Ecclesiam oriri minimè dubitandum est: Et profectò non aliud os, nisi diuinum, ad alia oris labra nisi Dei misericordia & iustitia, non aliud denique osculum, nisi mediator Dei, & hominum Christus Iesus amissæ reconciliationis gratiæ inter Deum & hominem caussa esse poterat. O rem sacris plenam mysteriis, neminem uestrum auditores hic adesse existimo, qui aut non legerit, aut saltem ab aliis non audiuerit, nō dicam à sacerdotibus Aegyptiorū; aut ab Ethnicis poetis, sed à patribus

Eccle-

Ecclesiæ eruditissimis, Dei gratiam, sanctumque amorem, per columbam symbolicè designari; quòd mutuis sese osculis suauientur columbæ: Origenes enim citat Apostolum Paulum, qui de charitate loquutus columbam protulerit, & D. Cyprianus tam uitæ sanctitate, quam dicendi facundia clarus, in iis, quæ aduersus Nouatianum hæreticum scripsit, *Idcirco* (ait) *sub columbæ specie spiritum sanctum super caput Christi descendisse, quæ animal simplex est atque lætum, non felle amarum, nec morsibus sæuum, quoniam oris osculo concordiam, pacem, amoremque præmonstrat*; Immò uerò, ipsemet Dominus noster Iesus Christus, apud Diuũ Lucam cap. 7. dum frigidam, ut ita dicam charitatem, sui potius amorem in hospite Simone exprobrat, osculi metaphora utens, osculo se ab illo exceptum nõ fuisse conqueritur, Magdalenæ uerò ipsius pedes osculanti peccata dimittit, suamque illi gratiam largitur, dicens. *O Simon osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos, propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa quia dilexit multum*. Et quis uestrum ignorat, Romæ, in hæc usque tempora, ritu solemni, a sanctissimis illis patribus per mutuas exosculationes pacis augurium celebrari? est mehercule, ipsius oris osculum pulcherrimum pacis, amoris, & gratiæ symbolũ. Cum igitur à sponsa Christi Ecclesia amoris, & amissæ gratię reconciliatio inter Deum & hominem, per diuini Verbi incarnationem, efficienda expostuletur, quid mirum si sub osculi metaphora pulcherrime petitur? *Osculetur me osculo oris sui*; Ita inquit D. Bernardus sermone secundo. *Et quidem est iucundum eloquium quod ab osculo pacis signo, initium sumit*; at ueniæ quoque, & erratorum relaxationis symbolum à sanctis Patribus dicitur esse osculum, præcipuè uerò à Diuo Bernardo sermone 4. super Cant. ubi tria osculorum genera proponit, pedis. s. manus, & oris, in osculo sanè pedis Domini, nostræ conuersionis primordia declarantur, in osculo manus, nostri progressus perseuerantia exprimitur, & in osculo oris, nostræ perfectionis status demonstratur, nam qui pedes Domini osculantur, sunt incipientes, qui manus, sunt proficientes, et qui os, sunt perfecti, ut igitur spõsa Christi Ecclesia, non de quocunque osculo se loqui, nos admoneret, prouidentissimè oris osculum implorat, dicens. *Osculetur me osculo oris sui*. Quod quidem oris, non manus, nec pedis domini osculum iure optimo sponsam petere arbitror, cum tàm diu desideratum tanque honorificum Messię aduentum implorare non incipientium sit, neque proficientium, sed perfectorum munus. Et quid si dixerimus sub oris osculo, pedis etiam, et manus oscula contineri? In quolibet enim rerum omnium genere, datur unum primum, quod cum cęterorum omnium sit mensura, ex quadam uirtutis excellentia singula sub se contenta, in se solo comprehendere

dere dicitur; quapropter cum in genere osculorum, oris osculum primum sibi vendicet locum, non mirum est, si Dei sponsa dum oris suauium petit, manus etiam basium, & pedis osculum contendit: Rem adhuc dilucidius explico, serui cum noxæ veniam a Dominis petunt eorum pedes osculari solent, pauperes à diuitibus munus accipientes eorum manus osculantur, inimici homines, si quando controuersiam dirimentes pacem inter se conciliant oris osculis se mutuo suauiari consueuerunt, nos serui sub peccati lege venundati, nos pauperes ex cœlesti diuitiarum domo abducti, nos denique gratia Dei amissa, illius inimici eramus, at in hac vnigeniti filii Dei incarnatione, quam sponsa Ecclesia in his verbis exposcit, *Osculetur me osculo oris sui*, & peccatorum veniam, & cœlestium diuitiarum donum, & diuinæ gratiæ amorem læti, ac beati suscipimus, ita inquit Apostolus 1. Corinth. cap. 6. *Empti estis precio magno*. Ita inquit 1. Corinth. cap. primo. *In omnibus diuites facti estis*. Ita inquit Romanorum cap. 5. *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo*. Pedes igitur tamquàm serui, pristina libertate fruentes, manus tamquàm pauperes, omni diuitiarum copia referti, & os Domini tanquàm inimici in eius gratiam recepti, osculari debemus. Quamobrem dum sponsa ardenti petit desiderio oris Domini suauio osculari, manus etiam & pedis osculo suauiari exposcit, ò suauia ac venusta, immo verò blanda ac lepida pedis, manus, & oris Domini oscula: Hæc non impura sunt Cupidinis, & Veneris suauia, non casta dormientis Endymionis, & Dianæ basia, at sacra, & diuina sponsi Christi, sponsæq; Ecclesiæ oscula. Dicam etiam auditores, non petit honestissima sponsa voluptatis osculum libidinosum, de quo Prouerbiorum cap. septimo dicitur: *Apprehendit mulier fatua iuuenem, & deosculabatur eum*, non venenosum dæmonis osculum, de quo Diui Lucæ cap. vigesimo secundo legitur: *Osculo filium hominis tradis*, non domesticum amicorum basium, quod Genes. cap. vigesimo, senem Isaac à filio suo Iacob postulasse habemus, cum dixit: *Da mihi osculum fili mi*, sed diuinum petit charitatis osculum, de quo D. Paul. Romanorum cap. postremo ait: *Salutate, inuicem in osculo pacis*. Ita asseuerat Hugo Cardinalis in suis commentariis super Cantic. cant. *Non petit sponsa suauium, quod est meretricum, non basium, quod est coniugatorum, sed osculum, quod est amicorum Dei*, cùm inquit, *Osculetur me osculo oris sui.*

LECTIO XII.

Osculetur me osculo oris sui.

BLANDVM profectò (vt audiſtis auditores) atque iucundum eſt hoc ſponſæ eloquium, quod ab oſculo principium ſumit; at difficile quoque eſt, & arduum, quod in eo allegoricè latet myſterium: quandoquidem in his quinque vocibus; *Osculetur me osculo oris sui.* illud idem incomprehenſum incarnationis verbi Dei myſterium, à Salomone Propheta metaphoricè explicatur, quod in totidem etiam verbis à Diuo Ioanne in Euangelii initio palàm declaratur inquiente: *Et Verbum caro factum eſt.* Ne igitur huius auguſti myſterii altitudo ab eius tractatione nos retrahat, lepidi adeſt eloquii ſuauitas, quæ nos ad illud explanandum allicit. Ita inquit Diuus Bernardus ſermone primo ſuper Cantic. *Et quidem eſt iucundum eloquium quod ab oſculo principium ſumit, & blanda ipſius ſcripturæ facies facilè nos allicit ad legendum, ita ut quod in ea latet; delectet etiam cum labore inueſtigare, ne fortè fatiget inquirendi difficultas, vbi eloquij ſuauitas mulcet.* Et ſanè maxima eſt horum quinque vocum difficultas, vbi de ſacroſancto temporariæ filii Dei generationis myſterio, ſub pulcherrima oſculi oris Dei metaphora, pertractatur. Etenim Iſaias Propheta humanæ non ſolum linguæ inexplicabilem, ſed ab Angelica etiam mente incomprehenſam eam eſſe exiſtimauit, dicens; *Generationem eius quis enarrabit?* Ita hæc Prophetæ verba doctus Origenes, Diuus Ioannes Chriſoſtomus, Diuus Hieronymus, Diuus Ambroſius, Diuus Auguſtinus, & Diuus Hilarius vnanimi conſenſu interpretantur; Ita inquit Origenes prima hom. ſuper Diuum Ioannem, *Superuolitat beatus Ioannes Theologus non ſolum quæ intelligi, ac dici poſſunt, verum etiam illa quæ ſuperant omnem intellectum dum inquit: Et verbum caro factum eſt.* Ita inquit Diuus Ioan. Chriſoſto. ibidem cap. 1. *Verbum caro factum eſt, ſed quomodo factum eſt ignoramus, miraris quoniam ego neſciebam? omnis creatura ignorat: myſterium enim quod abſconditum fuit in omnibus ſæculis, in noſtro ſæculo reuelatum eſt, quod factum eſt, cæterum celatur quomodo factum ſit.* Ita inquit D. Hieron. ſuper Iſaiam, cap. 53. *Cum dicit Iſaias, Generationem eius quis enarrabit? aut de diuinitate eius accipiendum eſt, quod impoſſibile ſit diuinæ natiuitatis noſſe myſteria, aut de partu Virginis, quod difficulter exponi poſſit.* Ità inquit D. Ambroſ. in ſerm. de Chriſti die Natali. *Hodierna die ſecundum carnem natus eſt Dominus, ita ſecretò, ita cum ſilentio,*

vt ortum eius sæculum penitus ignoret. Ita inquit D.August.serm.8.de Christi Natiuitate: *Quis enarrabit, quomodo Deus de Deo sit natus, & Deorum non creuerit numerus? & istam quoque ex Virgine generationem, quis enarrabit, cuius conceptus in carne non carnaliter est factus?* Ita demum inquit Diuus Hilarius secundo libro de Trinit. *Quomodo Christus pudicissimo sanctæ Virginis vtero inseri potuit, nemo vnquam quantumuis doctus, absque diuina reuelatione, potuit plenè intelligere*. Verum quid Sanctorum Patrum auctoritates ad huius sacrosancti arcani difficultatem, & maiestatem comprobandam in medium adduco, si ipsamet diuini Verbi mater Maria Virgo tàm præclaram, atque excelsam filii Dei generationem, ab Angelo Gabriele æterni patris nuncio percipere nequit, & ait: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Immo verò & ipsemet Dei nuncius, tanti fortassè ignarus mysterii, aut noluit, aut non potuit, illud Deiparæ Virgini explicare, sed doctiorem se magistrum illi proponens inquit: *Spiritussanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*; O augustum mysterium, ò sacrum Sacramentum, ò diuinum arcanum hominibus occultum, & ab Angelis incomprehensum. Hæc carnis humanæ, ac diuini Verbi concors in vna hypostasi vnio, non percipitur à Grammatico. Hoc tam illustre, tamque admirabile humani encomii genus, vt homo dicatur & verè fiat Deus, non cognoscitur à Rhetore. Hæc veritas, vt qui ex ipsa æternitate Deus est, in temporis plenitudine absque vlla sui mutatione verè factus sit homo, non probatur à Dialectico. Hæc diuinæ personæ vnitas cum duabus naturis diuina scilicet & humana, sempiterno vinculo conglutinatis, non dinumeratur ab Arithmetico. Hunc nouum profunditatis, ac altitudinis modum vt cœlum inclinet se, & tangat terram, & terra vicissim erigatur vsque ad cœlum non metitur Geometra. Hic denique tàm suauis, & tàm admirabilis trium in vno Christo substantiarum carnis scilicet animæ, ac diuinitatis concentus, non auditur à Musico. Hinc tot falsæ opiniones, immo verò tot dæmoniacæ consceleratorum hominum hæreses emanarunt, quippe qui in hanc humanæ filii Dei generationis lucem clarissimam, absque Catholicæ fidei vmbraculo, temeritatis oculis respicientes, non solum hallucinati sunt, sed ignorantiæ, dicam etiam malitiæ tenebris obcęcati, maximo nominis dedecore, ac animi detrimento infęlicissimè corruerunt. Anno enim post Christum natum septuagesimo, vt refert Irenæus libro primo, cap. vigesimoquinto, Cherintus Christum esse dumtaxat hominem, & tunc incępisse dixit, quando ex Virgine natus, seu conceptus est homo; quam hæresim, variis succedentibus temporibus, amplexati sunt varii hæretici,

vt Ebionei anno octuagesimo, vt refert idem Irenæus ibidem cap. 26. & duo Theodosii iunior scilicet & senior, anno centesimo nonagesimo, vt refert Tertullianus de præscription. & Eusebius libro 5. cap. 27. & Beryllus Bostrorum Arabiæ Episcopus, anno 214. vt refert Eusebius libro sexto cap. vigesimosexto, & Paulus Samosatenus anno 265. vt refert Concilium Antiochenum, cuius sententiam proponit Sanderus sectione 53. & Photinus Syrmii, quod oppidum est in Illyrico, Episcopus, anno trecentesimo quinquagesimo, vt refert Epiphanius hæresi septuagesima prima, & tandem Mahomet. anno sexcentesimo quadragesimo, vt refert Concilium Toletanum quartum, cap. primo. Alii verò ex aduerso Christum verum Deum, sed hominem apparentem esse asseruerunt, vt Cerdon & Marcion, qui anno 140. vt refert Irenæus libro 3. cap. tertio, Christum dixere in phantasmate natum, & passum, quam deinde hæresim, anno 410. approbarunt Manichæi, vt refert Diuus Augustinus aduersus Faustum cap. 2. quidam autem, anno 145. dicere ausi sunt Christum certè esse verum Deum, at de cęlo carnem detulisse, non de Maria Virgine accepisse, vt Valentinus, ex Tertulliani lib. de Christi carne, & Irenæi testimonio lib. 3. cap. 3. quem anno 1187. sequuti sunt hæretici de Barulo, vt habetur in Concilio Lateranensi sub Innocentiò Tertio, cap. 1. & nonnulli alii, vt Appelles Marcionis discipulus, anno 170. affirmarunt, Christum verum esse Deum, sed in suo de cęlo descensu, aeream sibi carnem contexuisse, eandemque singulis elementis in ascensu reddidisse, vt refert Tertullianus de præscription. & Soterus Papa in Epist. quam scribit ad Episcopos Campaniæ. At Arriani Christum nec Deum, nec perfectum hominem esse asseuerantes, anno 315. dixere carnem sine anima illum suscepisse, vt refert Diuus Athanasius to. 3. de incarnatione Christi, in quorum etiam errorem anno 363. Actius Syrus, & Eunomius prolapsi sunt, vt referunt D. Athan. lib. de Synodis, & Basilius magnus lib. 1. aduersus Eunomium. Apollinaris autem Christum verum esse Deum censuit, sed hominem esse negauit, cuius errorem sequutus est Timotheus anno 380. hi asseuerarunt Christum suscepisse carnem, sine mente rationis compote, cum sola anima sentiente, vt referunt Eusebius lib. 11. hist. cap. 20. & Grego. Nazian. in Epist. 1. ad Celidonium, & D. Aug. hæres. 55. & Damasus Papa in Epist. ad Orientales, & Theodore. lib. 5. ca. 10. Et Nestorius anno 427. etsi Christum fatebatur esse verum Deum, illum tamen hominem tantum fuisse in vtero Virginis de Spiritusancto conceptum, & postea Deum cum homine fuisse permistum, ita vt duas in Christo personas esse diceret, diuinam scilicet & humanam, & naturarum in vnitate personæ copulationem negaret, vt referunt Concilium Ephesinum, & D. Aug. hæresi 89. & D. Gregor.

lib.4. Epist.32. ex quo Mariam Virginem non Deiparam, sed Christi hominis tantum matrem appellandam esse dicerent; quam nefariam hęresim Theodorus Mopsuestenus, Anastasius Imperator, & cæteri Nestoriani sequuti sunt, anno 430. & quaternitatem pro Trinitate impiè dogmatizarunt, vt refert Procus Constantinopolitanus Episcopus: Verum Eutyches Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyter, & monachus, asseruit Christum quidem verum esse Deum, & hominem, at in eius temporaria natiuitate, diuinam naturam cum carne mixtam fuisse dixit, ita vt veluti quædam tertia natura, ex vtraque conglutinata effecta fuerit, vt referunt Flauianus Archiepiscopus Constantinopolitanus in Epistola ad Leonem Papam, & Leo in episto.10. ad Flauianum, quam Acephali etiam hæresim anno 515. defendere conati sunt, vt referunt Nicephorus lib.18.cap.45. & Ioan. Maxentius in libello contra Acephalos, & Fulgentius lib. de Confessoribus, & Euthymius monachus 2. parte Panopliæ titulo 15. Et tandem Albigenses anno 1200. Christum nec verum Deum, nec verum hominem fuisse impiè asseuerarunt, vt habemus in Concilio Lateranensi cap.1. & apud D. Antoninum 4.p.Sum.tit.11. cap.7. O fatui homines & dementes, immò verò ò impii & conscelerati hæretici, qui leuibus humani ingenii pennis confisi, super æthera volitantes, & in altissimam huius splendidissimi Solis Christi sphęram penetrare audentes, nimia illius luce obruti, in vastissimas rupes apud inferos præcipites delapsi sunt: Verum Christum vnicum dominum nostrum, & verum Deum, & verum hominem esse, & veram hominis carnem, cum anima non solum viuente, & sentiente, sed intelligente etiam in Virginis matris vtero, Spiritus sancti virtute, accepisse, & in vnica tantum Diuini Verbi persona, vtramque naturam, diuinam scilicet & humanam, incomprehenso modo subsistere, omnes catholici patres tàm veteris, quàm nouæ legis, & vniuersa tandem Concilia tum generalia, tum prouincialia vnanimi consensu approbarunt.

O Cherinte, si Christus non est Deus, cur Diuus Ioannes cap.1. inquit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt. Et Verbum caro factum est?* cur inquit ipsemet Christus D. Ioann. cap.10. *Ego & Pater vnum sumus?* cur inquit de Christo Vox æterni patris in nube D. Matth. cap.17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?* cur inquit D. Petrus ibidem cap.16. *Tu es Christus filius Dei viui?* cur inquit Martha D. Ioann. cap.11. *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti?* cur inquit D. Ioannes Baptista cap.1. *Qui post me uenit, ante me factus est?* cur inquit Centurio D. Marci cap.15. *Verè filius Dei erat homo iste?* cur inquit D. Tho

mas Apostolus, D.Ioan.cap.20.*Dominus meus, & Deus meus?* cur inquit D.Paulus Philip.cap.2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualẽ Deo?* cur inquit idem Apostolus Hebræorum cap.1. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portat omnia verbo virtutis suæ?* cur tandem inquiunt dæmones ipsi D. Matth. cap.8. *Quid tibi & nobis Iesu filij Dei?*

O Manichei, si Christus verus homo non est, cur dixit Deus Abrahę Gen.cap.23. *In semine tuo benedicentur omnes gentes?* cur dixit Dauidi Prophetæ Psal.131. *De fructu Ventris tui ponam super sedem tuam?* cur dixit Angelus Mariæ Virgini D.Lucæ cap.1. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei?* cur dixit D.Ioan. in Euangelio cap.1. *Et Verbum caro factum est, & vidimus gloriam eius?* cur dixit Apostolorum Symbolum, *Natus ex Maria virgine, & homo factus est?* cur tandem dixit Christus de seipso D.Matth.cap.6. *Cum venerit filius hominis?* & D.Ioan.cap.14. *Pater maior me est?*

O Valentine, & qui fieri potest, vt Christus carnem de cęlo detulerit, & corpus habuerit cęleste, si famem patitur & sitim, si fatigatur ex itinere, si nascitur, & moritur? cęlestia enim corpora nulli subiiciuntur per pessioni, aut mutationi, nisi motui, qui est circa locum. Cur igitur de Christo dicitur D.Matthæi cap.5. *Cum ieiunaßet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt?* cur inquit ipsemet D. Ioan. cap.19. *Sitio?* cur dicitur D.Ioan.cap.4. *Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem?* cur denique de ipso dicitur in Symbolo, *Natus, crucifixus, mortuus, & sepultus?*

O Apelles, si Christus aeream naturam, & non humanam assumpsit, & quomodo uagit infans inter arcta præsepia? quomodo lachrymatus est Iesus? quomodo crescit, nutritur, & viuit? quomodo tandem de latere eius sanguis exiuit?

O Arriani, si Christus solam hominis carnem, & non animam assumpsit, quomodo verus homo est? cur non potius leo, aut bos esse dicitur?

O Apollinaris, eritne Christus verus homo, si solam animam sentientem, & non animam rationis compotem habuit? & quomodo si hoc verum est, Christus aperire potuit os suum, & docere discipulos? quomodo coràm Deo, & hominibus proficiebat sapientia? quomodo discipulis suis aperiebat sensum, vt intelligerent scripturas? quomodo puer docebat in templo? quomodo inquit, *In manus tuas commendo spiritum meum?*

O Nestori, nonne hallucinaris dum in Christo duas personas esse credis, sicuti sunt in eo duæ naturæ? Nam quomodo fieret idiomatum communicatio? quomodo diceretur Deus homo, & homo Deus? quomodo

modo D. Athanasius in Symbolo verum assereret, dum inquit de Christo: *Qui licèt Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus?* quomodo tandem tota canit Ecclesia, *Sancta Maria mater Dei ora pro nobis?*

O Eutyches, si Christus nec verus Deus esset, nec verus homo, tunc rueret illud, quod canit Ecclesia: *Id quod fuit permansit, & quod non erat assumpsit, non commixtionem passus, neque diuisionem.*

O impii & nefarii Albigenses, satis superque ex iis quæ dicta sunt, vestra quoque hæresis diluitur, atque euertitur; præterquàm quòd centum, ac mille adsunt auctoritates, cùm ex veteri lege, & ex historia Euangelica, tùm ex Patribus sanctis Græcis, & Latinis, tùm etiam ex sacris œcumenicis Concilis, tàm generalibus, quàm prouincialibus desumptæ, quibus vera Christi diuinitas, veraque humanitas dilucidè planeque cõprobatur. Vt Gen. cap. 49. Deut. 18. 1. Reg. 7. Psal. 2. Ecclesiast. 24. Isaiæ 53. Hieremiæ 23. Micheæ 5. Oseæ 1. Sophoniæ 3. Baruch 3. & Danielis 9. Vt D. Ioan. cap. 1. 3. 5. 10. 11. 14. 19. & 20. Vt D. Matth. cap. 1. 7. 8. 16. & 17. Vt D. Lucæ cap. 1. & 3. Vt D. Marci cap. 15. Vt in Epist. ad Rom. cap. 11. & Epist. 2. ad Cor. cap. 13. ad Philip. cap. 2. & ad Hebræos cap. 1. Sed accedamus ad varias patrum Græcorum, & Latinorum auctoritates, vt apud D. Dionysium lib. de Diuinis nominibus cap. 1. & lib. de Theologia mystica cap. 3. vt apud Origenem 1. homil. super D. Ioan. apud Clementem Alex. 5. lib. Stromatum, apud Tertullianum lib. de Trinitate, & 4. lib. contra Marcionem, apud Ireneum 5. lib. aduersus hæreses, apud Iustinum martyrem in expositione fidei sanctissimæ Trinitatis, apud Ignatium in Epist. ad Tarsenses, & ad Philippenses, apud Epiphanium hæresi 66. 69. & 74. apud Dydimum in libris de Spiritusancto, apud D. Athanasium in eius Symbolo, & in libro de Synodis Arimini, & Seleuciæ celebratis, apud Basilium Magnum lib. de Spiritusancto, & in Epist. ad Gregorium fratrem, apud Gregorium Nazian. in oratione prima de filio Dei, & in sua Tragędia, quæ inscribitur: *Christus patiens*, apud Gregorium Nyssenum lib. de sancta Trinitate aduersus Iudæos, & libro de sancto Baptismate, apud Cyrillum Hierosolymitanum cathechesi 4. 9. & 10. apud Cyrillum Alexandrinum super D. Io. variis in locis, sed præcipuè cap. 1. 4. 11. & 20. apud D. Ioan. Chrisost. in Orationibus quas habuit aduersus Iudæos, & hæreticos, apud D. Ioan. Damascenum 4. lib. de fide orthodoxa, cap. 15. apud Damasum Papam in Episto. ad Orientales, & hactenus de Græcis patribus. Verum apud Latinos etiam Doctores hoc idem legere est, vt apud D. Cyprianum serm. de Trinit. de Spiritusancto, & de Baptismo, apud D. Hieron. 2. tomo, vbi quamplura habet de Sanctiss. Trinit. & in Epistol. 22. ad Eusto-

chiam virginem, apud Diuum Ambrosium libro de Fide contra Artium super Diuum Lucam cap. 1. & in Epistol. 81. ad Syricium Papam, apud Diuum Augustinum libro de Trinitate super D. Ioannem variis in locis contra Faustum Manichæum lib. 2. cap. 11. & 2. serm. de Annunciatione Dominica, apud D. Gregorium Papam in suis Homiliis in diem Christi Natalem, & libro 10. Epistolarum, epist. 55. apud Leonem Papam ibidem, & Epistol. 10. ad Flauianum, apud D. Hilarium in libris de Trinitate, & præcipuè 6. libro, apud Diuum Bernardum Homil. 2. & 3. de laudibus Virginis matris, apud Richardum de Sancto Victore lib. de Trinitate, apud Hugonem de Sancto Victore in Summa sacramentorum, tractatu primo, apud Diuum Anselmum in lib. de Excellentia Mariæ Virginis, apud Innocentium Tertium 2. sermone de Assumptione Mariæ Virginis, apud Petrum Chrysologum serm. 140. & demum apud Magistrum Petrum Lombardum, D. Thom. D. Bonauen. & reliquos omnes Scholasticos 1. & 3. libro Sententiarum. Sed videamus Concilia sacra: etenim vera Christi diuinitas, & humanitas in variis Synodis, ab innumeris ferè patribus comprobata fuit, vt in concilio Nicæno, sub Pontificatu D. Syluestri, Constantino Magno imperante, ex 318. Patribus aduersus Arrium congregato, vt in Concilio Ephesino, regnantibus Celestino Papa, & Theodosio Iuniori Imperatore, ex 200. patribus aduersus Nestorium, vt in Concilio Chalcedonensi imperantibus Leone primo Papa, & Marciano Imperatore cum patribus 630. aduersus Eutychem celebrato, vt in Concilio Constantinopolitano secundo, sub pontificatu Agapiti & Siluerii, imperantibus Iustino, & Iustiniano, cum patribus 165. aduersus Arthemium, & Theodorum; vt in Concilio Lateranensi magno, sub Innocentio Tertio, & Honorio Tertio, imperante Alexio in Oriente, & in Occidente Otthone, cum patribus 1285. inter quos erant 430. Episcopi aduersus Valentinum; vt tandem in Concilio Antiocheno contra Ebionem, in Concilio Coloniensi aduersus eundem hæreticum, in Concilio Toletano quarto, in Concilio Constantinopolitano sexto, & in Concilio Romano sub pontificatu Martini, & de Conciliis hæc satis dicta sint.

Verum vnica est, & illa quidem celeberrima Diui Athanasii auctoritas in Symbolo, qua sola omnes & singulæ de Christo Domino nostro hæreses refelluntur, & hæc est; *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens, qui licèt Deus sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus.*

LECTIO

LECTIO XIII.

Osculetur me osculo oris sui.

SACROSANCTA Dei arcana adeò præclara sunt & dignis plena mysteriis, vt iure optimo in diuinis l i eris non simplici verborum velo, sed variis parabolarumt velaminibus sint obtecta, vt videntes non videant, & audie ntes non intelligãt, ita censet Dominus noster Iesus Christus cap. 13. apud Diuum Matthæum, vbi suos alloquens Apostolos ait, *Vobis datum est noße mysteria regni Dei, cæteris autem in parabolis*, & hinc equidem factum esse puto, vt dum res sacras in Euangelio Christus pertractat, à variis rerum metaphoris eas explicandi ferè semper occasionem sumpserit vt à vinea, à vite, à vino, à grano frumenti, à pane, ab oleo, à sale, à luce, ab igne, ab aquis, à terra, à lapidibus, à spinis, à semine, ab herbis, à floribus, à fructibus, ab agnis, ab ouibus, à pastore, dicam etiam à thesauro abscondito in agro, à piscibus, à retibus, à naui, à margarita preciosa, immo verò à minimis quoque rebus, vt à mentha, ab anetho: Verum ne aliundè huiusce veritatis exempla petamus, in his quæ in præsentia Salomonis Prophetæ verba interpretamur, illustre adest exemplum; etenim sponsa Ecclesia, qua Salomon sponsum Christum alloquentem in hoc primum Canticum introducit, dum patrem æternum supplex orat, vt filium suum mittat in mundum, cuius incarnationis desiderio iamdiù exarserat, hanc sub pulcherrima osculi oris Dei metaphora iucundè expressit dicens, *Osculetur me osculo oris sui*, hoc est, *Verbum fiat caro*, Deus fiat homo. Variæ profectò similitudines sunt auditores in scripturis sanctis, sub quibus vnigenitus Dei filius ex patre ipsi coæternus procedẽs, quasi sub mirabilibus hieroglyphicis secreto nobis declaratur: Dicitur enim filius à patre manare, vt arbor à radice, vt calor ab igne, vt fluuius à fonte, vt germen à semine, vt imago à sigillo, vt lumen à Sole, vt verbum à corde, vt conceptus à mente, vt imber à cœlo, & vt species à re obiecta. Vt arbor à radice, Prouerb. cap. 3. *Lignum vitæ est iis, qui apprehenderint eam.* Vt calor ab igne, Exod. 3. *Rubus ardebat & non comburebatur*. Vt fluuius à fonte, Gen. 2. *Fons adscendebat de terra, & fluuius egrediebatur de loco Paradisi.* Vt germen à semine, Isaiæ 4. *Erit germen Domini in magnificentia & gloria.* Vt imago à sigillo, Sap. 7. *Speculum sine macula, et imago bonitatis illius.* Vt lumen à Sole, Hebr. cap. 1. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, &c. Vt verbum à corde, Psal. 44. *Eructauit*

uit cor meum verbum bonum. Vt conceptus à mente, Prouerb. 8. *Nondum erant Abyssi, & ego iam concepta eram.* Vt imber à cęlo, Isaiæ 55. *Quomodo imber descendit de cælo, sic erit verbum meum.* Vt tandem species à re ipsa obiecta, Psal. 42. *Speciosus forma præ filijs hominum:* Nec desunt alia quamplura nomina, quibus à sanctis patribus Christus Dei filius metaphoricè appellatur; nam dicitur ars patris, verbum Dei, candor lucis, character expressus, emanatio sincera, vera imago, speculum sine macula, splendor paternæ gloriæ, & vapor diuinæ virtutis; Rem ipsam declaro, vocatur ars patris, quoniam rerum omnium Ideæ, atque exemplaria in ipso relucent, vt inquit Apostolus Paulus, Coloss. cap. primo. *In eo condita sunt vniuersa siuè quæ in cælo, siuè quæ in terris sunt.* Vocatur verbum Dei, quoniam æternum patrem Deum, eiusque voluntatem dilucidè nobis ostendit & declarat, vt ipsemet ait D. Ioannes, cap. 17. *Pater, manifestaui nomen tuum hominibus.* Vocatur candor lucis, quoniam patri genitori coæternus est, sicuti candor luci, vt dicitur in Symbolo D. Athanasii. *Aeternus pater, æternus filius.* Vocatur character expressus, quoniam ex distinctis personarum notionibus filius re ipsa distinguitur à patre, sicuti formæ expresio secernitur à sigillo, *Alia est enim persona patris, & alia filij,* vt ibidem astruit D. Athanasius. Vocatur emanatio sincera, quoniam absque motu, & vllo temporis exordio à patre procedit, vt legimus in Psal. 109. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Vocatur imago vera, quoniam naturalis est, & ipsemet sui parentis imago de illo inquiente Apostolo Paulo, Hebr. cap. primo. *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, portat omnia verbo virtutis suæ.* Vocatur speculum sine macula, quoniam non clàm & secretò sicut in creaturis, & scripturis sanctis, sed palàm, & manifestò in seipso Deum patrem nobis ostendit, inquiens Diuus Ioannes cap. 14. *Philippe qui videt me, videt & patrem meum.* Vocatur splendor paternæ gloriæ, quoniam ob vnius eiusdemque substantiæ naturam à patre non discluditur, aut separatur, vt ibidem ipsemet affirmat dicens: *Ego in patre & pater in me est.* Vocatur denique vapor diuinæ virtutuis, quoniam ex patre ita genitus est, vt eandem prorsus cum illo substantiam habeat, sicuti vapor eiusdem substantiæ est cum illo corpore, à quo emanat & effluit, ita inquit ipse Diuus Ioannes cap. 10. *Ego & pater unum sumus.* Verumtamen nullum mehercule est non dicam solum iucundius, at excellentius nomen symbolicum quo hæc æterna diuini verbi ab intellectu paterno emanatio exprimatur, hoc iucundissimo, atque excellentissimo nomine, quo in huius primi Cantici initio sponsa Ecclesia diuini oris osculum ipsum Dei Verbum appellat, dicens, *Osculetur me osculo oris sui.* Neque me latet auditores Deum optimum maximum, qui simplex spiritus est,

omnis

omnis materiæ, ac magnitudinis expers, corporeis membris, affectibusque carere. Et quamuis in scripturis sanctis multa corporis nostri membra ipsi attribuantur vt caput, capilli, oculi, palpebræ, aures, nares, labra, cor, lingua, imago, vterus, manus dextera, & sinistra, digitus, brachium, alæ, scapulæ, posteriora, pedes, & his similia; omnia tamen, & singula metaphorice illi conuenire dicuntur, caput enim Dei diuinam ipsius substãtiam, cui omnia subiiciuntur, parabolicè significat, Apocalypsis, cap. primo, *Caput eius album sicut lana alba*; capilli capitis sanctos angelos, seu vniuersos electos tropicè demonstrant, ibidem, *Et capilli capitis eius sicut nix*. Oculos habere dicitur Deus quod omnia videt, & nihil est quod eum lateat, Hebr. cap. 4. *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius*. Palpebræ domini significant incomprehensa ipsius iudicia, Psal. 10. *Palpebræ eius interrogant filios hominum*: Aures autem dicitur habere, quoniam audit omnia, Sap. cap. primo. *Auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non absconditur*? Nares Dei sunt ipsius inspirationes in corde fidelium, secundo lib. Regum cap. 22. *Adscendit fumus de naribus eius*. Labra verò vtriusque testamenti concordiam mysticè præmonstrant Iob cap. 11. *Vtinam Deus loqueretur, & aperiret labia sua tecum*; cor eius est arcanum diuinæ sapientiæ ex quo verbum emanat, Psal. 44. *Eructauit cor meum uerbum bonum*. Lingua Domini, spiritum sanctum designat, per quem Deus suam hominibus voluntatem patefacit, ibidem. *Lingua mea calamus scribæ; uelociter scribentis*: Imago patris est ipsemet Christus vnigenitus eius filius, Hebr. cap. primo. *Qui cum sit splendor, & figura substantiæ eius, portat omnia uerbo uirtutis suæ*: Vterus Dei est diuina eius substantia, quæ à nullo procedens, omnium emanationũ fons est, Psal. 110. *Ex utero ante Luciferum genui te*: Manus dextera & sinistra iustos significant, & impios, aut vnigenitum Dei filium per quẽ omnia facta sunt, aut etiam diuinam potestatem, qua omnia regit, & cõseruat, Isaiæ cap. 66. *Omnia hæc manus mea fecit*. Digitus Dei Spiritus sanctus est, à quo Lex antiqua in duabus tabulis lapideis scripta narratur, Lucæ 11. *Ego in digito Dei eijcio dæmonia*; Eius brachium est ipsemet Christus, de quo dicitur in Psal. 88. *In brachio virtutis tuæ deposuisti aduersarios tuos*: Alas dicitur Deus habere propterea quòd auis moræ suos electos tamquam pullos sub se colligit, fouet, & protegit, Psal. 16. *Sub umbra alarum tuarum protege me*: Scapulæ autem Deo allegoricè attribuuntur, quòd infirma Ecclesiæ membra quasi in scapulis portat, Psal. 90. *Scapulis suis obumbrauit tibi*: posteriora filii Dei, admirabilem eius incarnationem demonstrant, & humanitatem, Exod. cap. 33. *Posteriora mea uidebis, faciem autem meam uidere non potes*: Pedes tandem domini firmamentum sunt immensæ illius virtutis, cui omnia quæ

sunt

sunt in cœlo & in terris subiiciuntur, Isaiæ cap.66. *Cœlum mihi sedes est, terra scabellum pedum meorum.* Si res igitur ita se habet, vt ridiculum sit, immo verò impium credere humani corporis membra Deum habere, quis vestrum auditores non videat, sponsam à Deo optimo maximo non propriè, sed translatè ipsius oris osculum expostulare? etenim os Dei patris, vnigenitũ eius filium mysticè nobis indicat, quemadmodum Diuus Gregorius Papa lib.27. Moralium asseruit, inquiens, *Potest per os Dei unigenitus eius filius designari, qui sicut eius brachium esse dicitur, quoniam per eum pater cuncta operatur, ita etiam dicitur os, per quem omnia nobis loquitur:* Et quidẽ os Dei quamplura alia in literis sanctis figuratè designat, vt diuinam inspirationem, Dei sermonem, Dei monita, & præceptum præcipuè charitatis, Prophetas sanctos, & doctrinam Veteris ac Noui Testamenti, vt videre est Genes. cap.41. & 45. Deuter. 1. Exod.4. Num.12. Iob 3. & 37. Psal. 118. Prouerb.2. Isaiæ 30.58.62. Ezech.29. D.Matth.5. & in Cantico Zachariæ, quinimmo Ecclesiæ patres Græci, & Latini hoc idem affirmarunt, vt Origenes homilia prima super Cantica. Tertullianus aduersus Marcionem cap.4. Basilius Magnus super Psal. 32. Diuus Hieronym. super Isaiam cap.54. Diuus Ambros. super Psal. 118. Diuus August. lib. de diuina essentia, Diuus Greg. lib.4. Moralium, Beda venerabilis super Prouerbia cap.2. & Rupertus Abbas super Diui Matth. cap.5. At nihil est quod per os Dei, aut dignius, aut excellentius mysticè declaretur nisi vnigenitus ipsius filius, de quo hic dicitur à sponsa, *Osculetur me osculo oris sui:* atque vt adhuc enucleatius hæc sponsæ verba explicemus, quamplura de quibus in sacris scripturis legimus osculorum genera, parentum nimirum, filiorum, fratrum, affinium, amicorum, meretricum, nefariorum hominum, sacerdotum, & prophetarũ, in medium proponere optimum forè existimaui: habemus enim in veteri Lege oscula genitoris Laban ad filios suos à se recedentes, quæ illos mysticè designant, qui à cupiente mundum amplecti fugiunt, & osculum habemus, quod senex Isaac a filio Iacob expostulauit dicens Genesis cap.26. *Da mihi osculum fili mi,* quod paterni amoris erga filium & filii erga patrem clarissimum est indicium, sicut oscula Ioseph, & Beniamin fratrum. Gen.45. Prudentię coniunctionem significant cum contemplatione; Ioseph autem Iacob patrem suum iam vita functum deosculans, vt habemus Genes.50. Synagogam cum honore sepeliendam præmonstrauit, & quemadmodum Aaron osculans Mosem fratrem suum Exod.4. Sacerdotium legem excipiens figuratè ostendit, ita Moses Exod.18. dum dat oscula Ietro affini, Iudęorum & Gentium in Christi fide vnionem indicat, legimus etiam primo Regum cap.10. Samuelem Sacerdotem, cum Saulem vnxisset in Regem, illum osculatum fuisse,

quod

quod pacis est argumentum, quam inter Deum & hominem sacerdotes ponere debent, nec desunt oscula meretricum, nam Prouerb. cap. 7. meretricem habemus iuueni oscula dantem, vt illum in sui amorem alliciat, quæ hæreticum simplicibus Christi fidelibus blandientem, vt eos in errorem trahat, figuratè designant; Magdalena verò Lazari soror, & Marthæ, centum, ac mille Christi pedibus oscula figens delinquentium hominum, quos aliquando scelerum suorum pęnituit, & qui ad Dei clementiam confugiunt, fuit argumentum, vt apud Diuum Lucam capite septimo habemus; & demum Iudæ proditoris osculum, quo filium hominis Iudæis tradidit, Hypocritas labiis Deum honorantes, at corde negantes allegoricè significat, ita legimus Diui Lucæ, capite 22. Verum auditores hoc osculum, quo pulcherrima sponsa lepidè osculari exposcit, non parentum est, non filiorum, non fratrum, non affinium, non amicorum, aut sacerdotum, non meretricum, non delinquentium hominum, & pœnitentium, non demūm proditorum, sed est sponsi erga sponsam, hoc est Christi erga Ecclesiam, quo nihil dulcius esse potest, nihilque suauius. Quamobrem si æterni patris os, est vnigenitus eius filius, quid aliud profectò erit os Dei cum ore Ecclesiæ coniungere, nisi Verbum cum carne, & diuinam vnire naturam cum humana? ita inquit Diuus Bernardus sermone secundo super Cantica canticorum. Hoc osculum, quod sponsa ab ore Dei tàm ardenti desiderio petit, significat ardorem desiderii patrum suspirantium præsentiam Christi in carne, ita vt osculans sit verbum diuinum assumens, osculatum sit natura humana quæ assumitur, & osculum quod ab osculante simul & ab osculato conficitur, sit persona ipsius Christi ex vtraque natura compacta, hoc est vnus mediator Dei & hominum Christus Iesus. O fœlix osculum, omniqúe admiratione dignissimum, in quo non os ori, at Deus vnitur homini; inquit igitur sponsa Dei Ecclesia, *Osculetur me osculo oris sui*. ac si dicat *Verbum fiat caro*. Deus fiat homo.

LECTIO XIIII.

Quia meliora sunt Vbera tua vino.


RVDENTER (vti sapientissimus est Salomon Propheta, atque ingeniosè in hoc Cantico conscribendo) se gerit; quandoquidem sub sponsi & sponsæ parabola Christum & Ecclesiam se inuicem alloquentes introducẽs, nullarũ propè rerum meminit, nisi illarum, quibus castissimi sponsi vt plurimum dele-

delectari solent, vti sunt oscula, ora, vbera, vinum, optimaque vnguenta. Audite auditores, *Osculetur me osculo oris sui. Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*: Et si mysticum ipsius literæ sensum primò perpendamus, nulla quidem vox est, quæ ad hoc lætum, iucundumq; canticum aptius ista accommodetur, nimirum vino: Etenim si vera sunt hæc duo trita vetustate prouerbia, *Nemo cantat sobrius*; & *Bibite cantores*, quis non videat cum sponsus & sponsa, in hoc Epithalamio, seu nuptiarum cantico, suauissimas mutuò canant cantiones, vinum cantoribus cantatricibusq; adeò debitũ, iure optimò in huius cantici ferè exordio commemoratum fuisse? Et hac de caussa Eccles. cap. 42. Vinum & Musicam eodem simul sermone à Propheta vsurpari censeo, vbi dicitur, *Vinum & musica lætificant cor:* Immo verò omnium Philosophorum celeberrimus Aristoteles, in primo libro posterioris resolutionis, hoc idem pulcherrimo exemplo asseuerare videtur: Nos enim ibi docens perfectam conficere demonstrationem, non remotam, inquit, & communem, at proximam atque propriam causam nobis accipiendam esse: & ponit exemplum, si hoc memoria retinetis, Anacharsidis Scythæ, qui cum in conuiuio, vbi & lætè canentium, & iucundè psallentium iuuenum chorus aderat, conuiua reperiretur, à conuictoribus interrogatus, *Num in Scythia tibicines essent, & cantores? in Scithia* (respondit) *non adsunt vites*: innuere fortasse volens, aut vinum symphoniæ & sonitus potissimam esse causam, aut saltem maximum inter vinum, & artem Musicam intercedere symbolum. Quippe quæ non alio magis stimulo concitatur, quàm vini suauis gustu, vt cecinit Tibullus inquiens

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos nescia membra modos.

Cum igitur à Propheta Salomone cęlestes nuptiæ in hoc Cantico decantentur, & poetico stylo, & carmine Lyrico in modum dramatis celebrentur, quid mirum, si vini mentionem è vestigio facit? inquiens, *Quia meliora sunt vbera tua vino.* Verum si diuino spiritu ducti mysticum horum verborum sensum diligentius consideremus, nullum sanè dubium est, sub blanda ipsius literæ cortice, augusta & sacrosancta latere mysteria; sponsa namque Ecclesia, amantium more, nec modum nec vllum in suis colloquiis verborum ordinem seruans, modò sponsi patrem, modò verò sponsum filiũ blandè lepidèq; alloquitur, cumq; à sponsi patre summopere petiisset, vt sui oris osculo eam oscularetur protinus abrupto quodam sermone, se vertit ad filium sponsum suum, & ait. *Quia meliora sunt vbera tua vino;* quibus in verbis vt omnes ferè interpretes exponũt, præcipuè verò Origenes, Theophilactus, Diuus Hieronymus, Diuus Gregorius, Diuus Bernardus, Beda venerabilis, Hugo Cardinalis, Diuus

Thomas,

Thomas,Haymon, & Iacobus Episcopus Christopol. Ecclesia sponsa, hoc est Iudaicà synagoga, cur tàm ardenti expostularit desiderio osculum oris Dei, rationem reddit & ait, *Quia meliora sunt vbera tua uino*, ac si dicat, ò summè humani generis conditor, si tuæ maiestatis immemor, at saltem pietatis memor, nimis alta quærere videor, dum oris tui osculo osculari exposco, tu ò sponse id effecisti, nam vberum tuorũ dulcedo, ad hoc audendum me prouocat, non meorum confidentia ergà te meritorum: *Quia meliora sunt vbera tua vino*, Neque enim illorum sententiam probo, qui sponsum sponsam, non sponsam sponsum hic alloqui volunt, putantes, illico exauditam fuisse orationem sponsæ, eique sponsum aduenisse, seque eidem complectendum & osculandum tribuisse, in quientem, habes ò sponsa, quod petiisti, & hoc tibi signum, Quia meliora facta sunt vbera tua vino. Ita refert Diuus Bernardus sermone nono super Cantic. & eò magis eorum opinionem reiicio, qui nec sponsam sponsum, nec sponsum sponsam, at iuuenculas ipsius sponsæ sodales, qua si nouo dramate vtatur Propheta, sponsam hic compellantes introducũt, ac si dicant, *Iniustè ò sponsa murmuras aduersus sponsum, quod enim postulas nimirum osculum oris Dei, te quidem delectat, sed ubera quibus paruulos alis, meliora sunt uino contemplationis; Noli ergo nimis insistere osculo, & uino contemplationis. Quia meliora sunt ubera prædicationis.* Ita etiam D. Bernardus ibidem refert: Verum puto ego vt sponsa Christi Ecclesia patrem æternum primum alloquuta, cum dixit, *Osculetur me osculo oris sui*, hic quoque æterni patris filium compellet talis, ac tanti desiderii rationem reddens, *Quia meliora*, &c. hoc est quia Euangelicæ legis pinguedo efficacior mihi est ad spiritalem profectum quam mordax legis Mosaicæ vinum; Nec medium quidem vnguem nostrum facessit negocium: vox illa *Amores* quam Hebræi, & nostri qui Hebræorũ sequuntur sententiam, loco vberum Methonymicè, quia amoris sedes est inter vbera in corde, hic accipiunt inquientes, *Quia meliores sunt amores tui uino*, hoc est magis quàm vinum inebriant, & exhilarant amores tui: Nomen enim *Dadeca* Hebræis homonimum est ad amores, & vbera, vt ait Cosmas Damianus, licèt vt placet Gilberto Genebrardo; *Daddain* vbera & *Dodin* amores significet, & si malunt ipsi *Amores*, quam *Vbera* vertere, cum de viro sponso hic habeatur sermo, cui vbera (mulieribus duntaxat, fœtus gratia, à natura tributa) prҿter decorum sit tribuere, hæc inquam vox *Amores*, nec tantulum facesseit negocium; quandoquidem congruentius fortasse *Amores* quàm vbera Euangelicam legem, quæ amoris lex est, & tota in vnico amoris præcepto pendens, mysticè significare videntur: Verumtamen vt nostram tueamur editionem, quam nobis septuaginta interpretes reliquerunt, hanc vocẽ *Vbera*, non illam

Amores

Amores recipimus. Ad illud verò quod ipſi dicunt virum ſponſum vbera non habere, facilè ex uariis interpretum opinionibus reſpondemus. Quidam enim exiſtimant Salomonem hic vti Metalepſi ideſt figura quę dicitur tranſumptio, ita vt uiſcera miſericordiæ Dei noſtri per vbera deſignari velit. Alii verò putant hinc eſſe catachreſim, qualis eſt illa qua D. Paulus Gal. ca. 6. vtitur dicens; *Filioli mei quos iterum parturio donec formetur in vobis Chriſtus*. nam uolens Apoſtolus in his verbis, dolorem Galatis ſignificare, quem in reuocandis illis ad Chriſtum patiebatur, proprio quo tantus dolor exprimi poſsit, nomine carens, parturientis vocabulo illum declarat: ita Propheta Salomon hoc loco, cum peculiare ſpiritalis alimoniæ, Euangelicæ nempè doctrinæ, qua Chriſtus ſuam paſcit Eccleſiam, nomen non haberet, huius loco, per Catachreſim, ſeu per abuſionem, vberum nomen vſurpat, vbi lactis eſt nutrimentum. Ego verò dicerem Salomonem per Methonymiam loco lactis accipere vbera; & licèt mares in cæteris animalium ſpeciebus ubera non habeant, attamen ſolus homo illa habere dicitur, ut uidere eſt apud Plinium lib. 11. cap. 39. Et ſi quiſpiam dicat, homines mares ut plurimum, & ferè ſemper lac non habere, quandoque tamen nonnullos homines illud habere poſſe non inconuenit. Ita inquit Ariſtoteles primo libro de Hiſtor. anim. cap. 12. & lib. 3. cap. 20. ſub his uerbis, *Maribus magna ex parte nec beſtijs, nec hominibus gignitur lac, fieri tamen poteſt ut aliquibus interim gignatur;* Illud etiam addam quod Diuus Auguſt. lib. 4. de ciuitate Dei capi. 11. refert, Aethnicos videlicet ſuum Iouem olim Ruminum appellaſſe, quòd Ruma, ideſt Mamma aleret cuncta uiuentia, poteſtatem nimirum ſignificantes, qua Deus cuncta animalia nutrit; proh Deum immortalem, nonne de Chriſto, qui uerus eſt Deus, prædixit Oſeas Propheta cap. 2. ipſum Eccleſiam ſponſam in ſolitudinem ducturum, ibique eam lacte nutriturum? Ita inquit, *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem.* ſi res igitur ita ſe habet, nonne dicere poſſumus, Salomonem, ſumma quidem ratione, ubera ſponſo Chriſto tribuere? non per Metalepſim, ideſt per tranſumptionem, nec per catachreſim ideſt per abuſionē, ſed per Methonymiam, ideſt per tranſnominationem, quæ fit quando cōtinens pro re contenta accipitur, ut ubera continentia pro lacte contento in præſentia uſurpentur, & allegoricè ſpiritalem euangelicæ legis alimoniam indicant, ſicuti Moſaica lex uini ſymbolo declaratur. *Quia meliora ſunt ubera tua uino;* & quamquam duo Chriſti ubera, ex auctoritate D. Hieronym. ſuper Iſaiam cap. 66. D. Ambroſii in libro de benedic. Patriarcharum, D. Auguſt. ſuper Epiſtolas Diui Ioan. tractatu 3. Diuo Greg. lib. 21. Moralium, & Bedę Ven. in ſuis comment. ſuper Cant. cant. poſſunt etiam allegoricè præmonſtrare duo antiquæ & nouæ legis teſtamenta,

menta, aut duas tabulas Mosis lapideas, aut duos sacrarum scripturarum principes sensus, historicum videlicet & mysticũ, hoc tamen in loco Christi sponsi vbera vino meliora, nihil aliud figuratè significant, nisi Euangelicæ legis, quæ amoris & gratiæ lex est, dulcedinem & candorem, sicuti vinum legis Mosaicæ, quæ timoris & seruitutis lex est, asperitatem denotat, & austeritatem; Ita inquiunt Orig. & D. Hieronymus: *Bona sunt vbera sponsi, quia sunt in illis absconditi thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, & vinum etiam erat bonum, sed vbera meliora: quia bona lex antiqua, sed melior Euangelica:* Ita inquit D. Bernar. *Vbera tua sunt pinguedo gratiæ, quæ efficacior mihi est ad spiritalem profectum, quàm mordax increpatio Prælatorum.* Ita inquit Beda Vener. *Vinum quippè scientiæ legalis timorem, vbera verò dicunt rudimenta Euangelicæ fidei.* Ita demum inquiunt D. Thom. & Aymon, *Per vbera Christi, dulcedo Euangelij hic intelligitur, quo veluti lacte nutritur infantia credentium, vinum autem austeritatem legis significat, sed vbera Christi meliora sunt vino, quia dulcedo Euangelij melior est austeritate legis.* Quare non est vt illorum sententiam comprobemus, qui siue sint recentiores, siue prisci per duo sponsi Christi vbera, aut Dei dilectionem & proximi, aut antiquum testamentum, & nouum, aut Christi liberalitatem, & misericordiam, designari posse existimant, ita vt hæc vbera ita mysticè accepta meliora sint vino, hoc est omnibus mundi deliciis & oblectamentis suauiora, quippè quæ ceu vinum intellectum excæcant, sicuti hæc vbera illum acuunt & illuminant vehementer; Nequaquam Domini res ita se habere potest, quandoquidem hæc vbera si meliora sint vino, & vinum quoq; bonum esse necessum est, at huius mundi gaudia & oblectamenta, quæ vt isti volunt, per vinum mysticè hic intelliguntur, nequaquam bona sunt & amanda, at praua & spernenda. Vbera igitur sponsi lex sunt Euangelica, sicuti vinum Mosaicam legem designat, vt paulò infrà Deo fauente, explicabimus.

LECTIO XV.

Quia meliora sunt vbera tua vino.




VAMQVAM lex Euangelica, in scripturis sanctis, variis cùm propriis, tùm metaphoricis nominibus nuncupetur: Vt lux in Psal. 42. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Vt lucerna, in Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbũ tuum.* Vt fauum mellis, ibidem: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel, & fauum.* Vt veritas, eodem in loco; *Principium verborum tuorum*

ueritas. Vt mons, ab Isaia Propheta, cap. 2. *Venite ascendamus ad montē Domini, & docebit nos uias suas.* Vt verbum Dei, ab eodem, ca. quarto. *Verbum Domini manet in æternum.* Vt malleus à Hieremia, cap. vigesimo tertio: *Nunquid non uerba mea sunt quasi malleus conterens petras.* Vt ignis ardens, ab eodem, ibidem: *Nunquid non verba mea sunt qua si ignis:* Vt panis, à Christo Domino nostro, D. Matth. cap. quarto: *Non in solo pane uiuit homo, sed &c.* Vt semen, à D. Luca cap. 8. *Semen est uerbum Dei, & dat fructum serenti, & panem comedenti.* Vt gladius, ab Apostolo Ephes. cap. 6. *Sumite gladium spiritus, quod est uerbum Dei.* Vt dies clara, ab eodem Rom. cap. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Vt demum septem illarum stellarum signum, quas inter Tauri finitionem & Arietis caudam, aut (vt aliis placet) in humero Tauri dūtaxat existentes, nostri Vergilias, Greci verò Pleiades appellarunt, vt placet D. Greg. lib. 29. Moral. cap. 29. Hoc tamen vberum, seu potius lactis nomen metaphoricum, sub quo Christi Euangelium supra Mosis legem commendatur, admirabile sanè est, & diuinis plenum mysteriis: audite, *Quia meliora sunt ubera tua uino.* Neq; me latet quamplures adesse patres sanctos, qui non Euangelicæ, sed Mosaicæ potius legis symbolum lac esse velint, tamquàm fluidum alimentum, & liquidum, illi populo rudi, quasi infantibus, & adhuc tenellis filiis, à Deo optimo max. datum, cùm in illa (vt ita dicā) Ecclesiæ infantia, sapido Euangelii pane vesci minime posset; Ita opinantur Origenes hom. 19. super Genes. D. Hieron. cap. 7. super Isaiam, & Beda Vene. super Gen. cap. 18. *Lac*, inquiunt isti, *uetus est testamentum datum Iudæis, qui adhuc capere non poterant cibum noua legis:* veruntamen Euangelicæ quoque Legi, immò verò potius huic, quàm Mosaicæ lac figuratè aptari posse existimo, tùm ex aliorum quinimò eorundem sanctorum patrum auctoritate, tum ex ipso Apostolorum Christi testimonio, habemus enim Clementem Alexan. 1. lib. Pędagogi cap. 6. id asseuerantem, & dicentem; *Lacte hoc est dominico nutrimento, statim quidem postquam editi sumus, alimur.* cui astipulantur Orige. hom. 2. super Isaiam Prophetam, D. Ambros. lib. de Cayno, ca. 5. D. Aug. super Psal. 67. D. Greg. suis in commen. super Cant. cant. ca. 4. & Isid. super Leuit. cap. 26. habemus etiam D. Paul. cap. 5. prioris Epist. quam ad Cor. scribit, & D. Petrum cap. 2. suæ prioris Epistolæ, qui de sacrosancto Euangelio loquentes, lac illud appellant; audite, *Lac potum dedi uobis non escam.* Ita inquit Apostolus Paulus, *Sicut modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite;* Ita inquit Apostolus Petrus; Tale quippiam Homerus etiam, vel inuitus diuinabat, illos homines, qui lacte vescuntur, iustos, & pios appellans, ac si innueret, vt ibidem ait Clemens Alex. illos vera in Deum pietate affectos esse, qui my-

ftico Euangelicæ legis lacte aluntur. Iure igitur optimo sponsa Dei Ecclesia suum sponsum compellans,& tamdiu à se desiderati illius aduentus caussam reddens symbolicè eius Euangelium lac,aut potius per Methonymiam vbera vocat,& ait: *Quia meliora sunt &c.* Quod autem hoc verum sit sanctorum patrum,& Christi Apostolorum nō solum auctoritates(vt audistis)astruunt, verum etiam nonnullis satis apparentibus rationibus comprobatur;Etenim si materno lacte, cuius duæ sunt propriæ qualitates,dulcedo scilicet,& cādor,nullum tenellis infantibus,aut salubrius,aut efficacius alimentum dari potest;quis non videat sacrosancto Christi Euangelio,cui & vitæ innocentiæ candor, & diuinæ gratiæ dulcedo indiuiduè inhærent,nullum Christi fidelibus, aut fructuosius, aut preciosius dari posse nutrimentum, quo non momētaneam in terris, sed æternam in cęlo vitam adipiscantur?Neq; opus est, vt illud Medicinæ artem profitentibus, quam maximè notum hic adducam, nimirum lac ante quam naturalis concoctionis ope conuersum, per maternum vmbilicum,ad vbera iam turgentia se conferat, rubrum sanguinem esse, qui deinde à venis apertis,quæ sitæ sunt in mammillis, per fętus distensiones,in naturales mammillarum cauernas transfunditur,& ei commixtus qui ex vicinis arteriis emittitur spiritus,manente integra, quæ subiicitur,sanguinis substantia,& sola qualitatis specie mutata,vndæ instar agitatus albescit,& in lac candidissimum transmutatur: Ita de sacrosancto Euangelio se res habet, rubrum enim ex precioso Christi sanguine existens,ex fęlicissima illius resurrectione candidum vti lac pro filiorum alimento euasit.Cæterum si lac optimi nutrimenti fons à Philosophis appellatum ex mulierum mammillis emissum, indicium est manifestum, quo illas & prægnantes & matres esse cognoscimus,nonne Christi fideles ob mysticum Euangelii lac , ex aqua & Spiritusancto renati, filii Dei protinus appellantur,& sunt?vt D.Ioan.cap.1.habemus: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c.* at quid longiori ad hoc probandum inductione vtor? ipsemet Dominus noster ore se proprio pastorem,& suas nos oues metaphoricè vocans,nullo sanè alio nutrimento, nisi lacte ouibus & pastori quammaximè conueniente nos alere voluit, sicut inquit Apostolus ibidem, *Lac potum dedi uobis non escam* ; &, ob id Isaiam Prophetam de venturo Messia verba facientem, de eo cap.7.dixisse arbitror: *Butyrum,& mel comedet, ut sciat reprobare malum,&c.* Verum audite rem omni admiratione dignam,tres in lacte reperiri substantias,butyrum scilicet, caseum, & serum, nullum vestrum ignorare censeo, & sacrosanctum Christi Euangelium licet vnum sit reipsa , tres tamen habere partes,ex D.Pauli auctoritate cap.4. posterioris Epistolæ ad Timotheum colligimus; aut enim consolatur, & obsecrat, aut incre-

pat, & arguit, ut docet & instruit: audite quid Apostolus dicat, *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina*; et si lac liquor est dulcis, candidus, & ad corpus humanum nutriendum quàmmaximè aptus, nonne & Christi lex Euangelica dulcis est, si de ea Diui Matth. cap. 11. ab ipsomet Christo dicitur: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue?* nonne candida est, si Legislator Christus est, *Qui candor est lucis æternæ?* nonne ad nutriendum corpus non solum, sed animum quoque humanum quammaximè apta est, si illius præceptis obtemperantibus, non diuturna in terris, at sempiterna uita in cœlo promittitur, & donatur? habet profectò lex Euangelica, & præceptorum dulcedinem, & gratiarum candorem, & sacramentorum nutrimentum: audite: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem sicut dilexi uos*; en præceptorum dulcedo: *Vidimus eum plenum gratiæ, & ueritatis*, en gratiarum candor: *Patres nostri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt, at qui manducat hunc panem uiuet in æternum*; en sacramentorum nutrimentum. Taceo nunc lac, vt plurimum duabus claudi mammillis, etenim & legem Christi Euangelicam, in duobus duntaxat mandatis, vniuersam pendere legimus Diui Matthæi cap. 22. *In his duobus mandatis uniuersa lex pendet, & Prophetæ, Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut teipsum*. & sanè si natura animalibus plures alentibus filios, plures etiam mammillas tribuit, sponsus etiam Christus, duo suæ legis Euangelicæ vbera habere debuit, si duo sibi filii nutriendi sint, populus nimirum Iudæus, & plebs gentium, dexterum inquam pro Iudæis, & sinistrum pro gentibus. O rem pulchram, & admirandam ex dextero Christi vbere in ligno crucis, non ex sinistro exiuit sanguis & aqua: quandoquidem, etsi Christi mors & virtus Dei est in salutem omni credenti, cùm non sit personarum acceptio apud Deum, qui est diues in omnes, qui inuocant illum, Iudæo tamen primùm, & deinde Græco, vt ait Apostolus Romanorum cap. 5. & demum si lactea ex ore Christi manat eloquentia, iuxta illud Euangelicum dictum Diui Ioan. cap. 7. *Nunquam sic loquutus est homo*, quod multis ante sæculis de venturo Messia Regius Propheta Dauid Psalm. 44. præuiderat, dicens: *Diffusa est gratia in labiis tuis*, quid mirum si sponsa Ecclesia fœcundissima Christi vbera supra vinum, hoc est Euangelicam legem supra Mosaicam tantoperè laudat, & effert? *Quia meliora sunt ubera tua uino.*



LECTIO

LECTIO XVI.

Quia meliora sunt Vbera tua vino.

IAM satis superque dixisse mihi videor de Christi sponsi vberibus; reliquum modo est vt de vino aliquid etiam dicam: Verum etsi vbera Christi Euangelicam legem mysticè significare, ex sanctorum Patrum auctoritate facilè comprobauimus, attamen non parum difficultatis habet, quonam pacto vinum, quo meliora sunt vbera sponsi, Mosaicam legem designare possit, nam seruitutis & timoris lex erat, vinum autem libertatis, & lætitiæ pulcherrimum apud Aegyptios est hieroglyphicum, ex quo factum esse reor, vt Bacchus, cui à priscis illis poetis vitis consecrabatur, & vinum, lætitiæ, & libertatis largitor nuncuparetur, hoc est à Græcis pater Lyeus, & à Latinis pater Liber, quippe qui numen illud diuinum falsò credebatur, à quo omnis, in nos mortales, & libertas, & lætitia manaret. Quinimò Socrates apud Zenophontem in Symposio aiebat, vinum non aliter merori mederi, quàm mandragora hominibus, lætitiáque aliter non excitare, quàm oleum inspersum igni flammam adauget: & apud Marcum Tullium 3. lib. Quæst. Tusculanarum legimus: *Huic calix mulsi impingendus est, vt plorare desinat*. & fortè fortuna antiqui illi Romani, vt vinum libertatis etiam indicium esse indicarent, præceperunt vt mulieres, quæ non ita vt viri, libertate gaudent, cum sub virorum sint potestate, vinum non biberent, vt refert Tertull. & ob id illa mulier quæ sub Romulo vinum attigerat, impunè à Mecenio marito trucidata est, & idcirco oscula propinquis offerre iubebantur, vt spiritu indicaretur, an temetum olerent; at quid fictas, & impias Aethnicorum, poetarumque fabulas nunc recenseo? Catholici patres tàm Græci, quàm Latini, vinum & libertatis, & lætitiæ indicium esse asseuerarunt, quod enim lætitia spiritus, in cordibus nostris diffusa per vinum symbolicè designatur, doctissimus Origenes hom. 7. super Leuit. Basilius Magnus homil. quam habuit de laudibus Iulitiæ martyris, D. Hierony. suis in commentariis super Danielem cap. 10. D. Bernar. serm. 3. de sacra Pentecoste, & Beda Venerab. super Prouerbia Salomonis cap. 31. vnanimi omnes consensu confirmant, immò verò ipsemet Salomon non solùm in Prouerbiis ibidem, hoc asseruit, inquiens: *Date vinum mærentibus, & ijs, qui amaro sunt animo, vt doloris sui non recordentur amplius*; verum etiam cap. 31. Ecclesiastici hoc idem asseuerauit, dicens: *Vinum in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem ab initio: exultatio enim animæ, & corporis est*

vinum moderatè sumptum. Quòd verò iucundæ libertatis symbolum sit vinum, castissimus ille Ioseph Patriarchæ Iacob filius, cap. 40. Genes. dilucidè nobis demonstrauit; ibi namque auditores, si hoc memoria retinetis, hunc non corpore solum, sed animo etiam pulcherrimum adolescentem Iosephum, cum ob effrænatam illius mulieris Aegyptiacæ libidinem, cuius inhonestis desideriis minimè assentiri voluit, in carcerem coniectus fuisset, Pharaonis Regis pincernam, quinimmo pincernarum Præpositum earundem pœnarum in carcere socium habuisse legimus, qui cum somnium nocte vna vidisset, verum sanè, sed obscurum, hoc est vitem, in qua tres erãt propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere, seque Pharaonis Regis calicem in manu tenentem vuas accepisse, & vinum ex illis in calicem expressisse, atque poculum, vt solebat, Regi tradidisse; quod somnium cum pincernarum præpositus Iosepho retulisset, illicò respondit, hæc est interpretatio somnii, tres propagines tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum, dabisque ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere consueueras: Quod sanè cum sibi fœlicissimè euenisset, & tribus transactis diebus è carcere emissus, poculum suo Regi in conuiuio porrexisset vitem, vuas, vinum iucundæ libertatis indicium esse reipsa cognouit, ita legimus Gen. cap. 40. *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciens grande conuiuium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, restituitque illum in locum suum, ut porrigeret illi poculum*. Quamobrem, si vinum in fabulis non solum Aethnicorum, sed in sacris etiam scripturis, lætitiæ ac libertatis est symbolum, qui fieri potest, vt vini nomine Mosaicam legem, quæ timoris, ac seruitutis lex erat, Propheta Salomon, in his sponsæ Ecclesiæ verbis, satis commodè indicare velit? *Quid meliora sunt ubera tua uino*. Et certè si Dominus noster D. Ioan. cap. 15. ore proprio se vitem, & suos nos palmites appellauit, dicens: *Ego sum vitis & vos palmites*, verisimile nequaquam esse videtur, vt vinum, quod ex hac vite, quæ vera est omnium vita, in ipso crucis torculari expressum credimus, veterem legem præmonstret, quæ non à Christo, sed à Mose; non Gentibus, sed Iudæis data fuit? Neminem quoque vestrum hic adesse puto, quem lateat, aquam in sex lapideis hydriis, singulis metretas binas, vel ternas capientibus, ex Christi domini præcepto positam, ex eiusdem etiam imperio, dum nuptiæ in Cana Galilææ celebrarentur, in bonum vinum conuersam fuisse, quod cum gustasset Architriclinus, & vnde esset, ignoraret, sponsum vocauit, dicens: *Omnis homo primum bonum uinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, tu autem seruasti bonum uinum usque adhuc*; quæ quidem verba sancti patres suis in commenta-

ctis super D.Ioan.cap. 2. interpretantes, aiunt, hanc aquæ in vinum conuersionem accidisse propter mysterium, vt scilicet legem illam insipidã, & inefficacem in suauissimum & efficacissimum Euangelium mutandam significaret? Audite obsecro, D. August. in tract. 9. super D. Ioan. *Bonum uinum Christus seruauit usque adhuc, id est Euangelium suum:* Taceo nunc vinum, cęlestem etiam beatorum spirituum gloriam, anagogicè indicare, vt in Psal. 35. cecinit Dauid Propheta, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, Præterea quoque diuinam sapientiam vini symbolo in scripturis sanctis explicari, & præsertim à Salomone in Prouerbiis cap. 9. vbi dicit: *Sapientia ædificauit sibi domum, miscuit uinum, & posuit mensam.* Neque opus est, vt Spiritussancti gratiam, per vinum nouum in vtres veteres non mittendum, designari ostendam; quandoquidem apud D. Matth. cap. 9. hoc manifestè legitur: *Neque mittunt uinum nouum in utres ueteres, alioquin rumpuntur utres, & uinum effunditur, sed uinum nouum in utres nouos mittunt, & ambo conseruantur.* Quid etiam nunc recenseo vinum supernam diuinæ sapientiæ consolationem præmonstrare, vt D. Hieron. in suis commentariis super Prouerb. cap. 31. docet? illud equidem recensendum arbitror, vinum non solum scientię sæcularis typum esse, vt D. Bern. in hoc loco super Cantic. cant. exponit; verum etiam iustitiæ symbolum esse, sicut oleum misericordiæ lenitatem allegoricè ostendit, ex Casiodori sententia super Psal. 127. illa verba exponentis: *Vxor tua sicut uitis abundans in lateribus domus tuæ.* Audite Diuum Bernardum; *Vbera in ubertate lactis meliora sunt uino scientiæ sæcularis, quæ quidem inebriat, sed curiositate, non charitate, implens, non nutriens, inflans, non ædificans, iniurgitans, non confortans.* Audite & Casiodorum dicentem: *In uino austeritas iustitiæ est, in oleo uerò lenitas misericordiæ; & illud ad uetus, istud autem ad nouum potest referri testamentum.* Quinimmo vinum à patribus orthodoxis, & septiformis Spiritussancti gratiæ, & salutaris Christi mortis, & sacrosanctæ Eucharistiæ typus simillimus esse perhibetur; Ita dicunt Diuus Dionysius Areopagita Epistola nona, Clemens Alexandrinus primo libro Pedagogi cap. 1. Origenes primo lib. Periarchon, cap. 3. Basil. Magnus super Psalm. 31. Arnobius super Psal. 4. Diuus Hieronymus super Hieremiam cap. 31. Diuus Augustinus super Psalmum 74. Isidorus super Leuit. cap. 23. Diuus Gregorius, & Rupertus Abbas in suis commentariis super Cantic. cant. cap. 1. & 4. & Diuus Thomas super D. Ioan. cap. 2. Veruntamen tot tantisque sanctorum patrum auctoritatibus non obstantibus, quibus vinum libertatis, & lætitiæ signum, sacrosanctum Christi Euangelium, septiformem Spiritussancti gratiam, Salutarem eius mortem, & admirabile Eucharistiæ sacramentum allegoricè desi-

gnate comprobarunt: non est etiam, vt dicamus, tot tantosque patres, quorum in superioribus sermonibus memini, deceptos fuisse, dum in hoc loco, per vbera Christi sponsi, Euangelii gratiam, & per vinum Mosaicam legem mysticè interpretantur, vtraque enim lex, antiqua & noua, sub diuersa tamen ratione symbolicè vinum dici potest, sicuti utraque Iudæorum ac Gentium unio, hoc est Mosis Synagoga, & Christi Ecclesia, in scripturis sanctis, uinea nuncupatur, ut apud Isaiam Prophetam cap. 5. *Vinea Domini Sabaoth, domus Israhel est.* & apud Diuum Matthæum cap. 21. *Homo quidam pater familias, qui plantauit vineam;* si ergo Mosis Synagoga, & Christi Ecclesia uinea Domini est, quis profectò Mosaicam legem, & Euangelicam esse uinum, ex hac Dei uinea collectum negabit? Vt enim Diuus Bernardus sermone de laudibus D. Mariæ Magdalenæ eruditè animaduertit, duplex uini genus reperitur, unum uini acidi, & amari, alterum uini lenis, & suauis, illud ueterem legem, hoc uerò Christi Euangelium figuratè præmonstrat, ita inquit Diuus Bernardus: *Lex uinum durum, & acidum est, de botris amarissimis eliquatum, uinum de quo dentes bibentium obstupescunt, at Euangelium uinum lene est, ac suaue super mel, & fauum:* & hac de caussa, ut ego censeo, Christi Euangelium non absolutè uinum, sed bonum uinum ab Architriclino D. Ioan. cap. 2. uocatur: *Bonum uinum seruasti usque adhuc,* ubi Diuus Hieronymus tam Mosis legem, quàm Christi Euangelium uinum appellari dicit, sed illam absolutè uinum, hoc autem bonum uinum, & hoc astruit homilia prima super Cant. cantic. Quapropter etsi uinum utriusque legis pulcherrimum est indicium; Euangelica tamen lene est, ac suaue; Mosaica uerò acidum & amarum, quo sponsa Ecclesia ubera sponsi Christi meliora esse inquit: *Quia meliora sunt vbera tua vino,* & hinc factum esse puto, ut sponsa Christi Euangelium cum Mosaica lege comparatum non uinum, sed præ eius excellentia ubera, seu lac appellare uoluerit; quod fecit etiam Isaias cap. 55. quippe qui de utraque lege sermonem habens, ueterem uinum, & nouam lac nuncupauit inquiens; *Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione uinum, & lac:* Lactis enim dulcedo Christi Euangelium, & uini austeritas Mosis legem indicat, ut Diuus Bernardus ait serm. 2. de Christi resurrectione. Quare sicuti per ubera sponsi Christi eius Euangelium allegoricè designatur, ita uini nomine Mosaicam legem hic à Salomone præmonstrari censeo, dum inquit: *Quia meliora sunt vbera tua vino.*

LECTIO

LECTIO XVII.

Quia meliora sunt vbera tua vino.

SICVTI lux iucundior est tenebris, dies pulchrior nocte, Sol efficacior Luna, Pleiades splendidiores Arthuro, & Oceanum profundius flumine, ita Lex Euangelica iucundior est, pulchrior, efficacior, splendidior, & profundior Mosaica lege; quod astruunt D. Hieronym. primo Dialogo contra Pelagium, Diuus August. libro de vera doctrina, cap. 17. & D. Greg. libro 29. Moralium, cap. 29. quinimmo tanta omnium perfectionum præstantia Mosaicæ legi Christi Euangelium excellit, quanta dignitatis excellentia figuratum præstat figuræ, veritas vmbræ, amor timori, libertas seruituti, gratia iræ, vita morti, Mons Syon Monti Sina, & Christus Mosi; nam si Moses legis extitit promulgator, & Christus est legislator, *Vnus est legislator Christus, qui potest perdere, & liberare.* D. Iacobi cap. 4. Si Moses pædagogus fuit; & Christus est verus & vnicus mundi magister. *Vnus est magister noster Christus*, D. Matth. cap. 23. Si Moses figuras nobis ostendit, & vmbras, Christus veritatem attulit, & lucem, *Ego sum via, & veritas, ego sum lux mundi*, &c. D. Ioann. cap. 8. Si Moses multa Iudæis præcepta dedit, grauia sanè & seuera, Christus vnicum duntaxat nobis præceptum tradidit, & illud quidem iucundum, ac suaue, *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* D. Ioan. cap. 15. Si Moses lac & mel suis pollicitus est militibus, Christus celeste regnum nobis promittit, *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* D. Lucæ cap. 12. Si denique Moses acerbam mortem minabatur, Christus sempiternam vitam largitur. *Et ego vitam æternam do eis.* D. Ioann. cap. 10. Hac igitur de caussa, sponsa Christi Ecclesia, sub pulcherrimis vberum ac vini metaphoris, de vtraque Dei Optimi Maximi lege, Mosaica scilicet, & Euangelica loquens, hanc illa meliorem facit, sicut vbera meliora sunt vino, lac enim ex animalium mammis, & vinum ex vitium vuis exprimitur, quæ verò anima sentiente prædita sunt, longè præstantiora illis existimantur quæ animam solum vegetantem habent, cum nobilior entis gradus sit sentire, quàm viuere, seu sensus, quam vita; sicut igitur meliora sunt vbera tua vino, ita lex Euangelica perfectior est Mosaica lege, Bone Deus, tot sanè sunt tantæque Euangelicæ legis super Mosaicam perfectiones, & dignitates, vt si omnes, ac singulas nunc recensere vellem, dies potius me deficeret, quàm illas vt par est, enumerarem; has paucas, cæteris præstantiores in medium afferre sufficiat. Mosaica lex

noncondita sed promulgata fuit per Mosem, at Euangelica & promulgata,& cōdita fuit per Christum. Mosaica lex rudi populo imposita fuit, vt formidine pœnæ à vitiis animum cohiberet, at Euangelica Christi fidelibus est descripta, vt virtutis amore, quod bonum est operarentur. Mosaica lex in locis Arabiæ desertis, supra Montem Syna accepta fuit, at Euangelica in Palestina pulcherrima Syriæ prouincia, supra Montem Syon est instituta, vt ait Isaias cap. 2. *De Syon exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem;* Mosaica Lex in lapideis tabulis fuit descripta, at Euangelica in corde suauissimis monumentis est consignata, vt ait Hieremias cap. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam;* Mosaica Lex brutorum animalium sanguine confirmata fuit, at Euangelica; salutari ipsius Christi morte intercedente, corroborata est, vt ait Apostolus Hebr. cap. primo. *Non enim per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta,* &c. Mosaica Lex, sub obscuris vmbrarum & figurarum velaminibus abscondita latebat, vt prioris Epistolæ ad Cor. cap. 10. legimus, *Patres nostri omnes sub nube fuerunt,* at Euāgelica Lex luce meridiana illustrior, adeò reserata est, vt omnibus Christi fidelibus pateat, vt D. Lucæ 8. cap. habemus. *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei;* Mosaica timoris Lex erat, ac seruitutis, & hac de caussa per Agar Abrahæ ancillam, præfigurata, at Euangelica amoris, ac libertatis Lex est, & hac ratione per Sarram Abrahami vxorem designata, vt ait D. Paulus Galat. cap. 4. *Hæc duo sunt testamenta, vnum quidem à Monte Syna in seruitutem generans, quæ est Agar; illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra:* Mosaica Lex, innumeris ferè variorum præceptorum vinculis Iudæos obstrictos detinebat, quæ ab Isaia Propheta cap. 9. vocatur *Iugum oneris, virga humeri, sceptrum exactoris, malleus conterens lapides,* at Euangelica non alligat, sed dissoluit, non astringit, sed liberat, quæ D. Matth. cap. 11. *Iugum suaue dicitur, & onus leue;* Mosaica Lex erat infirma, neque ex seipsa vllam conferebat gratiam, sed minabatur, percutiebat, occidebat, at Euangelica quæ perfecta lex est, & gratiam confert, consolatur, & sanat, & vitam largitur æternam, ut Gala. cap. 20. dicitur, *Arbitramur hominem non iustificari ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi:* Mosaica Lex sacramenta quidem at egena, & modicæ uirtutis habebat, quippe quæ ex ipsomet opere operato impios homines nequaquā iustos reddebat, at Euāgelica ita efficacia continet sacramenta, vt gratiæ non solum signa sint, sed caussæ effectrices instrumentariæ, ut sessione 7. cano. 6. sanxit Concilium Tridentinum, *Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem, non conferre anathema sit:* Mosaica lex populos illos

Dei

Dei seruos efficiebat, at Euangelica Dei filios, & Christi fratres nos constituit, vt Gal. cap. 4. inquit Apostolus. *Itaque nos cum essemus paruuli sub elementis mundi huius, eramus seruientes: at ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum in mundum, ut adoptionem filiorum reciperemus*: Mosaica lex cęli ianuam minimè aperiebat, sed patres omnes iustos etiam, & sanctos ante Christi aduentum, in Lymbo detinebat, at Euangelica cœlum reserat, atque pandit, vt in Apocal. cap. 4. Diuus Ioannes ait. *Vidi ostium apertum in cęlo*: Mosaica lex leues opes, & ancipites, fluxa bona & fragilia pollicebatur, vt Deuter. cap. 6. habemus. *Audi Israel, & mandata mea custodi, & dabo tibi terram fluentem lac, & mel*; at Euangelica dona cęlestia, perpetuaque uitæ beatæ præmia largitur, vt scribit Apostolus Hebr. cap. 9. dicens, *Et ideo noui testamenti mediator est, ut morte intercedente, repromissionem accipiant qui uocati sunt, æternæ hæreditatis in Christo Iesu Domino nostro*: Mosaica tandem lex, ad statuta sæculorum spacia, duratura, finem aliquando, nisi quoad doctrinam, & præcepta moralia, saltem, quoad sacrificia, & sacramenta habitura erat; at lex Euangelica manet in æternum, vt antiquissimus Tertullianus super illa verba Hieremiæ, cap. 31. *Et disponam domui Iudæ, & domui Iacob testamentum nouum, & non tale, quale iam dedi patribus eorum in die qua eduxi eos de terra Aegypti*, animaduertit inquiens, *Quare non tale? quia Circuncisio erat duratura ad certum tempus, Lex autem noua manet in æternum*: quod D. etiam Hieronymus super Epistola D. Pauli ad Galat. scriptam cap. 4. astruens aiebat: *Sicut exoriente sole, stellæ lumen suum amittunt, ita adueniente Christo Mosaica lex cessauit*; & Diuus Leo in hom. 8. de passione Domini, ita scribit: *Nunc carnalium sacrificiorum uarietate cessante, omnes differentias hostiarum, una corporis & sanguinis tui implet oblatio, quoniam tu es uerus agnus Dei, qui tollis peccata mundi*: & tandem hoc idem asseuerarunt quamplures alii patres, vt Iustinus martyr in suo dialogo cum Trifone, Ireneus 4. lib. aduersus hæreses, Clemens Alexan. 6. lib. Stromatum, D. Ioan. Chrisost. hom. 39. super Gen. D. Cyprianus sermone quem habuit contra Iudæos, & D. Aug. lib. 83. quæstionum, quæst. 58. lib. 19. contra Faustum, Epist. 19. quam scribit ad D. Hieron. & super Psal. 39. at hæc vna Christi Domini nostri auctoritas, ad hoc comprobandum sufficiat, quippe qui, in ara crucis seipsum immaculatum agnum æterno patri pro totius mundi peccatis offerens, vt veteris legis vmbris, atque figuris extremam manum imponeret, nouumque testamentum proprio sanguine confirmatum institueret, post sex illa verba aurea quidem, memoriaque sempiterna dignissima, septimum tandem & postremum verbum emisit dicens; *Consummatum est*. Etenim post Christi mortem defecerunt quidem legales ceremoniæ, sacri-

sacrificia,& sacramenta secundum virtutem,& efficacitatem, etsi non secundum vsum & exercitium: nam per annos fermè quadraginta post Christi à mortuis resurrectionem, vsque ad ipsius templi & vrbis Hierosolymitanæ euersionem à Romanis factam,sacrificandi consuetudo in illo templo non est intermissa; & quamquam non statim legalia,mortifera fuerunt, donec Euangelica lege promulgata Christi fidei veritas mundo innotescere cępit, mortua tamen fuere, & desierunt esse grata Deo,& hominibus salutaria. Optima igitur ratione auditores, sponsa Christi Ecclesia de vtraque lege hic verba faciens,Euangelicam ita præstantiorem Mosaica esse dicit,sicut vbera meliora sunt vino.

LECTIO XVIII.

Quia meliora sunt vbera tua vino.


QVONIAM ex tot tantorumque patrum huius libelli interpretum auctoritate,vbera Christi eius Euangelium, & uinum Mosis legem figuratè designare ostendimus, uberaque sponsi ab illius sponsa Ecclesia uino meliora dicuntur,hoc est Christi Euangelium Mosis lege præstantius prædicatur; ex his igitur,cum duo necessariò inferri possint, alterum quod ex literæ sensu Grammatico colligitur,hoc est ubera non solum, sed uinum etiã bonum esse, alterum uerò quod ex allegorico sensu seligitur, nimirum tum Euangelicam,tum etiam Mosaicam legem bonam esse, duæ quoq; hæreses antiquissimæ hic funditus euertuntur; quarum altera uinum nec bonum esse,nec à bono manare principio ineptè asseuerat:Altera autem ueterem Legem,& Prophetas,nec bonos esse, nec à bono Deo illorum doctrinam hominibus esse traditam impiè affirmat. Prior igitur hæresis,quæ in his uerbis conuincitur,exorta est à quodam Tatiano Iustini martyris primùm discipulo, qui omnium primus, ut referunt D. Irenæus libro primo aduersus hæreses,cap.3.& D. Epiphanius libro primo contra 80.hæreses, & Nicephorus libro quarto Historiæ Ecclesiasticæ cap.4.& Diuus Hieronymus super Amos prophetam cap. primo anno Domini 165.sub temporibus M. Antonini philosophi Imperatoris,& Aniceti Syri Romani Pontificis, nimis temerè affirmare ausus est, uitem esse sobolem Diaboli,qui in serpentem conuersus terræ se commiscuit,& ob id etiam vinum esse malum nec esse bibendum dixit, Mox à Seuero huius Tatiani discipulo, à quo Seueriani hæretici sunt appellati, anno Domini 170.sub Imperio Marci Antonini Philosophi,et Cõmodi, et sub Pontificatu Sotheris Fundani defensa fuit, referente D. Ireneo

libro 3. cap. 3. aduersus hæreses, & Epiphanio hæresi 45. & Eusebio Cæsariensi libro 5. Histor. Eccl. cap. 6. & D. Augustinus primo libr. de hæresi ca. 24. rursus anno domini 178. imperante Antonino Pio, & eodem Sotero Papa Dei Ecclesiam gubernante, alii nonnulli Encratitæ vocati, hoc est continentes, eiusdemque Tatiani discipuli, ex testimonio D. Epiphanii hæresi 47. eundem errorem amplexati sunt, & adhuc anno 79. supra ducentesimum, sub Aureliano Imperatore, & sub Felice huius nominis primo Romano Pontifice Cathari, seu potius Catharistæ (nam Cathari sunt Nouatiani à Nouato presbytero ortum ducentes, qui sub temporibus Galieni Imperatoris, & Stephani primi Pontificis extiterunt) qui ad Manichęorum familiam pertinent duo rerum principia dari impiè, & inerudite asseuerarunt; & quamuis vuis vescerentur, vinum tamen non bibebant, illud esse dicẽtes fel dæmonis principis tenebrarum harum; Ita referunt Philastrius, & D. August. lib. de hæres. cap. 26. vbi de Manichæis verba faciens, illos dicit in tres sectas distinctos fuisse, quidam enim Manichæi nuncupantur à Manethe Persa, à quo originem trahunt, alii Macarii dicuntur, & quidam Catheristæ idest Sanctuli seu puri homines: Et demum anno domini 630. regnantibus Heraclio Imperatore, & Honorio primo Rom. antistite, maledictus ille Arabs Mahometes idem ferè sentiens cum Tatiano, cum Seuerianis, cum Encratitis, & cum Catharistis, vini vsum prohibuit tamquam malum, & malorum effectuum caussam; At in his sponsæ Ecclesiæ verbis hæc hæresis reiicitur; nam si vbera meliora sunt vino, ergo vinum est bonum, cum nunquam aliqua duo inter se comparentur nisi in ea re quàm vtraque simul participent; si vbera igitur cum vino bonitate ac perfectione conferuntur, nonne vtraque bona esse debent? alioqui abusiua foret horum comparatio: præterquam quod si Christus in nuptiis in Cana Galileæ celebratis, aquam in vinum conuertit, & ministrantibus præcepit vt vinum haurirent, & ferrent Architriclino, immo verò, & conuiuis illud propinari iussit, nonnè vinum bonum est? nonnè creatura Dei est? nonne eo vti moderatè licèt? Rursus dominus noster cum discipulis suis cęnans bibit vinum, & vinum in sanguinem suum transubstantiatum mutauit, dicens, *Accipite, & bibite ex eo omnes; hoc enim quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis:* Deinde Paulus Apostolus cap. 5. prioris Epistolę ad Timotheū, consulit illi, vt aquam non bibat, sed modico vino vtatur propter stomachum: Et profectò auditores, nescio an magis impia an potius inepta dicatur hæc hæresis, animæ non solum, sed corpori etiam maximo detrimẽto existens, quandoquidem, etsi vinum nimis copiosè sumptum plurimū nobis obest, si tamen moderatè bibatur, plurimum vtilitatis corpori præstat; vt ipsemet Salomon Ecclesiastici cap. 31. confirmat inquiens.

Exultatio corporis & animæ est vinum moderatè potatum, vinum igitur bonum est, quamuis vbera illo sint meliora, vt hic ait sponsa Christi Ecclesia; *Quia meliora sunt vbera tua vino*. Posteriorem autem hæresim, quæ his eisdem verbis confutatur, ab iis hæreticis ortam esse inquiunt sancti patres, à quibus nefarius ille duorum omnium rerum principiorum error emanauit; putarunt enim tùm contra fidem catholicam, tùm contra naturalis philosophiæ principia, non vnicum esse totius vniuersi effectorem, & Deum, sed duos dari deos, quasi duo rerum principia, quorum alterum bonum Deum nuncupantes inuisibilium, & spiritalium rerum creatorem constituerunt, alterum verò malum Deum vocantes rerum corporearum cum materiaque concretarum factorem effecerunt; hinc ad tantam deuenerunt stultitiam, vt illum Euangelicam tantum legem condidisse, hunc verò vetus testamentum tradidisse putarint, cuius hæresis auctor in ipsius nascentis Ecclesiæ temporibus anno domini 50. fuit impius ille Simon Magus, vt referunt D. Epiphanius 2. lib. hæres. capi. 66. D. Hieron. in exordio suorum comm. super Epist. D. Pauli ad Titum: licet Alphonsus de Castro lib. 9. aduersus hæreses in dictione, *Lex*, hæresi secūda Cerdoni qui fuit magister Marcionis Pontici, tribuat principatum & magisterium huius hæresis, qui Cerdon viguit anno Domini 144. tēpore Antonini Pii Imperatoris, & Higinii Papæ & martyris, vt refert Irenæus lib. primo aduersus hæreses cap. 28. & D. Hilar. 6. libr. de Trinit. quam deinde hæresim variis succedentibus temporibus, varii amplexati sunt hæretici, vt Pseudoapostoli anno 60. vt Carpocratiani à Carpocrate quodā hæretico sic dicti, anno Domini 129. sub imperio Adriani Cæsaris, & sub Pontificatu Xisti Romanorum antistitis, vt Cerdoniani à Cerdone Mago sic nuncupati, anno 144. vt Marcionistæ à Marcione pontico ortum ducentes, anno 155. sub Imperio Antonini Pii, & sub pontificatu Pii huius nominis primi, ex testimonio D. Irenæi primo libro aduersus hæres. cap. 29. & Eusebii Cæsar. libro quarto Hist. Eccles. vt Caiani, seu Caini, anno 159. sub iisdem Imperatore, & Pontifice ex auctoritate Tertulliani libro de hæres. & D. August. libro de hæres. cap. 18. vt Appelles, Marcionis discipulus, anno 170. hoc refellit Tertullianus in libro de præscriptionibus; vt Manichæi anno 273. imperantibus Aureliano Imperatore, & Felice primo Papa, vt optimè animaduertunt D. August. ibidem, & Eusebius lib. 7. cap. 28. vt demum anno domini 407. Faustus Manichæus, Pauliciani, & Albanenses sub temporibus Arcadii Imperatoris, & Innocentii primi Rom. Pontificis, ita inquiunt D. August. lib. 2. contra Faustum, & Euthimius Monachus primo libro Panopliæ titulo 9. & 2. lib. titulo 21. 22. & 23. omnes igitur hi hæretici, vt illos breuiter repetam Simon Magus, Pseudoapostoli Cerdoniani, Marcionistæ

cionistæ Caiani, seu Caini, Appelles, Manichæi, Pauliciani, & Albanenses, vnanimi asseuerarunt consensu, legem veterem, omnesque prophetas & malos esse, & esse à malo Deo, hoc est à quadam sinistra virtute, quam vel malum Deum, vel harum tenebrarum principem nominarunt; hanc autem impiam ac dæmoniacam hæresim hi homines conscelerati variis, & illis quidem insulsis rationibus, quæ ad quinque capita redigi possunt, comprobare nituntur, vt in futura lectione explicabimus.

LECTIO XIX.

Quia meliora sunt Vbera tua vino.



VONIAM omnes ac singulę hæreticorum rationes, quibus Mosaicam legem atque Prophetas malos esse, & à malo Deo emanasse impiè astruere nituntur, in quinque tantum capita redigi posse diximus, reliquum modò est, vt eas in medium proponamus, vt inani illarũ probatione reiecta, ipsius catholicæ fidei veritas magis magisque elucescat: primum igitur caput, à quo varias desumunt rationes hæretici, illud est, quod in veteri lege, quampl ura mala ab eius auctore aut fiunt, aut à nobis fieri præcipiūtur, quæ sanè mala triplicis sunt generis, hoc est prauorum affectuũ, iniquorum verborum, & nefariorum operum, & vt à prauis (vt ipsi dicunt) affectibus exordiamur Isaiæ cap. 6. legimus, *Excæca cor populi huius, & aures eius graua, & oculos eius claude, ne fortè uideant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant*; quo loci, inquiunt hęretici, antiqui testamẽti auctorẽ huiusmodi perpessiones in sensibus nostris caussare, quæ prauæ sunt, & bono Deo non dignæ, vt excæcare cor, aures aggrauare, & oculos claudere populi sui, vt tandem extrema pressus miseria infœlicissimè pereat; Rursus aiunt apud Ezechielem cap. 20. veteris legis conditorem iniqua præcepta tradere, mortiferaq; iudicia, cum ipsemet ibidem dicat, *Et ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non uiuent.* Adhuc illud etiam adducunt, quod ipse Michæas cap. 2. ait, *Vtinam essem uir non habens spiritum, & mendacium dicerem*. Si verò à prauis affectibus ad iniqua verba, quæ in hoc veteri testamento, vt putant hæretici, aut dicuntur, aut dici iubentur, nunc accedamus. Nonnè inquiunt ipsi, Genes. cap. 12. Legimus, Abraham de terra sua, vbi magna præualuerat fames, egrediẽtem, in Aegyptum descendisse, vxorique suæ Sarrai dixisse, *Noui quod pulchra sis mulier, & quòd cum uiderint te Aegyptij, dicturi sunt, uxor illius est, & interficient me, & te seruabunt, dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis, ut benè sit mihi propter te, & uiuat*

anima mea ob gratiam tui; quo in loco dicunt hæretici Abraham vxori suæ Sarrai, vt mendacium diceret, suasisse; & Gen. cap. 27. Iacob nonnè patrem suum Isaac, matris suæ hortatu decepit? *Quis es tu fili mi? & respondit Iacob Ego sum primogenitus tuus Esau.* Mentitus est & Ioseph coram fratribus suis, nam cùm dispensatori domus suæ iussisset, vt schyphū argenteum, vnà cum tritico in ore Sacci iunioris fratris, hoc est Beniamin, poneret, vt tamen habemus Gene. 44. misit dispēsatorem & ait illi, *Surge, & persequere uiros, & apprehensis, dicito, quare reddistis malū pro bono? schyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, pessimam rem fecistis*; Sed quid moror exemplis? Ionathas mentitus est corā patre suo Saule Hebræorum Rege, Iudith corā Holoferne, vt ipsum deceptum occideret, obstetrices etiam Iudæorum in Aegypto mendaces fuerunt, Raab meretrix, & alii quamplures, quorum mendacia in veteri testamento leguntur; & quid mirum, homines hanc legem colentes mentitos fuisse, si ipsemet legis conditor est mendax? nam per Ionam prophetam comminatus est Niniuitis, eorum ciuitatis euersionem, quam tamen non euertit, misit etiam Isaiam prophetam ad Ezechiam Regem ægrotantem vt illi diceret *Dispone domui tuæ, quia cras morieris, & non uiues*, & tamen vt habemus cap. 38. quindecim adhùc annos superstes vixit, & libro 3. Regum cap. 22. iubet Deus spiritui nequam, & immundo, vt decipiat Achab Regem Israel dicens, *Et quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat, & cadat in Ramath Galaad?* cumque dæmoniacus spiritus illicò adfuisset inquiens, *Ego decipiam, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius*, ipsi assentitus est dominus, & ait, *Decipies & præualebis, egredere, & fac ita.* Verum non solum praua affectus, & iniqua verba, sed quod peius est, opera quoque nefaria, in veteri lege, ab eius auctore, aut ex ipsius imperio ab hominibus perpetrata fuisse leguntur, vt improba homicidia, & sordida furta, nōne Iudith mulier Hebræa, sub amoris impudici specie, Holofernem decipiens, capite obtruncato, illum occidit, & Hebræorum populi, ut Exodi cap. 12. scribitur, cum in Aegypto sub Pharaonis seruitute captiui detinerentur, ex Dei præcepto res ab Aegyptiis preciosiores mutuantes, illas clam aufugientes, scelestè furati sunt. Audite. *Feceruntque filij Israel sicut præceperat Dominus Moisi, & petierunt ab Aegyptijs uasa argentea & aurea, uestemque plurimā, & spoliauerunt Aegyptios*; præterquam quòd Deum in ueteri testamento iubentem legimus, vt oculus pro oculo, & dens pro dente eruatur, ac euellatur, & hoc pacto hæretici in antiquam legem & Prophetas impiè irruentes, quomodo inquiunt bonus is esse potest, qui talia & huiusmodi mala præcipit? Secundum verò caput, ex quo idem probandi argumenta sumunt, hi nefarii homines, illud est, quod caduca bona, & magis corpori quàm

quàm animæ congruentia præmia, illis à Domino polliceantur, qui huic legi illiusque præceptis obtemperant, ficuti funt filii, dignitates, diuitiæ, & vitæ diuturnitas, quæ certè cum fortunæ potius, & corporis, quàm animi bona fint, & hominibus non parua ferant impedimenta, quo minus beatam vitam pofsint confequi, putandum eft non à bono Deo, qui cœleftia bona, & fempiterna largitur, fed à malo Deo promitti, qui terrena bona, & temporaria donat; Addunt præterea, quafi venenofum iaculum in catholicam veritatem iacientes, tertium fuarum rationum caput, & inquiunt, ceremonias, facrificia, & facramenta, quę Dominus in veteri teftamento obferuanda præceperat, vti funt, paruulos omnes octaua die circuncidere, aquis benedictis fe afpergere, federe in cinere, induere fe faccis, oues, agnos, turtures, & columbas Deo offerre, & quàmplura alia id genus, innanes funt ceremoniæ, & à Chrifti fidelibus omnino neglectæ, vt in Actis Apoft. capite 15. & Galat. capite quarto legimus; ibi namque acriter reprehenduntur Iudæi, qui adhuc Iudaizantes feipfos circuncinderent, & ad priftinas antiquæ legis ceremonias redirent, ita inquit Apoftolus Paulus ibidem; *Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo feruire vultis?* ita inquit D. Petrus in Actis Apoft. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum fuper ceruices difcipulorum, quod neque patres noftri, neque nos portare potuimus?* Qui igitur fieri poteft (obiiciunt nobis hæretici) vt inanes, ac fuperftitiofæ ceremoniæ, quæ in veteri teftamento obferuabantur, à bono Deo nobis præciperentur, à quo in Euangelica lege ita feuerè damnantur? Quarto autem loco infurgunt hæretici, & ex leui quodã, feu nullo potius fymbolo, quod vt ipfi inquiunt, inter vetus, ac nouum teftamentum intercedit, ita argumentantur; fi antiqua lex Mofis à bono Deo hominibus data fuiffet, propter hanc præcipuè caufam, quòd Euangelicæ legi deftinata deferuiret, datam fuiffe dicendum effet, at nulla ex parte antiqua lex nouæ opitulatur, nec quòad fidei Catholicæ confirmationem, nec quoad bonorum morum inftitutionem, non ergo à bono Deo, fed à malo condita effe videtur; Et qui mores profectò, in veteri teftamento, nifi improbi, quæ confuetudines, nifi peruerfæ à populo illo Iudaico obferuari leguntur, fi fratres cum fororibus, fi parentes cum filiabus, fi Prophetæ cum Virginibus, fi Reges cum meretricibus impudentifsimè iacent? Et tandem quintum, & poftremum caput, à quo hæretici hanc catholicę fidei veritatem impugnandi rationes fufcipiunt, ex nonnullis nõ certè veris, at apparentibus contradictionibus, quas in hoc, & in illo teftamento reperiri aiunt, nimis impiè defumunt, cumq; res ita diuerfæ fibiq; inuicem repugnantes, ab codẽ bono Deo nobis præcipi nequeãt,

vetus testamentum à malo Deo, & nouum à bono hominibus traditum fuisse aiunt; in noua etenim lege ca.4. primæ Epistolæ D.Ioan. legimus *Deum nemo vidit vnquàm,* & Exo.ca.32.dicitur à Mose; *Vidi Deum facie ad faciem:* Rursus in Euangelio D.Ioan.ca.5.scribitur, *Pater meus operatur vsque modò, & ego operor,* & ca.20. Gen.habetur, *Requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat:* Quæ sanè & huiusmodi alia inter se pugnare videntur.Hæc sunt auditores quinq; hæreticorū capita,ex quibus varios in legem Mosaicam,& Prophetas argumentandi modos accipiunt;quibus ego sextum, & postremum caput addo,ex nonnullis Apostoli Pauli auctoritatibus desumptum , vt Rom. cap.3. vbi dicit Apostolus; *Quid ergo amplius Iudæo est, aut quæ utilitas circumcisionis? ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo,* vt ibidem subiungit, *Per legem cognitio peccati sine cuius legis operibus iustificatur homo per fidem Iesu Christi;* vt cap.4. *Lex iram operatur;* vt ca.5. *Lex subintrauit, ut abundaret delictum;* vt cap.7. *Soluti sumus à lege mortis,* vt Gal.cap.3. *Quicunque sub operibus legis sunt, sub maledicto sunt,* & ibidem; *In lege nemo iustificatur apud Deum, quid igitur lex? propter transgressionem posita est:* Si lex antiqua nullam fert opem, non iustificat, cognoscit peccatum, iram operatur, subintrauit vt abundaret delictum ponit nos sub maledicto , & est causa mortis, poteritne esse à bono Deo, qui nobis vbiq; præstò est, nos iustificat, dimittit peccata, misericordiam nobiscum facit,nos benedicit,vitamq; largitur æternam? nequaquam auditores,iuquiunt hæretici, his rationibus, & auctoritatibus suffulti,sed à malo Deo vetus testamentum,& Prophetas esse dicendum est; Nos tamen fidei Catholicæ lumine illustrati, tum rationibus hęreticorum ex quinq; capitibus desumptis, tum his Apostoli Pauli auctoritatibus, pro viribus satisfacientes, tam Mosis legem, quàm Prophetas bona esse, & à bono Deo, à quo nobis datum est Euangelium, Iudæis tradita fuisse satis dilucidè ostendemus.

LECTIO XX.

Quia meliora sunt Vbera tua vino.

MIROR equidem,& magnoperè miror hos improbos ac nefarios homines, ad tantam deuenisse, non dicam impietatem, sed insaniam,vt antiquum testamentū malum esse,& à malo Deo Iudęis traditum fuisse affirmare ausi fuerint,quādoquidem nullus est diuinarum scripturarum adeo inscius,qui pluri b.in locis non legerit,ab eodem auctore Deo Opt.Max. vtramque conditam fuisse legem, Mosaicam scilicet,& Euangelicam,& illud quidem ad hóc probandum

probandum satis esset, quod Hierem.ca.31.prædixit, nempè illum eundem Deum, qui vetus hominibus testamentum dedit, nouum etiam aliquando daturum; Audiant hæretici, quid ipse dicat: *Ecce dies venient dicit Dominus, & constituam uobis testamentum nouum, non vt testamentum illud quod cum patribus vestris constitui, quo die eduxi eos ex Aegypto:* At nonne legimus apud Isaiam ca.6.antiquæ legis conditorẽ, à duobus Seraphim in templo, bonum, & sanctum alternis vocibus celebrari? *Duo Seraphim cantabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, cuius etiam legem bonam, & sanctã Dauid Propheta in Psal.18.appellauit dicens, *Lex Domiui immaculata conuertens animas.* Taceo nunc Zachariã Ioannis Baptistæ genitorem, qui de Christo Domino in suo Cantico verba faciens ait, Ipsum per os Prophetarũ, quos sanctos vocat, loquutum fuisse, immo verò & ipsummet vetus testamentum sanctum ibidem appellat. Eritnè igitur rerum bonarum & sanctarũ auctor malus, & nefarius? Proh Deum immortalẽ D. Marcus Euangelista suum exorditur Euangelium ab antiquæ legis, & Prophetarum auctoritate, inquiens, *Initium Euangelij Iesu Christi, vt scriptum est in Isaia Propheta, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te:* Illud etiam addam, si mali Dei antiqua lex est, cur D.Lucas Zachariam, & Elisabeth, qui sunt ex veteri testamento, iustos coram Deo extitisse testatur? Si veteris testamenti malus est auctor, cur Christus D.Ioan.ca.5.ait; *Scrutamini scripturas, quia ipsæ testimonium perhibent de me*; & D.Apostolus Paulus Heb.c.1.eundem Deũ vtriusq; testamenti auctorem fuisse fatetur, cum inquit, *Multifariam, multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio.* & Rom.c.7.aduersus infideles quærens, an lex Mosis mala esset, & peccatum, nequaquam respondit; *Quid ergo* inquit dicemus? *Lex peccatum? absit, nam noui, quòd lex spiritualis est*, & ibidem in calce capitis inquit, *Itaq; lex sancta, & mandatum sanctum*; D.etiam Petrus in Actis Apost.c.3.idem asseuerans ait; *Deum immortalem per os Prophetarum in antiquis scripturis, unigeniti filij sui aduentũ hominibus prædixisse, & omnes Prophetę à Samuel & deinceps qui loquuti sunt annunciauerunt dies istos, uos estis filij Prophetarum, & testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros dicens, ad Abraham, in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Quę verba Gen.c.12.& 18. habẽtur. Rursus Deipara virgo hoc idẽ in suo cantico cecinit dicens; *Suscepit Deus Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. sicut loquutus est ad patres nostros*, &c. Immò verò ipsemet Christus vt asserit D. Mat.c.1.ex antiquorum patrũ seminẽ nasci voluit, sicut Deus tam Abrahæ quàm Dauidi pollicitus fuerat; ex qua ratione factum esse arbitror, vt

Mosaicam legem,& omnes eius Ceremonias,Sacrificia,& Sacramenta, accuratè seruarit,coluerit, & adimpleuerit,vt D.Mat.c.5.legimus, *Non ueni*, inquit ipse, *soluere legem, sed adimplere*; & vt illud nunc prçtereà, Christum videlicet tanta Dei templum reuerentia coluisse, vt cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ementes,& vendentes de templo Dei eiecerit, illud equidem silentio præterire non possum, ipsum pluribus in locis Euangelii, & eius quoq; discipulos antiquæ legis testimonüs vt plurimum vti voluisse. Quare cum in deserto cum Sathana bellum gereret,vt eius tela iniquissima propulsaret,ex veteris testamenti Panoplia sacrarum scripturarum scutum,& arma desumpsit dicens, *Scriptum est, non in solo pane uiuit homo*, &c. *Scriptum est, non tentabis*, &c. *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis*, &c. Quæ auctoritates Deut. c.6.& 8.habentur,præterquàm quòd Christus verus Deus, & verus homo,maximis non solum laudibus antiquiores veteris testamenti patres extollit c.præsertim 8.apud D.Ioan.inquiens, *Abraham exultauit ut uideret diem meum,uidit, & gauisus est*, verum etiam in cęlesti regno cum beatis illos collocat, vt D.Matt.c.5.habemus, *Multi uenient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac,& Iacob in regno cælorum:* Verum si lex antiqua mala est,cur nouę legis conditor Christus, illum iuris peritum, qui se vitam æterna quærere simulabat, ad veterem legem reiicit? Dixerat enim ille legis Doctor D.Lucę c.10.*Quid faciendo uitam æternam possidebo*; cui Christus respōdit, *In lege quid scriptum est? quomodo legis?* & illo inquiente, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,& ex omnibus uiribus tuis,& proximum tuum sicut teipsum*; Quæ verba Deut.c.6.scribūtur,tunc ait Christus, *Hoc fac, & uiues*. Et quis vestrum aut non legit,aut ab aliis saltem nō audiuit,discipulos illos,post Christi resurrectionem,euntes in castellum Emaus ab illo reprehēsos fuisse,quippe qui stulti essent,& tardi corde ad credendum in omnib.quæ loquuti sunt Prophetæ?incipiens enim à Mose,& omnib.Prophetis, interpretabatur illis scripturas in omnibus quæ de ipso erant. O impii,& consceleratì hæretici,si mala lex est antiqua,quomodo pedagogus fuit in Christo, sicut Apostolus Gala.c.3.scribit? nā si Christi fides vera est & bona,legem quoq; veterē, quæ nos ducit ad Christū,eiusq; fidem suscipiendam,& verā,& bonā esse oportet; qñquidem malus pedagogus esse nequit, qui bene pueros instituit, & tandem innumera ferè adsunt Sanctorū Patrum testimonia,quib.veteris testamenti auctor bonus esse, vt verus Deus, & idem ipse,qui nouā legem cōdidit dilucidè comprobatur: at hæc pauca duntaxat in mediū me attulisse sufficit,quibus alia duo addo,quorū vnum est D.Hier.testimoniū,Hom.1.super Cant.cant. alterū verò est Origenis in suo proœ.1.li.

Periarchon

Periarchon,seu de principiis,ita inquit D.Hieronymus: *Meliora sunt ubera tua vino, vinum ergo intelligamus bonum, non malum; bonis enim non malis dogmatibus comparata sponsi dogmata præferuntur,& bonum uinum gustauerat sponsa prius in lege,& Prophetis, ex quo præmeditata erat lætitiam cordis accipere, & præparare, ut capere posset excellentiorem sponsi doctrinam*; Ita inquit Origenes: *Vnus Deus est,qui omnia creauit ex nihilo, & Prophetarum & Apostolorum Deus est, & veteris, & noui Testamenti auctor.* Garriant igitur, quantum velint hi maledici ac dementes hæretici, Mosaicam legem, ac Prophetas impiè incusantes, iam satis apertè à nobis demonstratum fuit,vtrumque testamentum bonum esse,& vtriusq; Deum optimum maximum tum per Mosem,& Prophetas,tum per Christum,& Apostolos sanctos conditorem fuisse.

LECTIO XXI.

Quia meliora sunt vbera tua vino.

POSTQVAM improbam Simonis Magi, eiusque sectatorum hæresim, variis, & illis quidem efficacibus rationibus,& auctoritatibus confutauimus,reliquum modò est, vt eorum argumentis in fidei catholicæ veritatem obiectis pro virili parte satisfaciamus. Quòd igitur spectat ad primum caput, quod de malis,aut affectibus,aut verbis,aut operibus erat, quæ in antiqua lege ab eius auctore fiunt,& fieri præcipiuntur; à prauis affectibus nobis exordiendum est,& quod primo loco obiiciunt,antiquæ videlicet legis conditorem cor populi sui excæcare,aures grauare,& oculos claudere,nihil sanè nobis officit; Clemens enim Alex. 1. libro Stromatum, D.Augustinus libro de prædest.& gratia,cap.4.D.Greg.13.libro Moralium capite 16.& D.Thom.libro 3.contra Gentes,ca.162. inquiunt, Deum hominum corda excæcare, atque duriora efficere, non quòd in cordibus nostris cæcitatem,& duritiam ipse Deus causset,sed quòd corda nostra gratiæ suæ radio non illuminat,neque mollit, vt exempli gratia,nobis contingeret, si quandò nocturno tempore in domo manentibus,& aliquid lucernæ lumine operantibus, aliquis inhumanus homo, illius lucem flatu extingueret; diceretur enim homo iste nos excæcare, non quia oculos, aut sensum visus nobis abriperet, sed quoniam lucernæ lumen,quo videntes operabamur,extinguendo auferret, ita quoque Deus impiorum hominum corda excæcat,non arbitrii libertatem auferendo,at gratiæ suæ præsidium non præbendo. Cum rursus aiunt antiquæ legis datorem iniqua præcepta tradere, mortiferaque iudicia, non

absolutè,vt inquiunt,intelligendum hoc est; sed ex Mosaicæ legis comparatione cum Euangelica,cuius præcepta, & iudicia adeò bona sunt, & perfecta,vt præ illis non bona & imperfecta vocentur Mosaica, sicuti apud D. Lucam cap.18.solus Deus bonus esse dicitur, & tamen Gene. cap.1.de creaturis omnibus legimus; *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant ualdè bona*; quæ cum Deo si conferantur, mala sunt; bona igitur sunt,& in suo genere perfecta, quæ à Deo in veteri testamento præcipiuntur,quamuis cum noua lege si conferantur, non bona, & imperfecta vocentur. Cum demum illud Micheæ cap. 2. nobis obiiciunt, vbi Propheta se Prophetico spiritu carere, atque mendacem esse desiderans inquit: *Vtinam essem uir non habens spiritum, et mendacium dicerem:* pro huius auctoritatis explicatione animaduertendum est,hæc Prophetæ verba, ex illis dimetienda esse, quæ ab eo superius pronunciata fuere: at prædixerat Micheas diuino afflatus spiritu,calamitates, & ęrumnas, quæ Iudaico populo propter eius scelera imminebant, & hac de caussa,quasi hyperbolicè loquens, angitur animo, suæ se genti tot mala euentura,tanta cum certitudine præuidere,& ita dolet,vt cuperet potius spiritum non habere propheticum, & mendacium dicere, qui loquendi modus apud nos etiam vulgatus est,qui cum aliquid mali nostris euenturum familiaribus prædicimus,statim etiam amoris,quo illos prosequimur ostendendi gratia,subinferimus, vtinam vobis mendacium diceremus; Et hactenus de iis, quæ pertinent ad primum caput. Nunc verò ad argumenta malorum secundi generis dissoluenda, quæ sunt mendacia, accedamus; & pro clariori notitia hæc pauca adnotemus: primo autem loco sciendum vobis est,mendacium, vt D. Aug. illud diffinit, libro contra mendacium, cap.3. esse falsam vocis significationem, cum intentione fallendi, quam diffinitionem D. Thom. 2.2.q.110. artic.1. explicans,tria inquit pro mendacii complemento requiri, materiam,formam,effectum,materia mendacii est falsa vocis enunciatio, seu ipsamet res falsò ennnciata, forma est intentio fallendi, effectus tandem est illius hominis deceptio,cui mendacium dicitur; cum igitur tria hæc mendacii naturam compleant,à forma potissimum non à materia, neque ab effectu mendacii substantia constituitur; quamquàm enim aliquod enũtiatum falsum esset,& is,cui hoc dicitur,tanquam verum crederet, mendacium tamen non esset,nisi fallendi adesset intentio. Præterea secundo loco vobis animaduertendum est triplex esse mendacium, sicut triplex est mendacii consideratio; primo enim considerari potest mendacium, vt opponitur veritati,sicuti enim veritas est æqua rerum, vocum, & conceptuum commensuratio,ita mendacium eorundem est inæqualitas, vt magis aut minus à veritate recedunt; ex quo factum est,vt Aristoteles

4.lib.

4.lib.Ethicorum cap.7.in duo genera mendacium distinxerit,nimirum in iactantiam,quæ veritatem excedit,& ironiam,quæ hanc diminuit; loquor autem de ironia,quæ vitium est, nam datur alterum genus ironiæ, quę simplex est arrisio,non ad decipiendum,sed ad ostendendam potius alicuius turpitudinem,aut inscitiam parata, sicuti cum hominem turpē, aut ineruditum alloquentes,illum ironicè pulchrum, et doctum appellamus;potest deinde spectari mendacium,vt ex diuersitate finis, aut auget culpam,aut diminuit,qui finis,cum triplex in homine mendaci reperiri possit,vel nocendi,vel delectandi,vel iuuandi, triplex etiam hinc ortum est mendacium,videlicet noxium,iocosum,officiosum; demum attendi potest mendacium ex parte culpæ,aut solum augendæ, aut diminuendæ tantum,aut nec diminuendæ,nec augendæ. Hinc auditores ex D.Aug. doctrina ibidem quamplures mendaciorum species oriuntur, perniciosum namque mendacium,vel est contra Deum,et est hæresis,vel est aduersus hominem cum intentione nocendi uni,et alteri opem non ferendi,vel est in hominem cum intentione nocendi aliquibus,& alios iuuandi,& hæ mendacii tres species ad culpæ augmentum spectant, quibus additur quarta mendacii perniciosi species,quod dicitur medium, quod neque ad augumentum culpæ,neque ad decrementum pertinet, quando scilicet aliquis ex habitu quodam facto, quàm sæpè,& ferè semper mentitur; Iocosum verò mendacium vnam tantum constituit speciem, cum videlicet ex intentione solum delectandi mentiuntur; & tandem mendacium officiosum,quod iuuandi tantum gratia dicimus,tres pariter habet species,sicut tria sunt bonorum genera,in quibus amicis opem ferre possumus;vel enim sunt bona animi,vel corporis,vel fortunæ.Quare ex his octo mendaciorum speciebus tres priores, quæ noxia mendacia sunt,ad augumentum culpæ solum spectant,quatuor autem posteriores,quæ iocosa sunt,aut officiosa mendacia,tantum ad culpæ decrementum pertinent,vnica verò species,quæ mendacium,cuiusdam medii generis appellatur,nec ad decrementum,nec ad augumentum culpæ refertur. Tertio adhuc loco prænotandum est, quodlibet mendacium siue noxium, siue iocosum,siue officiosum,esse malum,atque peccatum,non paruo tamen cum discrimine;quoniam noxium culpa mortale est,iocosum verò,atq; officiosum peccata sunt venialia,cuius discriminis hæc ratio est,quia noxium culpam auget,iocosum verò, & officiosum diminuunt, illud delectationis,hoc verò vtilitatis gratia: Quamobrem omne mendacium, vt mendaciũ est, peccatũ est,ac summopere detestandum, ita inquit Dauid in Psal.5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*; ita inquit Salomon Eccles.cap.2. *Vhæ duplici corde, & scelestis labijs*; ita inquit Apostolus Ephes.c.4. *Deponentes mendacium,sequimini veritatem*, ita inquit ipse-

met Christus D.Matth.cap.25.*Sit sermo vester est,est,non,non,quod autem amplius est,à malo est.* Rursus quarto loco est obseruandum,varios, inter mendaciorum genera,imperfectionis gradus assignari, ita vt illud magis minusve graue mendacium sit,ex quo maius,vel minus malum infertur,aut minus vel maius bonum impeditur. Et quamquàm mala non sint facienda,vt veniant bona,ex Apostolo Rom.ca.3. & ex Decretalib. titulo de Bonis,vbi dicit Innocentius Papa; *Nullus mentiri debet,etiam pro tuenda alterius vita;* minoris tamen culpæ is accusandus est, qui malum operatur vt veniat bonum,quàm qui malum,vt viuat,simpliciter facit. Quinto insuper loco præsciendum est,quod D.Aug.eodem in loco refert de iocoso mendacio,& officioso,nempè nos aliquando in huiusmodi mendaciis videri quidem mendaces,at re ipsa non esse; hoc autem duabus de causis fieri posse docet,vel scilicet, quia figuratè loquimur, uel quia ueritatem occultare,non tamen negare uolumus;nam qui uerè mentitur,non solum occultat,sed negat ueritatem;quamobrem cum Innocentius Papa,nullum prorsus mendacium esse dicendum astruit,etiam pro tuenda alterius uita,huius decreti ueritas ita intelligenda est, ut occultetur,& simul negetur ueritas,atque ut sub literalis sensus cortice diuinum non lateat mysterium,aliter enim si figuratè loquamur, & ueritatem dumtaxat occultemus,mendacia quidem dicere uidemur, at non dicimus.Sexto demum,& postremo loco prænotandum est,Deum opti. max.summam esse bonitatem,& ueritatem, omnis prauitatis expertem, omnisque falsitatis;sicuti namque summæ bonitati facere malum repugnat,ita summè ueritati dicere falsum aduersatur; & quis non ingenuè fateatur,Deum esse summè bonum,summeque ueracē, si D.Marci c.10. de ipso legimus: *Nemo bonus nisi solus Deus*, si ipsemet Christus D. Ioan.c.14.ait;*Ego sum via,veritas,& vita?* prçterquam quod si mendacium naturam fluxilem præmonstrat, & mutationi obnoxiam, eritne Deus mendax,qui manens immobilis dat cuncta moueri?Hinc Deuter. cap.33.legitur; *Deus non est qualis homo,vt mentiatur, nec vt filius hominis,vt mutetur:* cui D.Aug.2.lib.de Ciuitate Dei cap. 25. assentiens inquit; *Si inuenire aliquid uelimus, quod de omnipotentia Dei non dicatur,illud potissimum est Deum mentiri non posse.* His igitur sex prænotione dignis adnotatis,respondendum nunc est hæreticorum argumentis, quibus ueterem legem à malo Deo conditam fuisse probare conantur, ex verbis iniquis,& mendaciis,quæ ibi reperiuntur: Primum uerò illud Abrahę nobis obiiciunt, qui ob temporariam uitam seruandam, uxori suæ Sarrai,ut mentiretur, suaserit; quod sanè si rectè intelligatur, non ita se habet. Neque enim uxorem Abraham obsecrauit, ut ueritatem negaret, hoc est, ut se Abrahami uxorem non esse diceret, sed ut ueritatem

tem occultaret, illius ſororem ſeſe nuncupando; Et quid ſi dixerimus Abraham nullo pacto mendacium, ſed ipſamnet ueritatem uxori ſuæ perſuaſiſſe? Etenim uetus cōſuetudo apud Iudæos tunc temporis erat, ut oēs unius eiuſdemq; familię cognati fratres appellarentur, & Abrahā Gen. cap. 13. Socerum ſuum Loth alloquens, fratrem illum uocat, & ait: *Ne quæſo ſit iurgium inter me et te, et inter paſtores tuos et meos: fratres enim ſumus*; Cum igitur Sarrai illius eſſet vxor, poterat ſanè Abrahā eam ſororē vocare, & ita veritatem vnam occultabat, alterā verò Aegyptiis pa tefaciēbat; Iacob etiā, dum ſuæ genitricis hortatu, corā patre Iſaac illius primogenitum Eſau ſe eſſe dixit, non mentitus eſt, quandoquidem, & ſi re ipſa Iacob erat, & non Eſau, diuinæ tamen prouidentiæ myſterium ſub literalis ſenſus cortice latebat, nimirum hi duo fratres Eſau, & Iacob, duos populos Iudæos ſcilicet, & Gentes figuratè præſignabant, quorum iunior frater hoc eſt Gentes, maiorem natu, hoc eſt Iudæos, cœleſtis hæreditatis præſtantia excellere debebant. Quod verò dicūt Ioſeph coram fratribus ſuis mentitum fuiſſe in hoc certè decipiuntur, neque enim veritatem negauit, ſed occultauit, cum nunquam ſe eſſe Ioſephum negauit, etſi talem ſe eſſe nunquam aſſeruit: at inſurgent hæretici inquiētes, nonne ſuo iuſſit diſpenſatori, vt argenteum ſchyphum vnà cum tritico in ore Sacci iunioris fratris Beniamin poneret? nonnè illum deinde miſit vt ipſis apprehenſis diceret, quare argēteum Schyphum furati eſtis, & malum pro bono reddidiſtis? nonnè Ioſeph, ſi res ita ſe habet, mentitus fuit? quibus ita nos reſpondemus, bifariam contingere poſſe, vt id quod non eſt, dicamus, vel vt illud pertinaciter aſſeueremus, vel vt illud tandem tanquam falſum aliqua iuſta de cauſſa ſponte detegamus, hoc autem ſine peccato fieri licèt, illud verò nequaquam; Ioſeph igitur aſſeruit quidem quod non erat, non vt illud cum pertinacia affirmaret, neq; cum intentione fallendi, quæ forma eſt mendacii, & qua ablata ſubſtantia mendacii aufertur; ſed vt aliquando magna cum eorum lætitia, quæ abſcondita erant, fratribus reuelaret; & fortaſſe vt tamquam iuſtus Dei miniſter aliqua ex parte, hac animi moleſtia fratres affligeret, quòd illum mercatoribus Iſmaelitis adeò iniuſtè vendidiſſent. *Obijciunt deinde nobis hæretici, & Ionatham coram Saule, & Iudith coram Holoferne, et obſtetrices filiorum Iſraël coram Pharaone*, & quamplures alios Iſrahelitas mendacia dixiſſe, quod ſanè verum eſſe concedimus, ſed non ob id ſequitur, vetus teſtamentum, aut eius auctorem malum fuiſſe; etenim homines iſti mendaces, ſuis in mendaciis Deo non placuere, & ſi qui diuinæ maieſtati chari extitiſſe leguntur, immo verò, & præmiis, muneribuſque donati, vt obſtetrices Aegyptiacæ, harum tam mendacia non laudantur, aut beneficiis afficiuntur, ſed beneuolentia, ac pietas obſtetricum erga


Iudæorum filibs, pro quorum vita seruanda coram Pharaone mentiri mi nimè dubitarunt, summoperè cōmendatur; vtrumque enim Deus respicit opus bonum videlicet, & malum, at bonum laudat, atque remuneratur, malum verò damnat, & punit: præterquam quòd in Euangelica etiam lege mendacia, & iureiurando ab Apostolo Petro dicta fuere, ob id igitur mala est lex Euangelica? nequaquam auditores, uerum grauius obstant, & inquiunt ipsummet antiquæ legis conditorem, per os Prophetarum tùm Ionæ cum Niniuitis, tùm Isaiæ cum Ezechia Rege mentitum fuisse, quod ita à veritate alienum est, vt nihil suprà; minatus est profectò Deus per Ionam Prophetam Niniuitis eorum ciuitatis ruinam, at nisi scelerum suorum illos pęniteret, cum igitur errores pœnitendo correxerint, quid mirum si ciuitatem Deus non euertit? scit enim Deus mutare consilium, si tu noueris mutare propositum. Minatus etiam est ipse Deus per Isaiam Ezechiæ, mortem crastina die illi adfuturam, nam iuxta naturæ ordinem à Deo optimo max. talis ac tantus vitæ terminus illi assignatus fuerat, & sanè ex hac vita migrasset, nisi ipsius lachrymis Deus exoratus, supra naturæ ordinem ex præcipuo gratiæ priuilegio quindecim vitæ annos ipsi addidisset. Ad illud autem quod de spiritu nequàm obiiciunt, dicendum est, Deum aliquem decipere, aut in errorem trahere, non iubendo, sed permittendo, & quàmuis videatur Deus illi spiritui nequàm imperare vt sit spiritus mendax in ore prophetarum, & decipiat Achab Regem Israel, attamen vt eruditè animaduertit D. Ioan. Damascen. libro 9. de fide orthodoxa cap. 14. imperandi verbum quàmsæpe in scripturis sanctis vsurpatur non vt præceptum aut consilium, sed quatenus solam, vt inquiunt, permissionem designat, vt illud quoque est D. Ioan. cap. 17. de Christo Iudæ proditori dicente, *Quod facturus es fac citius*. Erat tertium genus malorum, hoc est nefariorum operum, quæ in veteri testamento, ex eius auctoris imperio, à Iudæis perpetrata legūtur, vt potissimum sunt eorum furta, & homicidium Iudith, & quod primum spectat ad homicidium, non imperauit Deus viduæ illi pudicæ, vt Holofernem occideret, sed hoc duntaxat Deum permisisse credendum est, vt impius ille Iudaici populi hostis, maximo nominis sui cum dedecore, à muliere inermi occisus, ab omnib. sperneretur; præterquàm quòd si in pugna præsertim iniusta hoc certum est, vt si quis me inuadat illum non solum lædere possim quantum ille me lædere vult; sed multò etiam magis, cum ius naturæ expostulet, & absque peccato mihi concedat, vt maius malum inferam, ne minus malum suscipiam, nonnè absque culpa, Iudith Holofernem occidit, qui Bethuliam ciuitatem euersurus, omnesque Iudæos gladio mactaturus aduenerat? Quod verò ad Iudæorum furta pertinet, animaduertendum est, Deum non iussisse Iudæis, vt argen-

argentea vasa, vestesque preciosas furarentur Aegyptiis, verum vt hæc omnia ab illis mutuarentur vt si forte contingeret, illos exire de Aegypto, eas, secum deferrent; quod quidem præceptum non malum & iniustum, at bonum, & iustum extitisse affirmat Clemens Alexandr. primo libro Stromatum, tùm ratione iustæ mercedis, quam Iudæi summis laboribus Aegyptiis seruientes, exigere debuissent; tum ratione iusti belli, in quo victores, hostium spolia recipere debent; quam vtramque rationem proponit Salomon Sapien. capi. 16. inquiens, *Et dedi iustis mercedem laborum suorum, et tulerunt iusti spolia impiorum*. Reliquum modo est vt pro virili parte reiectis hæreticorum argumentis, quæ ex primo capite, ex malorum nempè genere desumuntur, reliquorum quatuor capitum rationibus satisfaciamus. Ad illam igitur secundi capitis rationem, qua veteris testamenti auctorem, quòd bona temporaria & caduca Iudæis pollicetur, malum esse dicunt, respondet D. August. libro secundo contra Faustum Manichæum, & ait Deum in antiqua lege pollicitum quidem immo verò largitum fuisse Iudæis huiusmodi bona, non vt in his bonis, tanquam in vltimo & summo fœlicitatis fine omnem spem collocarent, sed vt istis tanquam rebus propter hominem creatis laudatè vterentur; præterquàm quòd temporaria non solum, at sempiterna quoque bona pollicebatur Deus Iudæis in veteri lege, sicuti & in Euãgelica; nam *Omne datum optimum* (vt ait D. Iacobus primo capite suæ Epist.) *& omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum.* Cum verò tetrio loco obiiciunt, veteres illas ceremonias inanes fuisse, & à Christi fidelibus omnino neglectas, hoc sanè nihil prorsus, vt ego censeo, nobis officit; nam pro temporum varietate à terrenis quoque principibus variæ ac diuersæ leges conduntur, modò priscis illis temporibus populo illi rudi sacramenta egena, animalium brutorum sacrificia, imperfectæ ceremoniæ, & alia quamplura id genus, à Deo optimo maximo tradita fuere, quæ postea, cum venit plenitudo temporis, perfecta nobis data sunt, cum illa præsertim figuræ essent vmbræ atque velamina admirabilium sacrorumque mysteriorum, quæ in Euangelica lege palam nobis manifestantur; Neque in Actis Apostol. aut in epistola, quam D. Paulus ad Gal. scribit Mosaica Lex & Prophetæ ex toto prohibentur, Sed quemadmodum D. August. lib. 10. contra Faustum Manichæum cap. 2. nos docet, cùm duo in veteri Testamento præceptorum genera extitissent, quædam, vt quæ in Euangelica lege futura erant præsignarent, & quędam, vt mores hominum rectè instituerent, ambo cum priora, tùm posteriora præcepta à Iudæis antiquitus obseruabantur at post Christi aduentum posteriora duntaxat non priora, vel si priora non quoad vsum, at quoad fidem nobis obseruanda sunt: & hac

de caus-

de caussa Christi discipuli in Actis Apost. & D.Paulus in Epist.ad Galatas, Iudæos reprehendunt non quòd legerent vetus testamentum, eiusque præcepta ad mores pertinentia obseruarent, sed quòd Christi libertatem iam adepti, duro iterum antiquæ legis iugo se submittere vellent.
Succedit modò, vt argumentum ex leui, aut nullo potius (vt ipsi aiunt) symbolo, quod inter vetus, & nouum testamentum intercedit, desumptū dissoluamus: Respondemus ergo vnà cum Diuo Augustino in libro 16. contra Faustum Manichæum cap. 15. cum aliqua res alteri similis esse perhibetur, necessum non est, vt omni ex parte similes sint: sic enim eędem, non similes essent: at illud satis esse videtur, vt aliquam inter se similitudinem habeant, quare dominus noster Mosi similis fuit, quatenus homo, dissimilis verò quatenus Deus; similis quoniam ex fęmina natus, at dissimilis quoniam ex virgine ortus est; similis, quia factus est secūdum similitudinem carnis peccati; dissimilis autem quia innocens & absque vlla peccati macula fuit; similis quia propheta; at dissimilis quia plus quàm propheta; similis tandem quia mortuus est, at dissimilis, quia non peccati pęna, sed sponte pro totius mundi sceleribus mori voluit.
Et quamuis in veteri lege multa legantur scelera à Iudæorum populis perpetrata; non tamen laudantur, aut præmiis afficiuntur, at puniuntur potius, & damnantur; neque ibi scripta referuntur, vt patrum nostrorum vestigiis inhęrentes, eadem & nos perpetremus; sed vt illa à Deo punita atque damnata euitemus; Vetus enim testamentum, & priscorum patrum historia, quę (vt ait Marcus Tullius) magistra est vitę, & bonos & malos mores ante oculos nobis proponit, vt hos fugiamus, illos autem imitemur, nos admonet. Et tandem ad argumentum quinti & postremi capitis, quo hæretici Catholicæ fidei veritati officere conantur, ita respondemus; videri quidem, et apparere, vt ea, quæ in veteri & noua lege dicuntur, sibi inuicem repugnent, at re ipsa vniformia sunt, sibique cōsentiunt, nam multa, quæ sub vna ratione negātur, & veluti falsa reiiciuntur, sub altera tamen ratione affirmantur, & tanquam vera defenduntur: quapropter cum in Euangelio legimus *Deum nemo vidit vnquam*, hoc secundum claram Dei visionem, & vt inquiunt Scholastici, per essentiam intelligere nos oportet, cum verò in antiquo testamento dicit Moses *Vidi Deum facie ad faciem*, secundum quandam similitudinem, & ænigmaticam visionem, hoc sancti patres interpretantur; vel etiam ita respondere possumus; *Vidi Deum facie ad faciem* ex quodam præcipuo priuilegio, at de lege ordinaria *Deum nemo vidit vnquam* dum hanc vitam agit. Rursus cum in Euangelio inquit Christus, *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor*, intelligit de rerum iam creatarum conseruatione, cū verò Moses ait, *Requieuit Deus ab omni opere quo patrarat,* intel-

intelligit de prima rerum omnium productione; aut dicere possumus, Mosem de operibus ad naturæ ordinem pertinentibus loqui, Christum verò de mysteriis ad altiores gratiæ scilicet & gloriæ gradus spectantib. sermonem habere. Hæ sunt argumentorum solutiones ex quinque capitibus ab hæreticis desumptorum, quibus cum sextum caput, & postremum à nobis additum fuisset, quod à nonnullis D. Pauli auctoritatibus desumpsimus, nunc iis facilè satisfacere debemus; Apostolus enim in locis suprà citatis vbi veterem legem, & Prophetas improbare videtur, noluit sanè illam damnare tanquam malam, & à malo Deo nobis traditam, quandoquidem Rom. c. 7. inquit, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? absit, sed peccatũ non cognoui nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebã, nisi Lex diceret, non concupisces*, hoc est nesciebã concupiscentiam esse malam, donec audiui eam prohiberi per legem; neque ait Apostolus, Peccatum non feci, nisi per Legem, sed peccatum non cognoui nisi per Legem, vt manifestò intelligas legem non ministrasse peccatum, sed peccati cognitionem; Neque Lex, vt Lex est, cognoscit peccatum, aut iram operatur, aut est caussa mortis, aut nos sub maledicto ponit, at hæc omnia ipsi Legi à D. Paulo attribuuntur, non quia Iudæis extiterit caussa peccati, iræ Dei, mortis, & maledictionis, sed quia Iudæi, qui in Legem delinquentes, ea perpetrarunt mala, quæ morte digna sunt, sibiipsis mortem intulerunt: Quamobrem in calce septimi capitis eiusdem Epistolæ ad Rom. scriptæ, concludit Apostolus, & ait, *Itaque Lex sancta, & mandatum sanctum;* Accusat igitur Apostolus Iudæos, qui ex operibus Legis absque fide Christi redemptoris iustificari arbitrabantur? & hac de caussa illud ubique inculcat, neminem ex legis operibus iustificari; Verum non damnat antiquam legem, quòd mala sit, aut à malo Deo condita, at infirmam potius, & imperfectam accusat; neque eius Ceremonias, Sacrificia, Sacramenta, atque præcepta tanquam mala reiicienda esse hortatur, sed quòd post Christi aduentum non erant amplius à Christi fidelibus obseruanda; quippe quæ cum Euangelicæ legis mysteriorum vmbræ essent atque figuræ, & in Christi aduentu, vita, & morte iam iam expleta, desinere tandem debebant; quandoquidem luce diei adueniente, noctis tenebræ euanescunt. Patet igitur ex iis omnibus, quæ dicta sunt, veterem legem Mosis, & Prophetarũ bonam, & à bono Deo conditam esse, à quo tanquam ab vno, & eodem principio vtraque lex, antiqua scilicet & noua Iudæis & Gentibus data est.



LECTIO

LECTIO XXII.

Fragrantia vnguentis optimis.



ON satis habuit sponsa Ecclesia, sponsi vbera vinò meliora asseuerare; sed huius perfectioris excellentiæ rationem reddere voluit, dicens, *Fragrantia unguentis optimis*, ac si diceret, ideo ò mi dulcissime sponse meliora sunt vbera tua vino, quia fragrant vnguentis optimis, hoc est, ideo Lex Euãgelica præstantior est Mosaica, quoniam mellifluis cœlestium donorum odoribus referta, quàmmaximè redolet; & sanè Lac Christi, non Vinum Mosis, lex inquàm Euangelica, non Mosaica, optimis fragrat vnguentis; neque enim antiqua lex aliquem ad perfectum deduxit, aut ex ipsorũ operum vi iustum effecit, cum eius Sacramenta egena essent atque infirma, non ex opere operato vt aiunt Scholastici, at ex opere operantis, hoc est, non ex virtute ipsorummet operum, at ex fide suscipientis Dei gratiam, & Spiritus sancti dona ipsi conferentia; verum Euangelicæ legis Sacramenta, ex fide non solum suscipientis, sed ex virtute etiam effectrice, veluti Dei instrumenta, gratiam, quam vocant iustificantem, nobis præstant, ita vt efficiant quod significant; & hac de caussa D. Augustin. in Epist. 118. ad Ianuarium inquiebat: *Ablata sunt ueteris legis Sacramenta, & impleta per Christum, at alia sunt instituta uirtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, & numero pauciora, quia meliora*, inquit sponsa Christi Ecclesia, *sunt ubera tua uino, fragrantia unguentis optimis*: sicuti namque vnguenta vulneribus corporis, & contusionibus medentur, sic Euangelium Christi Spiritus sancti donis refertum, peccatis, animi plagis salutaris est medicina; Nonnè auditores Christus dominus noster ille est Samaritanus pientissimus, qui desperati hominis vulnera hisce diuinarum gratiarum vnguentis curauit? vtique Domini, nam ipsemet apud Isaiam cap. 61. hoc prædixerat inquiens: *Spiritus domini super me, eò quòd unxit me, ad annunciandum pauperibus misit me, ut mederer contritis corde*: præterquàm quòd si sua violentia vnguenta, quæ ex oleo vt plurimum conficiuntur, collapsas corporis vires reficiunt, & confirmant; nonnè Christi Euangelium septiformis gratiæ vnguentis optimis delibutum, animi vires ita reficit & confirmat, vt eius vsu carni, mundo, ac dæmoni facilè resistamus, quinimmò de his tribus humanæ naturæ hostibus potentissimis victorias reportemus? Et certè hæc optima Christi sponsi vnguenta, quibus eius vbera suauissimè fragrant, quid aliud nobis mysticè designant, nisi septem Spiritus sancti dona, quibus, & Chri-

& Christum & eius Euangelicam legem Deus optim.Max.cumulatè repleuit?ita inquiunt patres sancti, vt Diuus Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia, cap.4.& de cęlesti Hierarchia, cap.2. Clemens Alexandrinus secundo libro Pędagogi, cap.8. Origenes Hom.16.super D. Matth.& in suis commentar. super Cantic.canticorum. Diuus Epiphanius primo libro aduersus hæres.Diuus Ambrosius libro de Isaac, cap. 3. Diuus Augustinus & Arnobius super Psalm.132. & demum Diuus Gregorius, Diuus Hieronymus, Diuus Bernardus, Diuus Anselmus, Rupertus Abbas, & Diuus Thomas in suis omnes commentariis super Cantica. Vnum pro omnibus audite Diuum Thomam Aquinatem, *Vnguenta sunt dona Spiritus sancti*; quod sanè primus omnium asseruit Isaias Propheta, quippe qui cap.11.de Messia verba faciens, spiritum Domini, cum omnibus, ac singulis eius donis, super ipsum venturum aliquando prophetauit, & permansurum, inquiens, *Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & repleuit eum spiritus timoris Domini*, Vetus profectò ac generalis Hæbræorum mulierum in tota Palestinæ regione consuetudo fuit, vt coram sponsis suis, aut Principibus, aut Regibus accessuræ, preciosis vnguentis, suauibusque odoribus se vngerent, & vestes, & caput, & totum denique corpus aspergerent, sicuti in sacris literis de Iudith, de Hester, & de Susanna legimus, cum igitur vnigenitus Dei filius de cœlo ab æterno patre tamquam sponsus procedens de thalamo suo, in hunc inferiorem mundum ad sponsam eius Ecclesiam mitteretur, diuinam sanè decuit maiestatem, vt vnguentis optimis delibutus, hoc est omnibus gratiis & spiritus sancti donis refertus accederet; quandoquidem ipse Christus caput nostrum cum sit, nosque membra eius, sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam Aaron, & ex barba defluit ad oram vsque clamidis, ità de plenitudine eius omnes accipimus gratiam pro gratia, *Quia meliora sunt ubera eius uino, fragrantia unguentis optimis*. hinc equidem factum esse existimo, vt Christus Græcè, & Messias Hæbraicè, hoc est vnctus, appellari voluerit, quem etiam Dauid in Psal.44.alloquens, lætitiæ oleo respersum vocat, inquiens: *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, præ participibus tuis*; & D.Petrus cap.10.actuum apost. Christum spiritu Dei vnctum fuisse dicit. *Vos scitis quomodo unxit eum Dominus Spiritu sancto*, quod ipsemet asseruit tùm apud Diuum Lucam cap.4.cum inquit *Spiritus domini super me eò quòd unxit me*, tùm apud Salomonem Eccles. cap.24. dicens, *Sicut cinamomum & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris*; & certè in veteri lege vngebatur futuri

Reges

Reges Sacerdotes, & Prophetæ, ficuti legimus in fcripturis fanctis. Nam de Regum vnctione tùm primo libro Regum cap.1 o. & 16.tùm tertio libro cap.1.Saulem, Dauidem, & Salomonem in Iudæorum Reges vnctos fuiffe habemus:De vnctione uerò Sacerdotum loquitur Mofes Leuitici cap. 8. & Exodi cap. 19. vbi Dominus inquit ad Mofem, Oleum unctionis funde fuper caput eius, atque hoc ritu facerdos confecrabitur: De unctione demum prophetarum fit mentio in tertio libro Regum cap.19. vbi Elias Elifęum ex domini præcepto vnxit in prophętam:Si igitur fponfus Ecclefiæ Chriftus Rex eft,& Sacerdos,& Propheta, Nam vt ait Diuus Ioannes in Apocalypfi cap. 19. ipfe eft Rex Regum & Dominus dominantium ut cecinit Dauid in Pfalmo 109.ipfe eft Sacerdos in æternum, fecundum ordinem Melchifedech, & ut legimus D.Ioannis cap.6.ipfe eft verè Propheta qui uenturus eft in mundum: Si res inquàm ita fe habet ut fponfus Ecclefiæ Chriftus fit Rex, Sacerdos,& Propheta,nonnè unctus effe debuit?Nonnè illius euangelicæ legis ubera debent effe fragrantia unguentis optimis? Vtique Domini:Verum non oleo materiali, quo in antiqua lege Reges,Sacerdotes,& Prophetæ inungebantur fuit unctus Chriftus,utpote qui facerdos non erat fecundum ordinem Leuiticum, at fecundum ordinem Melchifedech: Quare oleum quo Chriftus Ecclefiæ fponfus delinitus fuit,fpiritus fanctus eft,ut ipfemet afferit Ifaiæ cap.61.inquiens,Spiritus Domini fuper me, eò quod vnxit me. Hanc autem Chrifti unctionem,non in Baptifmo, quando in Iordane Spiritus fanctus fub fpecie columbæ fuper ipfum defcendit,factam fuiffe cenfendum eft,ut putarunt Diuus Athanafius in oratione fecunda contra Arrianos, Diuus Hieronymus fuper Ifaiam cap. 61.& Diuus Hilarius libro undecimo de Trinitat. at in ipfa Incarnatione ipfius Chrifti humanitatem diuinitate unctam & omni fpiritus fancti gratia repletam fuiffe credendum eft,ut aiunt Diuus Ioannes Damafcenus libro quarto de fide cap.6.Diuus Auguftinus in libro 99.uet.ac noui teftamen.cap.49.& Diuus Gregorius libro nono epift. 61.Etenim à primo Incarnationis fuæ momento fuit Mefsias & Chriftus, hoc eft unctus, & omni gratia refertus ex diuini Verbi unione, ut inquit Diuus Ioannes cap.1.*Vidimus eum plenum gratiæ & ueritatis*: Quod uerò dicunt illi Doctores fancti,ita interpretandum eft, ut in Baptifmo fuerit facta unctio,ideft declarata, & ab eo tempore exerceri cępta,per doctrinæ miraculorumque manifeftationem:ficut igitur, inquit Chriftus,ficut cinamomum,& Balfamum aromatizans odorē dedi,quafi Myrrha electa dedi fuauitatem odoris;qui tres cinnamomi, balfami,ac myrrhæ odores, quibus fponfus Chriftus eiufque Euangelium ob triplicem fortaffe fponfi Chrifti fubftātiam,corpus fcilicet,animam, ac diuinitatem

diuinitatem suauissimè olet, ab eius sponsa Ecclesia vnico tantum nomine appellantur vnguenta, cùm ait; *Quia meliora sunt Vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*; Vnguentis inquã penetrantibus, attrahentibus, & præseruantibus, penetrant enim in hominum animos optima Christi vnguenta, hoc est septem Spiritus sancti dona, propter fidei balsamum, quod per totum terrarum orbem peruasit, vt canit Ecclesia in Psal. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum, &c.* Attrahunt etiam propter Christi virtutis cinnamomum, qua omnia traxit ad seipsum, & Angelos & cœlum, & terras, & homines, & dæmones, vt ipsemet D. Ioan. ca. 12. dixit; *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trabam ad me ipsum*; Præseruant denique nos ab omni malo, propter Iesu Christi mortem, ac dominicæ sepulturæ myrrham, tunc enim mortuus propter peccata nostra, ab omni nos infirmitate, & miseria liberauit, vt cecinit Dauid in Psal. 106. *Misit uerbum suum, & sanauit eos*; O preciosa perfectaq; vnguenta, immò verò preciosissima atq; optima; celebrent igitur in suis historiis, quantum velint Iudæi, odorifera illa vnguenta iucundaque aromata, quę ab extremis terræ regionibus sapientissimo Iudæorum Regi Salomoni attulit ditissima Sabæorum Regina, exaltent alii, & vsq; ad sydera extollant aromata illa preciosa, quæ Magi ab Oriẽte Christo Domino iam nato Iudæorum Regi obtulerunt; iactet sancta Dei Ecclesia atq; prædicet suauia, beneque olentia Mariæ Magdalenæ vnguenta quibus in domo primum Simonis Leprosi, ipsa tunc in ciuitate peccatrix, mox verò iusta in Bethaniæ Castello, pedes & caput Domini vnxit, vt & ipsius humanitatem, cuius pedes Domini, symbolũ sunt, & diuinitatem, quam mysticè caput designat, confiteretur atque veneraretur: Magis profectò odorifera longèque preciosiora sunt hæc sponsi Christi vnguenta, quibus vbera eius fragrant: non enim ab extremis terræ regionibus, aut à nitido Oriente mittuntur, at de cœlesti Paradiso descendunt, non à terrenis hominib. aut à mundanis Regibus offerũtur, at à Deo Opt. Max. qui est Rex Regum, & Dominus dominantium condonantur; nõ in vasis aureis, aut in candidis alabastris clauduntur, at in sacrosancta Christi anima abscondita recipiuntur. *Quia meliora sunt Vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*; Cedant profectò auditores cedant his optimis, dicam etiam cœlestibus, ac diuinis sponsi Christi vnguentis, quòt vnquàm aut vnguenta, aut aromata, aut anthidota, aut colliria, aut odoriferi liquores extiterunt, cedat (inquam) vnguentum crocinum, quod croci vinique dulcis comixtione apud Romanos efficiebatur de quo Propertius aiebat;

Pulpita solemnes non oluere Crocos.

Cedat anthidotum Mithridaticum, quo Mithridates Rex Põti aduer-

sus insidias venenorum se tutari solebat, de quo inquit Plin.lib.23.c.8. *Anthidoti nomen adhuc nostra ætate manet:* Cedat Nardinũ, ex Nardo odoris optimi frutice, in Perside compactum, de quo Tibullus canebat.

Illius puro distillent tempora Nardo.

Cedat Narcissinum quod ex Narcisso, flore delicatissimo componitur, vt refert Plinius lib.13. Cedat denique & Amomum Assyriorum, & Amaracinum Cypriorum, & Metopium Aegyptiorum, & Pardaliũ Tharsensium, & Panatheniacum Atheniẽsium, & Cinnamomũ Aethiopũm, & Myrrha Arabum, & Balsamum Iudæorum. *Quia meliora sunt Vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Bonæ Deus, & quæ sunt peccatorum infirmitates, qui vitiorum morbi, quę scelerum plagæ, putridæ etiam ac mortiferæ, à quibus non dicam corpora, sed ipsos hominum animos, hæc Christi vnguenta optima, quæ sunt ipsius gratiæ, & Spiritus sancti dona, non liberent, non medeantur, non sanent? dona etenim sunt timoris, pietatis, scientiæ, fortitudinis, intellectus, consilii, ac sapientiæ, at timore Deus Opt.Max. nostram reprimit temeritatem; pietate animi duritiam mollit, scientia adimit inscitiam; fortitudine imbecillitatem sustentat, intellectu stupiditatem illustrat, consilio imprudentiæ consulit, sapientia demum nostram depellit stultitiam: Cum igitur septem sint, vt audistis, animi nostri defectus, temeritas nimirum, duritia, inscitia, imbecillitas, stupiditas, imprudentia, & stultitia, septem etiam, nec plura nec pauciora Spiritus sancti dona esse debebant, quæ per vnguenta mysticè designantur; quod altera quoq; ratione satis dilucidè comprobare libet, quandoquidem hæc Spiritus sancti dona hominibus à Christo non solum data sunt, vt per ea ab his septem sanarentur defectibus, verum etiam vt in sanctis exercerentur virtutibus, cũ Cardinalibus, tùm etiam Theologicis, quæ simul iunctæ septenarium quoque numerum complent, vti sunt Temperantia, Iustitia, Prudentia, Fortitudo, Fides, Spes, Charitas; Hinc timor ad temperantiam nos inducit, pietas opitulatur iustitiæ, scientia fauet prudentiæ, fortitudo donum subuenit fortitudini quæ est virtus, intellectus fidem extollit, consilium spem sustentat, & sapientia amabilis amicitiæ nodo, cum charitate nos iungit. O Christi vnguenta optima, ô Spiritus sancti dona salutaria; ô Christe animarum nostrarum pulcherrime sponse, ô sancte Spiritus morborum nostrorum Medice prestantissime: Veni sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, *Quia meliora sunt Vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.*

LECTIO

LECTIO XXIII.

Fragrantia vnguentis optimis.



ARBITROR Equidem, auditores, ſeptem duntaxat, nec plura nec pauciora à Deo Opt. Max. Spiritus ſancti dona hominibus data fuiſſe, vt ſeptem illa præclara, & in ſcripturis ſanctis ſummopere celebrata ſeptenaria allegoricè nobis deſignarent, nempè ſeptem dies generalis omnium creaturarum productionis, ſeptem orationis dominicę poſtulata, ſeptem Prophetæ Iob filios, ſeptem immundos ſpiritus, qui homines affligunt, ſeptem panes, quibus altera vice Dominus noſter quatuor millia hominum pauit, ſeptem Ieſu Chriſti verba in ligno crucis prolata, & ſeptē ſacroſanctæ Eccleſiæ ſacramenta; Ita volunt antiquus Origenes in Homi. 3. ſuper Iſaiā Prophetam, D. Hierony. ibidem cap. 11. D. Aug. ſerm. 209. de tempore, D. Greg. in primo libro Moralium cap. 28. & D. Bern. in tractatu de donis Spiritus ſancti cap. 1. 2. & 3. Primo igitur ſeptem Spiritus ſancti dona myſticè nobis ſignificant ſeptem dies generalis omnium rerum creationis, nam ſi prima die lux creata fuit, cuius auxilio viſus colores cernit atq; diſcernit, en timoris donum, qui initium eſt ſapientiæ, qua Deum lucem inacceſsibilem cernimus, & cernentes agnoſcimus, & amamus; ſi ſecunda die factum eſt firmamentum, vt aquas, quæ erant ſub firmamento, ab iis, quæ erant ſuper firmamentum diuideret, en ſcientiæ donum, qua falſas perſuaſiones, ac dæmoniacas à vera, & catholica fide ſecernimus; ſi tertia die aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum congregatæ fuerunt, vt appareat arida, & germinet terra herbam virentem, flores, & fructus; en donum pietatis, qua bonorum verborū herbæ virentes, ſanctarum cogitationum flores, & laudabilium operum fructus producuntur; ſi quarta die fecit Deus luminaria in firmamento cœli, hoc eſt Solem, qui eſt luminare maius, vt præeſſet diei, & Stellas, & Lunam, quæ eſt luminare minus, vt præeſſent nocti; en donum conſilii quo mens animi noſtri portio ſuperior, pro diuinarum rerum intelligentia, quaſi dies Solis lumine illuſtratur, & ſenſus animi pars inferior pro rerum humanarum cognitione, quaſi nox Lunæ, & Stellarum radiis illuminatur; Si quinta die creauit Deus piſces, & aues, iſti vt aerem, illi verò vt aquas maris replerent, & multiplicarentur ſuper terram, en donum fortitudinis, qua nobis vtendum eſt, & in aere dæmoniacorum tentationum, & in aquis humanarum perturbationum,

Si die sexta fecit Deus bestias terrę iuxta species suas, & hominem ad imaginem, & similitudinem suam, qui præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ, en donum intellectus, cuius præsidio omnibus nostri corporis sensibus subiugatis dominamur; si tandem septima die requieuit Deus ab omni opere quod patrarat, & benedixit diei septimo, illumque sanctificauit; en donum sapientiæ, cuius ope à Deo Optimo Maximo dum in hoc mundo peregrinamur, ex singulari illius gratia benedicimur, & mox in cœlesti paradisu summa ipsius gloria perfruentes, per æuum sempiternum conquiescimus; sed accedamus ad secundi septenarii explicationem; hæc enim Spiritus sancti dona, septem etiam orationis Dominicæ postulata indicant; & primum postulatum quo diuinum nomen sanctificari petimus inquientes; *Pater noster qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum*; dono sapientiæ quadrat, qua diuinam bonitatem degustamus; secundum verò quo Dei gratiam poscimus; *Adueniat regnum tuum*; donum respicit ipsius intellectus, quo in rerum cœlestium cognitionem conscendimus; Tertium deinde quo Dei voluntatem in rebus omnibus impleri desideramus, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra*; dono consilii respondet, quo à malis declinare, & facere bonum debemus; Quartum adhuc, quo victum quotidianum nobis à Deo præberi cupimus; *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; dono pietatis accommodatur, qua Christi pauperes alere tenemur; Quintum autem, quo erratorum nostrorum remissionem postulamus, dicentes, *Et dimitte nobis, &c.* dono scientiæ congruit, quo proprii defectus dignoscuntur; Sextum rursus, quo Deum, ne ab ipso tentemur, humiles obsecramus, *Et ne nos inducas in tentationem*; dono conuenit fortitudinis, qua omnes inimicorum impetus strenuè superamus; Septimum tandem orationis dominicæ postulatum, quo nos ab omni malo vindicari rogamus, *Sed libera nos à malo*; dono timoris applicatur, quo cuncta pericula, cunctaque vitæ discrimina fugimus, & euitamus; Verum hæc quoque Spiritus sancti dona, per septem Prophetæ Iob filios mysticè nobis exprimuntur; sicuti enim ipsius Iob filii, in domo quadrata, vna cum tribus eorum sororibus, quotidiana sibi mutuò parabant conuiuia, ita ipsius Dei filii, in domo animæ, quæ quatuor virtutum Cardinalium angulis quadrata constituitur, vnà cum tribus sororibus, quæ sunt virtutes Theologicæ, mutuo sibi quotidiana apparentes conuiuia, splendidissimis Spiritus sanctis donis, quasi tot epulis pascuntur, & nutriuntur; Sapientia ergo die suo conuiuium parat, dum mentem de rerum supernarum spe certa reficit;


Consilium

Consilium die suo conuiuium exhibet, dum corporis sensus præcipites esse prohibens, ratione animum replet. Intellectus die suo conuiuium magnificè ornat, dum in tenebris animum versantem, cor reficiendo illustrat. Fortitudo in die suo conuiuium concelebrat, quia dum aduersa non metuit, animo trepidanti confidentiæ cibos apponit; Scientia in die suo conuiuium facit, quia in animi ventre ignorantiæ ieiunium superatur: pietas in die suo conuiuium præbet, quia cordis viscera misericordię operibus replet. Timor deniq; in die suo conuiuium agit, quia dum mentem, ne propter bona præsentia elata superbiat, præmit, spei cibo de futuris illam recreat. Verum adhuc septem Spiritus sancti dona hominibus data sunt, vt septem immundos spiritus ipsis fugare possimus, quorum meminit Dominus noster apud D. Lucam ca. 11. dicens; *Vadit spiritus immundus, & assumit septem spiritus nequiores se*, qui à patribus sanctis his nominibus appellantur, Lucifer, Mammona, Asmodæus, Sathanas, Beelzebub, Leuiathan, & Beemoth, hoc est Superbia, Auaritia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia, Pigritia. Etenim timore repellimus Superbiam, pietate Auaritiam, scientia Luxuriam, fortitudine Iram, intellectu Gulam, consilio Inuidiam, & sapientia Pigritiam. Rursus hæc septem Spiritus sancti dona septē panes, quibus altera vice Dominus noster quatuor hominū millia pauit figuratè præmonstrant; nam timor Dei congruit humilibus atque pauperibus, pietas mitibus, scientia lugentibus, fortitudo esurientibus, & sitientibus, intellectus mundis corde, consilium misericordibus, & sapientia pacificis: en panis timoris, *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum:* en panis pietatis, *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram*: en panis scientiæ, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*: en panis fortitudinis, *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*: en panis intellectus, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:* en panis consilii, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur:* en tandem panis sapientiæ, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Significant etiam hæc septiformis spiritu dona, septem Iesu Christi verba, quæ dixit in ara crucis; timori namq; congruit Christi verbum, quo patrem alloquens, spiritum suum ipsi cōmendat, *In manus tuas commendo spiritum meum:* Pietati respondet Christi verbum quo matri in loco tamquàm filium Ioannem reliquit, *Mulier ecce filius tuus, &c.* Scientiæ quadrat Christi verbum quo sitiens potum à Iudæis petiit *Sitio*: Fortitudini accommodatur Christi verbum, quo ab æterno patre se derelictum fuisse dolet, *Deus Deus meus quare dereliquisti me*: Intellectui conuenit Christi verbum, quo omnes antiquæ legis figuras expletas fuisse ostendit dicens, *Consummatum est;* Consilio aptatur Christi verbum, quo Iudæis

à Deo Opt. Max. tanti sceleris veniam exorat, *Pater ignosce illis quia nesciunt; &c.* Sapientiæ demum congruit Christi verbum, quo probũ latronem alloquens, Paradisum ipsi pollicetur, inquiens, *Hodie mecum eris in paradiso.* Et tandem hæc septem sacrosanctæ Ecclesiæ indicant Sacramenta, quæ sunt hæc, Baptismus, Chrisma, Pœnitentia, Eucharistia, Ordo sacer, Matrimonium, Extrema vnctio; Timorem enim expellit Baptismus, Pietatem auget Eucharistia, Scientiam præbet Pœnitentia, Fortitudinem præstat Chrisma; Intellectum dat Matrimonium, Consilium exhibet Ordo sacer, & Sapientiam impertitur Extrema vnctio. O dona verè præclara, atque diuinis plena mysteriis, quæ sponsa Christi Ecclesia allegoricè optima vocat vnguenta; *Quia meliora sunt Vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.*

LECTIO XXIIII.

Oleum effusum nomen tuum.


LAVDAVERAT Ecclesia sponsa Christum sponsum pulcherrimum à maxima vberum fœcunditate, quæ vnguentis optimis fragrantia, Vino meliora celebrauit; nũc callidè instar sponsæ, quæ vt ardentiori erga se amore spõsum amantem incendat, proprio nomine ipsum appellat, & ab excellentia nominis, quod oleum effusum allegoricè vocat, sponsum Christum commendat, & ait; *Oleum effusum nomen tuum.* Sunt tamen aliqui ex recentioribus, vt Gilbertus Genebrardus, in hoc loco, qui iuxta Rabbinos per nomen sponsi Christi, non propriè nomen, quod est *Iesus*, at eius *famam* hinc inde diffusam intelligi volunt, sicut etiam accipitur nomen à Salomone Ecclesiast. cap. 7. cùm inquit, *Melius est nomen bonum*, idest *Fama quàm vnguentum*, ego tamen de nomine ipsius sponsi sponsam hic propriè loqui opinor, nam D. Dionysius antiquissimus Theologus cap. 4. sui libri de Eccle. Hierar. non alienè hunc locum tractans ait, *Iesu nomen, oleum est effusum.* Quanquàm enim sponsus & sponsa, casto nuper coniuncti connubio, variis & illis quidem blandis nominibus, ex amoris deliciis, mutuò se nuncupare solent, nullum attamen est aut blandius, aut suauius, quo ad amorem magis excitentur, quàm si propriis inuicem nominibus se appellent: Ecclesia igitur veluti sponsa perita, licet in hæc vsque tempora diuersis, illisque seueris nominibus sponsum Deum per Prophetas sanctos vocarit, in temporis tamen plenitudine, post diuini Verbi incarnationem diu desideratam, proprio nomine, blando sanè ac iucundo ipsum appel-

lauit dicens, *Oleum effusum nomen tuum*; ac si dicat, ô mi dulcissime sponse, non te Deum iudicii, Deum vltionum, Deum exercituum amplius nuncupabo, at oleum effusum, oleum dulce, oleum pingue nunc te vocare libet, quod perdiu in pyxide abditum, si nunc longe lateque diffundatur suo statim odore circumstantes mirificè recreaturum sit, & quibus, aut per seipsum, aut per ministros suos adhibitum fuerit, magnas illis allaturum vtilitates. *Oleum effusum nomen tuum*. Neque mehercule, sponsa ecclesia de sui sponsi nomine verba faciens, aut pulchriori, aut digniori, hoc pulcherrimo atque dignissimo olei effusi symbolo vti poterat; etenim oleũ apud Ethnicos poetas non solum, sed apud Catholicos etiam patres, admirabile est pacis hieroglyphicum, & ob id Maro Poeta sexto libro Aeneidos oleam paciferam vocat inquiens:

Paciferæque manu ramum prætendit oliuæ.

Neque desunt, qui oleæ ramusculum in Mercurii manu positum, ad pacis significatum deferri censeant, quòd ille Deorum internuncius, pacem feratur conciliare, præterquàm quòd in nummo Seueri Pii Augusti togatum est simulachrum, cũ oleę ramo, cuius hæc est inscriptio, *Fundatori pacis*; immò verò & in sacra Genesi cap. 8. legimus, columbam ex arca ab antiquo Noe emissam, vt diuinam in genus humanum indignationem desiisse, & altissimas generalis cataclismi & diluuii aquas cessasse intelligeremus, oliuæ ramum, virentibus foliis ore suo detulisse: Audite, *Expectatis vltra septem diebus, rursum dimisit columbam ex arca, & illa venit ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus folijs, in ore suo: intellexit ergo Noe quòd cessassent aquæ super terram.* Si res igitur ita se habet auditores, & quis iram æterni patris ab ipso ferè mundi exordio, ob eius scelera in hominem concitatam pacauit, nisi Christus Ecclesiæ sponsus, nisi hoc sacrum nomen Iesus, vnigenitus Dei filius, de quo Roma. cap. 8. inquit Apostolus, *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius*. Hinc in eius natiuitate canebant Angeli, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus*. hinc ipsum iam natum, regem pacificum commendabat Ecclesia, hinc denique ipsemet, postquàm maxima nominis sui cum gloria à mortuis resurrexit, aiebat D. Lucæ cap. 24. *Pax vobis, ego sum, nolite timere*: Præterea si Christus Dominus noster, cũ de sinu patris (manens secundum diuinitatem in ipso) in hunc mundum factus homo descendit, totius etiam misericordiæ fontem vnà secum de cœlo detulisse dicitur, vt scribit Apostolus in Epistolæ initio ad Titum, *Apparuit benignitas Saluatoris nostri Dei omnibus hominibus*, quo aptiori nomine à sponsa Ecclesia nuncupari poterat, quàm suauissimo olei nomine, quod pie-

tatis ac misericordię perpulchrum symbolum esse aiunt, & doctissimus Origenes, & D.Hilarius,& Regius Propheta Dauid; Audite Origenem: *Omnis anima eget oleo diuinæ misericordiæ*; Audite Diuum Hilarium, *Oleum fructum misericordiæ cœlestis esse Propheticus sermo profitetur*; Audite Dauidem Prophetam in Psalmo 92. *Senectus mea in misericordia vberi*, quę verba in alia versione ita leguntur; *Senectus mea in oleo pingui*, At non solum in diuinis Hebraicè vetustatis monumentis oleum condonationis veniæ, ac misericordiæ signum perhibetur, sed in Euangelica quoque historia Ioannis capite 8. legitur, Redemptor etenim noster adulterii pœnam cuidam mulieri condonaturus, quæ rea agebatur à Pharisæis, ex Olіueto in templum perrexerat, ibique dixit, *O mulier nemo te condemnauit; neque ego te condemnabo, vade & noli amplius peccare*; Cum igitur Christus in mundum venisset misericordiæ oleo peccatores saluos facere, optima ratione, ipsius nomen à sponsa Oleum effusum vocatur; Neque prætereundum censeo quod aliquorum historiæ prodiderunt, Augusti videlicet temporibus, trans Tyberim, oleum de terra erupisse, & sine vlla per diem integrum intermissione fluxisse, quod quidem si ad Christi ortum & ad eam, quæ tunc temporis subsequuta est hominum redemptionem per totum terrarum orbem, longè, lateque diffusam referatur, nonnè sponsi Christi nomen oleum effusum, dici potest? Iam verò si victoriæ quoque lætitiam & triumphum olea simbolicè designat, vt ex iis victoribus, qui in Olympiacis ludis oliuæ corona donabantur satis dilucidè comprobatur, quis non videat, ob id Ecclesiæ sponsum & Dei filium de cęlo descendisse, vt bellaturus, dæmonem superaret, mortem destrueret, mundumque vinceret? Audite, *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli*; *Hic mortem nostram moriendo destruxit, confidite ego vici mundum*; Hinc D.Apostolus prioris epist. ad Cor. cap. 15. aiebat, *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum*. Quod verò proditum est oleam propter eius perpetuam viriditatem, ac pinguedinem, spei simulachrum esse, & hac præsertim de caussa Iouem oliua coronari solitum, quòd omnium bonorum auctor esset, atque largitor, hanc ecclesiæ sponsæ laudem, qua sponsi Christi nomen oleum effusum metaphoricè appellat, mirificè commendat, quippe quæ maxima ipsius desiderati aduentus spe detenta, hunc in modum alloquitur, *Oleum effusum nomen tuum*. O rem pulchram, & admirandam, oleum lucet, pascit, medetur, & Iesus quod nomen est sponsi suauissimum, instar olei lucet, quoniam est Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, pascit quoniam est panis viuus qui de cœlo descendit, & medetur, quoniam ipse est, qui vulnerat & medetur; dicam manifestius

lucet Baptiſmo, Euchariſtia paſcit, & Pœnitentia medetur; hinc Diuus Bernardus lepidè aiebat in ſuis Commentariis ſuper Cantic. canticor. ſermone 16. *O anima mea reconditum habes Electuarium in vaſculo vocabuli huius quod eſt Ieſus, nam mel eſt in ore, melos in aure, & iubilus in corde*, iuxta illud Propheticum dictum Abacuc cap. 3. *Ego in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo*. Et tandem oleum ſi diuinitatem myſticè deſignat, vt volunt Clemens Alexandrinus ſecundo libro Pędagogi, & Diuus Hieronymus ſuper Ezechielem cap. 27. nonnè ſponſi nomen hoc eſt. Ieſus, qui verus eſt Deus, oleum effuſum dici poteſt, etenim licèt Chriſtus hominis tantum nomen ſit, & Emanuel tùm hominis, tùm Dei, Ieſus tamen Dei duntaxat nomen eſt, ita interpretantur hæc verba omnes patres, quos ego viderim Canticorum interpretes, vt Origenes, Theophilactus, Diuus Hieronymus, Diuus Gregorius, Diuus Bernardus, Diuus Anſelmus, Beda venerabilis, Diuus Thomas Aquinas, Haymon, Rupertus Abbas, *Oleum effuſum nomen tuum*, hoc eſt (inquiunt ipſi vnanimi conſenſu) *Et vocabis nomen eius Ieſum*, qui eſt effuſus quando exiuit à patre, & venit in mundum; ſpiritu namque diuino afflatus Propheta Salomon præuidebat futurum eſſe, vt quemadmodum ante Chriſti aduentũ ſponſi nomen oleum quidem optimum, at in vaſe adhuc clauſum & obſignatum non mittebat odorem, niſi vni populo Iſraelitico, vt cecinit Dauid in Pſalm. 75. *Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius*, ita in aduentu Domini ipſius nomen veluti oleum de vaſe in vas effuſum per vniuerſum mundum ita diffunderetur, vt vbique fieret ſuauitatis odor, iuxta illud Apoſtolicum dictum, *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco*; Verum illud vobis animaduerto auditores multiplex in ſcripturis ſanctis oleum reperiri, oleum videlicet pietatis, de quo Dauid in Pſalm. 108. canebat: *Caro mea immutata eſt propter oleum*. Oleum iucunditatis, de quo in Pſal. 103. legimus; *Vt exhilaret faciem in oleo*; Oleum charitatis de quo Salomon in Eccleſiaſte cap. 9. ait, *Oleum de capite tuo non deficiat*. oleum denique diuinæ gratiæ per Chriſtum Dei & hominum mediatorem in nos collatum, de quo Iob cap. 29. inquit, *Petra fundebat mihi riuos olei*; Hoc quidem oleum effuſum, quod eſt ſponſi nomen, pietatis eſt oleum, & charitatis, & iucunditatis, & diuinæ gratiæ; At primum pietatis eſt oleum, quandoquidem *Ieſus, cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed* (vt inquit Apoſtolus Philip. cap. 2. *Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens*; Rurſus charitatis eſt oleum, cum propter peccata noſtra mori voluerit, vt ipſemet D. Ioannes cap. 15. aſtruit, *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Præterea iucunditatis eſt oleum, quoniam *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam*

non

non moritur,Rom.cap.6.ex quo ſpem reſurgendi indubitatam nos omnes accepimus;nam vt ait Diuus Paulus ca.15.prioris Epiſtolæ ad Cor. *Si Chriſtus reſurrexit & nos reſurgemus*,& tandem gratiæ diuinæ oleum eſt,quia *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, quippe qui ita plenus gratiæ fuit & veritatis, vt de eius plenitudine nos omnes accepe-rimus:& hoc oleum quod diuinam gratiam præmonſtrat,multiplex eſt, ſicut etiam multiplex eſt gratia Chriſti,vna quæ unionis gratia dicitur, qua humana Chriſti natura indiuiduè communicatur cum diuina. eique Hypoſtaticè vnitur,qua Chriſtus homo verè & re ipſa naturalis Dei filius conſtituitur; altera eſt gratia ſingularis & propria, qua omnes gratiarum diuinarum theſauri in eius animam effuſi ſunt; tertia & poſtrema gratia capitis nuncupatur,quaſi vniuerſa ac generalis ad gratias in alios tranſmittendas,cùm de eius plenitudine, vt dictum eſt, nos omnes accipiamus, & proinde non tantùm oleum, at diuinæ gratiæ oleum in omnes diffuſum nominatur & eſt, *Oleum effuſum nomen tuum*,hoc illud nomen eſt Tetragrammaton,hoc eſt quatuor litterarum, quod in veteri lege ineffabile dicebatur, hoc eſt nomen Ieoua, quod nulli niſi ſummo ſacerdoti tempore tantum ieiunii,quo populo benedicebat,in ſanctuario proferre licuit; hoc nomen eſt, quod in omni ſæculo abſconditum fuit, & in noſtro ſæculo reuelatum eſt per Archangelum Gabrielem Mariæ Virgini,nuncium diuinum explicantem, & dicentem Diui Lucæ cap.1. *Ecce concipies,& paries filium,& vocabis nomen eius Ieſum*; hoc inquā illud nomen eſt,quod permanet ante Solem, in quo benedicentur omnes tribus terræ, quod ab ortu Solis vſque ad occaſum laudabile eſt, in quo ſolo nos omnes oportet ſaluos fieri, in quo ſolo flectitur omne genu cœleſtium,terreſtrium,& infernorum;hoc denique nomen illud eſt, quod à Deo fuit nominatum,denunciatum ab Angelo, impoſitum à parentibus, celebratum ab hominibus, poſitum dæmonibus in terrorem, & omnibus in ſalutem, nam in Seraphinis inflammat, in Cherubinis ſplendet,in Thronis quieſcit,in Dominationibus imperat, in Virtutibus agit,in Poteſtatibus arcet, in Principatibus adminiſtrat, in Archangelis myſteria ſacra reuelat, in Angelis cuſtodit homines, & in hominibus tandem omnia operatur; dicam etiam, in Apoſtolis variis loquitur linguis,veritate fulget in Euangeliſtis,doctrina micat in Doctoribus, ueniam præſtat pœnitentibus,gratia replet iuſtos,fortitudine nitet in martyribus,in Virginibus pudicitia ſplendet, & omnigenum præbet auxilium omnibus indigentibus;ò dulce nomen,ò ſuaue nomen quod eſt Ieſus, Oleum effuſum,& infuſum: infuſum in ipſa æternitate, effuſum in temporis plenitudine, infuſum in operibus interioribus, & effuſum in externis,infuſum in patre,effuſum in matre,infuſum in diuina generatio

ne,

ne,& effuſum in humana natiuitate,infuſum vt Deus,effuſum vt homo, infuſum in cœlo,effuſum in terris,infuſum denique in Angelis, & effuſum in hominibus, *Oleum effuſum nomen tuum*, effuſum inquam in omnes gentes,ſicut ipſemet Chriſtus Ananiæ de Paulo dixit, *Vas electionis eſt mihi iſte,vt portet nomen meum coram Gentibus & Regibus,& filijs Iſrael*,quod quidem fecit Apoſtolus,nam protinus ex Damaſco abiit Hieruſalem,inde Tharſum Ciliciæ metropolim,& Antiochiam præclaram Syriæ Vrbem,mox Phrygiam,Galatiam, Troiam, Macedoniam, & Athenas,vbi mundi ſapientia uigebat, poſtea Corinthum venit Epheſum,Miletum,Con,Rhodum,& Inſulas illas Achaiæ & Græciæ,vlterius proficiſcens peruenit ad Arabes,hinc venit in Italiam, & Romam tandem,vbiq; ſuaue Chriſti nominis oleũ effundens, illudq; maxima celebritate prædicans, ac diuulgans; cepit ſanè admirabilis huius olei effuſio, ſeu nominis Ieſu Chriſti prædicatio in Aſiæ regione, in tota Iudeæ & Galileæ prouincia,in Ciuitate Hieruſalem, quæ in totius orbis terrarum medio poſita,quaſi vmbilicus eſt totius mundi, vnde facilis in omnes terrarum partes olei,ſeu fidei Chriſti effuſio fieri potuit, & illinc ita longè, latèque diffuſum fuit Chriſti nomen, vt ad Herculeas vſq; columnas vndique diuulgatum peruenerit, inde verò noſtris ferè temporibus ipſius odoris fragrantia eò penetrauit, vt ad nouos etiam mundos permanarit; Quapropter ſponſa Chriſti Eccleſia de ſponſi nomine verba faciens,optima certè ratione, oleum effuſum ſymbolicè illud appellat, dicens, *Oleum effuſum nomen tuum.*

LECTIO XXV.

Oleum effuſum nomen tuum.

NVLLI Dubium eſt auditores, nullo vnquàm tempore,aut in ſtatu Naturæ, aut in lege Moſis, proprio nomine Deũ appellare licuiſſe, etenim priſca omnium doctiſsimorum hominum, non ſolum Catholicorum, ſed Ethnicorum etiam vetuſtas,Deum Opt.Max. ob infinitam & incomprehenſam eius naturam, anonymum, hoc eſt ſine nomine, eſſe communi conſenſu recepit; Ita inquit Magnus Grego. Nazian.in quarta Oratione de Theologia, *Deus nullo nomine exprimi poteſt, idque oſtendunt Hebræorum antiquiſſimi atque eruditiſſimi viri*, & primo hoc idem dixerat D. Dionyſius in libro de diuinis nominibus cap. I. *Inexcogitabile eſt mente illud vnum ſuperius, & ineffabile verbis*, immò verò & Mercurius Triſmegiſtus, & Lactantius Firmianus in primo libro de falſa religione cap.6. refert,

refert,id quoq; asseruit dicens, *Deo nomen non est, quia solus est.* & sanè diuina eius essentia, si maximè vna est, immò totius vnitatis fons, à se ipsa indiuisa atque indiuisibilis, absque vlla prorsus rerum concretione tum Physica, quæ ex materia, & forma, tum Metaphysica, quæ est ex actu & potentia, ex substantia, & accidente, ex essentia, & existentia se sola subsistens, qui fieri potest, ut verbis explicetur, vt scriptis exprimatur, vt cogitatione etiam comprehendatur? Quandoquidem iuxta illud Platonis placitum in Cratylo non ex libero hominum instituto, sed ex ipsarum rerum natura & essentia, cui quidrare debent, nomina sunt imponenda: præterquàm quòd sicut ibidem Lactantius Firmianus ait, si proprio vocabulo opus non est, nisi cùm discrimen exigit multitudo, vt vnamquamque rem sua nota & appellatione designet, Deum fortasse, qui semper & maximè vnus est, proprio nomine appellari opus erit? nequaquàm auditores vt enim diuersorum colorum nómina, intra sphæram suæ uirtutis, hoc est intra facultatem ipsius uisus claudũtur, ita vt nullo alio sensu à nobis percipi & denominari possint, cum in Prouerbio sit, cæcum de coloribus non diiudicare; ita omnium rerum nomina, à sapientibus hominibus ipsis imposita, intra sphæram uirtutis humanæ mentis continentur, quæ quidem hominis mens cum finitæ ac limitatæ capacitatis sit, & ob id intra rerum creatarum circulum detenta, huiusmodi rebus creatis duntaxat propria nomina, quæ ipsarum rerum naturam, ut par est, atque substantiam exprimant, imponere ualet. Cum igitur Deus Optimus Max. extra mundi creati sphæram reperiatur, ab humano intellectu proprio nomine nequaquam appellari potest, quo diuina, infinitaque illius natura explicetur, sed nimia ipsius diuinitatis luce mens hominis obcæcata, obscurissimis ignorantiæ tenebris obruitur, & ob hanc caussam, vt ego censeo, antiquus ille poeta Græcus Orpheus in suis hymnis de Deo canens aiebat.

Ipsum non video, est etenim caligine septus.

Quod etiam Regius Dauid in Psal. 17. & 96. cecinit, hic enim dixit; *Nubes & caligo in circuitu eius*, ibi verò dicebat, *Qui posuit tenebras latibulum suum*. Verum quid moror Sanctorum Patrum auctoritatibus hoc idem confirmare? meminisse uos existimo auditores, cum magnus ille Patriarcha Iacob, ut Dei præcepto pareret, de terra aliena, & de domo Laban egressus, in terram suæ natiuitatis reuerteretur, ipsum in itinere aliquando solum mansisse, & cum Deo à uesperis usque mane luctatum fuisse, ut Genes. cap. 32. legimus, cumque Deus per Angelum suum in humano corpore assumpto illum superare non posset, uelletque discedere, duo scilicet memoria recte retinetis, antequã discederet ab ipso Deo petiit Iacob, nimirum se benedici, & diuinum sibi nomen reuelari; Audite,

dice, *Non dimittam te nisi benedixeris mihi*, quod est primum postulatum; Alterum verò huiusmodi fuit; *Dic mihi quo appellaris nomine?* at Deus etsi benedixit ei in eodem loco, noluit tamen illi suum nomen reuelare; sed ait, *Cur quaeris nomen meum, quod est mirabile?* admirabilis quidem ipsius Dei nominis magnificentia super omnes cœlos, nedum sensiles & corporeos, sed angelicos etiam & spiritales mirificè exaltatur, quippe qui angelici spiritus, quàmuis Dei gloriam canoris uocibus, & cantionibus sempiternis celebrent, ineffabile tamen ipsius nomen explicare nequeunt, nisi superno aut gratiæ, aut gloriæ lumine illustrentur. Taceo nunc sapientissimum omnium hominum Salomonem, qui inter multa difficilia sibique abscondita, hoc vnum præcipuè sacrum scilicet, diuinumque nomen explicare se nescire fatetur, Ecclesiast. ca. 38. *Quod nomen est eius, & quod nomen filij eius si nosti*, quinimmo verò, ob maximam huius rei difficultatem, de hoc nomine symbolicè loquens, ibidem cap. 18. turrem fortissimam ipsum appellat, inquiens, *Turris fortissima nomen Domini*, sicuti namque difficile est altissimam turrem ascendere, ità & quàmmaximè arduum est, ineffabile Dei nomen, diuinam ipsius naturam, ea qua decet, dignitate exprimens, inuenire. At illud equidem silentio præterire non possum, quod in Apoc. cap. 19. habemus, vbi refert Diuus Ioannes Euangelista cœlum se vidisse apertum, & equitem fidelem, atque veracem, cum iustitia iudicantem, & pugnantem super equum album sedere, cuius oculi erãt sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habentemque nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse, mox verò subiungit, & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen eius verbum Dei, & habet in vestimento, & in fęmore suo scriptum, Rex regum, & Dominus dominantium: O sacrum mysterium, omniique stupore dignissimum, geminam, vt audistis, hic eques inscriptionem habebat, alteram, quæ videbatur in vestimento & in fęmore eius impressa, alteram verò quæ non videbatur, & ipsi soli cognita, vtraque hæc inscriptio, vt placet Arethæ Cæsariensi, ita exponitur; eques super equum album sedens est Christus Deus & homo, Dei patris filius in æternitate, & Mariæ Virginis Matris in temporis plenitudine, cuius oculi sicut flamma ignis, sunt ardens ipsius charitas, qua tùm Deum, & est oculus dexter, tum hominem, & est sinister, summoperè prosequutus est, & prosequitur, multa verò diademata, quæ ipsius caput cingebant, sunt & corona de spinis, quam super caput eius posuerunt Iudæi, & glorię corona, qua coronauit eum Dominus in die solennitatis, & lætitiæ, sicut vestimentum sanguine aspersum Christi carnem designat, fęmur autem naturam carnis, quod verè humana sit, & non phantastica, aduersus Manichæos ostendit; quamuis igitur Dei nomen in Christi humanitate nobis

bis manifestum sit, ac reseratum, in ipsa tamen diuinitate nobis incognitum est atque occultum; Audite, quid ipsemet dicat, *Inscriptio equitis insidentis equo albo, duplex est, altera visibilis in vestimento super femore sedentis exarata, altera incomprehensibilis, quam nemo nouit, nisi ipse eques, & significat incomprehensibilitatem infinitæ & ineffabilis substantiæ filij Dei, quam nemo nouit nisi ipse;* sicuti enim referente ipso D. Matth. cap. 11. *nemo nouit patrem, nisi filius*, ita nemo nisi filius, proprio nomine Deum appellare potest; veruntamen illud certè verum est, nos homines mortales, etsi proprio nomine excelsam Dei naturam perfectè exprimente, ipsum nuncupare minimè valemus, supernæ tamen reuelationis lumine illustratos, variis saltem vocabulis ipsum describere & explicare posse, ita inquit Diuus Dionys. in libro de diuin. nom. cap. primo. *Tantum fas est ad celsiora Dei nomina conscendere, quantum se ipsum diuinorum eloquiorum radius insinuare videtur*, cui omnes Catholici patres assentiuntur, vt Origenes hom. 4. super Ezechielem, Grego. Nazianzenus in oratione 4. de Theologia, Basilius Magnus super illa verba; *Et vocabis nomen eius Iesum*, Epiphanius primo libro aduersus hæres. D. Ioan. Chrysost. hom. 21. super Gen. D. Cyprianus in explicatione Symboli Apost. Diuus August. in oratione quam habuit aduersus Iudæos, Diuus Bernardus sermone 15. super Cant. cant. Theodoretus super Zachariam prophetam cap. 3. quinimmo & Lactantius Firm. primo libro de Falsa religione cap. 6. & 7. doctus Cardinalis Nicolaus de Cusa tertio libro exercitationum, Marsilius Ficinus in suis commentar. super librum Diui Dionysii de diu. nom. & tandem ipsemet Plato, qui omnium primus in Cratylo dixit, Diuina nomina habita sunt à Barbaris, hoc est à Iudæis, qui habuerunt illa à Deo sine quo nullatenus capere possumus veros sermones, veraque nomina, quibus Deus nuncupatur, quæ sanè verba cum illis maximè quadrant, quæ, vt supra recensuimus apud D. Matth. cap. 11. leguntur, *Nemo nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare:* hinc Pythagoras etiam iubebat, vt de diuinis nemo sine lumine loqui præsumat, sine illo, inquam, lumine, de quo Psalmographus canit, *In lumine tuo videbimus lumen:* ita enim variis, & diuersis si nō nominibus, saltem cognominibus Deum appellare possumus, quod vt facilius adipiscamur atque dilucidius, duplex sacræ Theologiæ genus à priscis illis patribus inuentum fuisse adnoto, cuius alteram affirmantē vocant, & symbolicam, quæ in hac maxima omnium rerum creatarum multitudine ab altioribus creaturis, atque nobilioribus ad humiliores descendens, atque profundiores, nullam omnino prætermittit, quam non affirmet de Deo; alteram verò negántem appellant, & mysticam, quæ ex aduerso à profundioribus, & humilioribus creaturis, ad nobiliores adscendens

omnes prorsus à Deo liberè negant,& vt à negante, mysticaque Theologia exordium sumam,iuxta huius sacrosanctæ doctrinæ placita Deus Opt. max. non est materia, non forma,non terra,non aqua,non ignis, non lapis, non planta, non brutum animal, non homo, qui sunt decem creaturarum gradus in hoc mundo inferiori contenti, quinimmo ipse Deus neque est circulus Lunæ, neque orbis Mercurii,neque currus Veneris,neque globus Solis,neque sphæra Martis,neque atrium Iouis,neque solium Saturni, neque firmamentum variis syderibus circum ornatum,neque cœlum chrystallinum,neque tandem Empyreum beatorum spirituum domicilium,qui sunt etiam decem cœlestium globorum gradus, mediam mundi partem splendidè exornantes; Dicam etiam, Deus benedictus nec Angelus est,nec Archangelus,nec Principatus, nec Potestas,nec Virtus,nec Dominatio,nec Thronus, nec Cherubin,nec Seraphin,nec genus humanum super omnes Angelorū choros si non naturę, gratiæ saltem, & gloriæ principatu in Iesu Christi humanitate exaltatum, qui sunt beatarum mentium gradus decem quos ille mundus superior continet; Neque enim Deus habet esse,non vitam,non sensum,non rationem,non intellectum,sed est suprà omnia,suprà intellectum, suprà rationem,suprà sensum,suprà vitam,& suprà omne esse,qui sunt gradus omnium creaturarum in triplicem decadem distincti, triplicem mundi partem,inferiorem scilicet,mediam.& superiorem,seu(vt aiunt) Elementarem, Cœlestem, & Angelicam, mirificè collustrantes; Quare Diuus Augustinus in libro quæstionum veteris Testamenti,& Diuus Anselm. in suis Menologiis cap.primo & tertio, ex mysticę ac negantis Theologiæ præceptis de Deo loquentes, ita nobis ipsum descripsere, *Deus est id,quo nihil maius, meliusve excogitari potest*, & ob hanc caussam omnia ferè,quæ de Deo in scripturis sanctis dicuntur, per negationem enūciantur;nam si diuinæ naturæ vnitas explicatur legitur in Psalm.85. *Non est alius præter te Domine*,si eius æternitas,dicitur: *Ante me non est formatus Deus*,Isaiæ cap.44. Si immensitas, dicitur ei tertio libro Regum cap.8.*Cæli cælorum nequeunt eum capere*:Si perpetua quies, dicitur Malachiæ cap.tertio, *Ego Deus,& non mutor*; Si potestas infinita, dicitur apud Diuum Lucam cap.primo, *Et non erit impossibile apud Deum omne verbum*;Si fortitudo,dicitur cap.2.primi libri Regum. *Non est fortis sicut Deus noster*;Si iustitiæ,dicitur in Psal.5.*Non Deus volens iniquitatem tu es*;Si amor, dicitur Sapien. cap.11. *Nihil odisti eorum quæ fecisti*; Si omnium gentium ad Christi fidem conuocatio,dicitur Rom.cap.primo,*Non est acceptio personarum apud Deum*;Si demum diuinæ magnitudinis singularitas explicatur,dicitur in Psalm.85. *Non est similis tui in dijs Domine*;O bone Deus tu vnus non es,sed cuiuslibet vnitatis princi-

pium,

pium, non æternus, sed ipsius æternitatis auctor, non immensus, sed omnem excedis immensitatem, non immutabilis, sed qui das cuncta moueri. Non potens, sed cuiusque potestatis virtus, non sapiens, sed fons omnis sapientiæ, non fortis, sed cæteris fortitudinem tribuens, non es iustus, sed omnem iustitiam excellis, non es amans & pius, sed ardens amoris & pietatis fornax, non es tandem singularis, atque perfectus, sed omnem superas perfectionem, ac singularitatem; Si verò à negante, ac mystica Theologia ad affirmantem & symbolicam accedere velimus: & quę res profectò est in hoc augusto totius mundi theatro, quæ per excellentiam & eminenter, vt aiunt Scholastici, in ipso Deo non reperiatur? nulla profectò creatura est, aut angelica, aut cœlestis, aut etiam huius mundi inferioris, qua in scripturis sanctis Deus Opt. max. non appelletur; etenim Seraphinus est, qui cœlesti sui amoris ardore totum mundum incendit, inquiens, *Ignem veni mittere in terra, & quid volo, nisi vt ardeat?* Cherubinus est, qui radianti diuinæ scientiæ luce omnia replet; *Splendebat terra à maiestate eius*, Thronus est, quoniam se solo perfectè beatus sempiterna quiete gaudet; *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo*, Dominatio est, quoniam omnibus creaturis suæ ditioni subiectis dominatur, *Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum*; Virtus est; quoniam verbo virtutis suæ singula prout vult, operatur, *Ipse est uirtus & sapientia patris*; Potestas est, quoniam non solum omnia potest, sed omnibus operandi potestatem tribuit, *Omnis potestas à Domino Deo est*, Principatus est, quoniam mundi Principes constituit, & regit, *Qui vos spernit, me spernit, & qui uos audit me audit*; Archangelus est, quoniam homines omnes ad seipsum deducit, & trahit, *Omnia traham ad me ipsum*, Angelus est, quoniam animas nostras custodit, & defendit; *Vna est Deo cura æqualiter de omnibus*, & tandem homo beatus est, qui in persona Verbi, verè factus est homo; At paulò inferius ad mundum cœlestem descendamus, ubi nullum sydus est, nullusve globus, qui perfectissimo modo ipsi Deo non conueniat; & primò domicilium beatorum, seu cœlum Empyreum est, quoniam ipse est pax & fęlicitas nostra; *Satiabor cum apparuerit gloria Domini*; Cœlum chrystallinum est, quoniam aquarum cœlestium, hoc est diuinarum gratiarum fons est uberrimus; *Gratia & veritas per ipsum facta est*; Firmamentum est, quoniam robur est & refugium nostrum; *Dominus firmamentum meum, refugium meum, & liberator meus*; Solium Saturni est, quoniam pater est requiei, in qua tandem æuò perpetuo quiescemus, *Et inuenietis requiem animabus vestris*; Atrium Iouis est, quoniam cœlestia simul & terrena moderatur, *Rex regum, & Dominus dominantium*; Sphæra Martis est, quoniam Deus est exercituum & vltionum, *Fortis & po-*

& potens in prælio; Globus solis est, quoniam princeps est lucis, & vitæ fons; *In quo uiuimus mouemur, & sumus*; Currus Veneris est, quoniam amor est, & charitas qua *Dilexit, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*; Orbis Mercurii est, quoniam omnis eloquentiæ largitor est, omnisque sapientiæ; *In quo sunt omnes thesauri absconditi sapientiæ, & scientiæ Dei*; Circulus tandem Lunæ est, quoniam totius generationis origo, baptismatis aquis *Regenerauit nos in spem uiuam*; Verum adhuc inferius ad infimam mundi partem descendentes accedamus; Ignis est quoniam sui amoris ignem in cordibus nostris accendit; *Qui ignem mittere uenit in terra*; Aer est, quoniam per os Christi in Apostolos sanctos insufflauit, & dixit, *Accipite Spiritum sanctum*; Aqua est, quoniam nos ab omni peccati labe tergit, & expurgat, *Factus fons aquæ salientis in uitam æternam*; Terra est, quoniam ipse est qui dat fructum trigesimum, sexagesimum, & centesimum, sed accedamus ad mixta corpora: Lapis est, quoniam inquit Apostolus: *Petra autem erat Christus*; Planta est, quoniam & vitis est, & oleum, & semen, & radix, & flos, & lilium. Brutum animal est, quoniam & aquila, & leo, & ouis, & agnus, in scripturis sanctis appellatur. Et tandem homo est, quoniam *Cum in forma Dei esset, habitu inuentus est ut homo*: Nihil igitur est in tanta creaturarum omnium multitudine, quod in Theologia Symbolica & affirmante de Deo Optimo Maximo non dicatur, ex quo vt inquit Apostolus, emanant omnia, per quem reguntur omnia, & in quo omnia perfectissime reperiuntur, quòd sanè multò ante asseuerauit Mercurius Trismegistus, inquiens de Deo; *Tu omnia es, & nihil est quod tu non sis, tu es omne quod fuit, & quod non fuit*; vt illud silentio nunc inuoluam quod apud Plutarchum Cheronæum de inscriptione in te, & apud Proclum primo libro Commen. in Thimæum in templo Mineruæ scriptum fuisse legimus, nimirum; *Ego sum omne quod fuit, quod est, & quod futurum est*; Veruntamen, quàmquam centum ac mille nomina sunt, quibus in scripturis sanctis Deus Optimus Maximus nuncupatur, nullum certè est, quod diuinam nobis substantiam, non dicam perfectè, at semiplenè explicet; sunt enim cognomina potius quàm propria Dei nomina, neque vos existimare velim auditores, hanc vocem *Deus*, ex duabus syllabis, & quatuor elementis conflatam, esse proprium ipsius Dei nomen, nam commune vocabulum est creatori, & creaturis conueniens, vt Angelis in Psalmo octuagesimoprimo. *Deus stetit in Synagoga Iudæorum*; vt Propheris ibidem; *Ego dixi Dij estis*, vt Principibus Exodi capite septimo. *Constitui te Deum Pharaonis*, vt Hominibus iustis, Diui Ioannis capite primo. *Dedit eis potestatem filios*

Dei fieri; vt cunctis hominibus quemadmodum est in adagio; *Homo homini Deus*; vt dæmonibus capite quarto post. Episto. ad Corinth. *Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium*; vt denique Idolis, Exodi capite trigesimosecundo. *Isti sunt Dij tui Israel*; Ignoratur auditores, ignoratur à nobis proprium Dei nomen, sicut & diuina ipsius natura penitus est nobis ignota, quam nullus intellectus humanus, nec mens Angelica attingere potest, nisi aut diuinæ reuelationis, aut visionis beatæ lumine illustrentur. Aliqui sanè antiquiores Hebræi ex quodam nomine, quod Exodi capite decimoquarto habetur, ex septuaginta duabus literis composito, septuaginta quoque nomina Deo attribuunt: Diuus Hieronymus in Episto.86. quam scribit ad Marcellam, decem tantum nomina assignat, quibus nuncupatur Deus, quæ sunt ista, El, Eloi, Eloin, Zebaoth, Elym, Eye, Adonai, Yn, Sadai, & Ieouah, hoc est, fortis, timor, fortes, princeps exercituum, excelsus, is, qui est, Dominus, almus Spiritus, omnipotens, & nomen Dei ineffabile, quod est Tetragrammaton, seu quadrilitterum. Diuus Dionysius in libro de Diuinis nominibus etsi nomina quadraginta quinque Deo ascribit, primo tamen capite septem præcipua, ac cæteris præstantiora declarat, quæ sunt ista, Vnitas, trinitas, causa, vita, sapientia, pulchritudo, & bonitas, alii verò Hebræorum eruditissimi viri, quinque duntaxat Dei nomina omnium præstantissima attulerunt, videlicet, Adonai, El, Sadai, Zebaoth, & Iehoua; Gregorius Nanziazenus, in oratione quarta de Theologia, duo solum nomina Deo assignat, & hæc sunt, Is qui est, & Deus, cum vtroque se nomine ipsemet ore proprio vocet, tum Exodi capite tertio vbi dicit; *Ego sum, qui sum*: tum Isaiæ capite quadragesimosecundo, vbi ait; *Ego Dominus Deus tuus, hoc est nomen meum*; Doctissimus tandem Origenes in Home. quarta super Ezechielem Prophetam, vnicum Deo nomen attribuit, quod est nomen Tetragrammaton, nomen quod ab Hebræis Iehouah dicitur, quod nemo ex antiquioribus Rabbinis quamuis doctus, & eruditus, ante Christi aduentum explicare potuit; quod sanè nomen est mirabile, quod nemo nouit, nisi ipse Deus, & quod à solo Messiah Domino nostro, sacro ipsius nomine, quod est Iesus in temporis plenitudine nobis reuelatum fuit; Tria autem nomina sunt quibus in scripturis sanctis Messias appellatus fuit, videlicet Emanuel, Iesus, Christus, Emanuel vocatur ab Isaia capite septimo inquiente; *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*; Iesus dicitur ab Angelo Diui Lucæ capite primo. *Et vocabis nomen eius Iesum*. Christus vocatur à Diuo Andrea Diui Ioannis capite primo. *Inuenimus Messiam, qui dicitur Christus*. Rursus Emanuel

est

est nomen naturæ, quod idem est, ac Deus nobiscum, & mystice designat diuinam ipsius naturam cum humana hypostatica vnione coniunctam; Christus est nomen officii, quod idem est ac vnctus, & ipsum Regem præmonstrat, & Sacerdotem, & Prophetam, qui oleo sancto in veteri lege perungebantur; Iesus deniq; est proprium ipsiusmet personæ nomen, quo Messias ab omnibus vniuerse nuncupatur, & in hoc vno reliqua duo saltem virtute clauduntur, quandoquidem Iesus idem est, quod Saluator, at nullus nisi Emanuel, hoc est Deus factus homo, veram homini salutem afferre potuit, & nullus nisi Christus, hoc est Messias illam attulit; *Ipse enim saluum fecit populum suum à peccatis eorum*; Admirabile profectò est hoc nomen Iesus, quod ex his tribus literis Iod, Scin, Vau, compactum est, & sicuti Iod, denarium numerum, Scin, centenarium, & Vau, vnitatem designant, ita eum hi tres numeri reliquos omnes complectantur; ipsum Iesum in se omnia continentem demonstrant; Præterea Iod diuinitatem, Vau vitæ ardorem, & Scin quietem exprimunt; quoniam per Iesum, qui verus homo est, ac verus Deus, & gratiæ vitam in hoc mundo, & perpetuam gloriæ quietem in cœlo adipiscimur; *Oleum effusum nomen tuum*; quod est Emanuel, hoc est Deus nobiscum, quod est Christus, hoc est Vnctus, quod est Iesus, hoc est Saluator; Dicunt sanè aliqui hoc nomen Iesu deduci à nomine Dei Ieoua, cui quidem nomini, si literam S. interiicias, efficis nomen Ieosua, quod idem est, ac Iesus. Verùm illorum potius opinionem approbo, qui putant ipsum deriuari à Iosah, quod salutare, seu salutem significat; hinc Diui Lucæ capite primo cecinit Deipara virgo inquiens; *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*; & Diui Matthæi capite primo Angelus dixit Iosepho; *Et uocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*; Quod deinde satis apertè dictum fuit Actuum Aposto. capite quarto. *Nullum nomen est in quo nos oporteat saluos fieri nisi in nomine Iesu*; preterquàm quod Iesus ille, seu Iosue dux Iudæorum; & typus Christi uocatus non fuit ex nomine Ieosua, sed ex verbo Iosah, quemadmodum iis, qui primis etiam labris Hebraicam linguam degustarunt, satis manifestum esse potest; & certè, si Christus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret, nullusque languor reperiatur periculosior ipso peccato, venit ergo, vt nostros etiam sanaret languores, iuxta illud Dauidis dictum; *Misit uerbum suum, & sanauit eos*; at salus, & languor sibi inuicem opponuntur, quare optima ratione Christus nomen Iesu, hoc est salutis, seu Saluatoris habuit; sicut enim nobiles illi duces Romani præclara nomina, aut Asiatici,

aut Africani, à destructis gentibus sibi vsurparunt, ita Christus à reparatis populis Saluatoris nomen sibi accepit; *Oleum effusum nomen tuum*; Ita quoque astruit Basilius Magnus super illis verbis Diui Lucæ capite primo. *Et uocabis nomen eius Iesum*; Vbi inquit, *Nomen Iesus saluator appellatur*; Hoc est, *Salus populi*; Cui assentiuntur patres omnes, potissimum verò Diuus Cyprianus in expositione symboli, Diuus Epiphanius primo libro contra Hæreses, & Theodoretus super Zachariam capite tertio. O sacrum mysterium, omniique admiratione dignum hoc illud nomen est, in quo virtutes, & mysteria omnium nominum continentur, & ob id ab Apostolo Paulo tum in Episto. quam scribit ad Ephesios capite primo tum Philippens. capite secundo summoperè celebratur, hic enim inquit: *Et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*; ibi verò dicit: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit*; Nam sicut Deus pater dedit omnia filio, qui portat omnia verbo virtutis suæ, ita vt rei nominatæ congrueret nomen, donauit illi nomen, quòd omnium rerum nomina contineret, & vbique instar olei effusi, diuulgaretur: *Oleum effusum nomen tuum*; Ac si diceret sponsa Synagoga, habeo quidem, ô mi carissime sponse, oleum, sed non effusum, habeo nomen, sed reconditum habeo, sed in codicibus, non in cordibus scriptum contrecto sanè manibus uas plenum oleo, sed clausum; tu Domine aperi Mosaicæ legis vas, & effunde oleum nominis tui, neque enim mihi oleum in vase, hoc est saluatoris nomen in libris lectitare mihi non prodest, cum Spiritus sancti vnctio intus recondita contineatur; *Effunde oleum tuum, ut ueniant tribus tribus Domini, ad confitendum nomini tuo*; vt veniant ab Ortu & Occasu, immò verò & à Meridie, & Aquilone omnes gentes, & recumbant cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno tuo, & omnis lingua confiteatur, & dicat; *Oleum effusum nomen tuum*.

LECTIO XXVI.

Ideo adolescentulæ dilexerunt te.



ADMIROR Equidem admirabilem Prophetæ Salomonis sapientiam, qui post olei effusionem dilectionis, statim & charitatis meminerit, nam vt D. Aug. in serm. 23. de uerbis Domini eruditè animaduertit, illa uerba explicans, quæ de decem uirginibus D. Matth. cap. vigesimoquinto leguntur, quippe quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso, & sponsę,

ſponſæ, oleum in lampadibus myſticè charitatem in cordibus noſtris deſignat, *Sicuti enim* inquit ipſe, *Omnibus humoribus oleum ſuperemi-net, ita & charitas omnibus virtutibus ſuperexcellit*, Quare Salomon optima ductus ratione poſtquàm dixit; *Oleum effuſum nomen tuum*, illico ſubiunxit; *Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te*; Etenim, cum omne agens, tũ aut ex natura, aut ex arte recta cum ratione operatur, propter aliquem finem agat, cumque teſte Ariſtotele primo libro de Cœlo tex. 32. *Deus, & natura nihil fruſtra faciant*; Sponſa, quæ ſponſi nomen oleum effuſum parabolicè appellarat, ne fruſtra per totum terrarum orbem hæc olei effuſio, hoc eſt Ieſu Chriſte nominis diuulgatio facta fuiſſe videretur, tantæ effuſionis fructum læta ſubinfert, inquiens, *Ideo ado-leſcentulæ dilexerunt te*: Ac ſi dicat, ô mi pulcherrime ſponſe, tanta eſt olei effuſi dulcedo, ſeu tanta eſt tui nominis ſuauitas, vt omnes adole-ſcentulę diligant te, vt omnes animæ iuſtæ ſummo te proſequãtur amore, quippe quæ & ſunt animæ iuſtorum tenellæ adhuc & delicatæ, ideſt gentes quæ recens ad Chriſti fidem venerant, vt primum olei effuſi fragrantiam ſenſerunt, in ſponſi amorem excitatæ ſunt, illiusque mira ſuauitate repletæ, propterea dilexerunt illum: neque enim vnquàm ſponſum Chriſtum dilexiſſent, niſi diuinæ charitatis, ſeu gratiæ præuenientis oleum primò effuſum fuiſſet, cum mens noſtrã, abſque peculiari Dei auxilio, in ipſum eleuari non poſsit; Hinc ſicut aiebat Pythagoras, *De diuinis, nemò ſine diuino lumine loqui præſumere debet*; ita nullus; *Amorẽ abſq; amore deprehendere poteſt*; vt ait Philolaus: niſi igitur ſponſus Chriſtus primum nos dilexiſſet, adoleſcentulæ (quæ ſunt animæ iuſtę aut eccleſiæ particulares, vt placeto Gilberto Genebrardo, aut ex teræ nationes, vt aiunt Rabbini putantes hic Synagogam eum affari) ipſum diligere nequaquàm potuiſſent, & ob id primò dicitur, *Oleum effuſum nomen tuum*; hoc eſt; *Charitas Dei*, cuius ſymbolum eſt oleum, *Diffuſa eſt in cordibus noſtris*; & mox ſubiungitur, *Ideo adoleſcentulæ di-lexerunt te*; Quare D. Bernard. in tracta. de diligendo Deo optime aiebat: *Vide quomodo, immo quàm ſine modo à nobis Deus amari meruerit qui prior ipſe dilexit nos*, quod accepit a D. Ioan. Epiſtolæ primæ cap. 4. dicente: *In hoc eſt charitas non quaſi nos delexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos*. Cui ſanè veritati etiam Platonici aſſentientes aſſeuerarunt amorem vnum eſſe continuumque attractum à Deo incipientem, tranſeuntem in animam, & in Deum tandem redeuntem, ſeu potius deſinentem, ita vt quodam quaſi circulo in ipſum Deum, vnde manauit, remeet Amor, iuxta illud, quod Hierotheus apud Diuum Dionyſium, in libro de Diuinis nominibus aiebat, *Amorem, ſci-licet circulum eſſe à bono in bonum perpetuo reuolutum*, Quod etiam

Diuus Prosper Regiensis Episcopus libro tertio de vita contemplatiua, cap.13. confirmauit, inquiens, *Charitas est recta voluntas iucensa igne quoddam Spiritus sancti, à quo est, & ad quem refertur*; & ob id hunc vnum eundemque circulum à Deo in animam, & ab anima in Deúm tribus nominibus nuncupari dicunt; nam prout incipit à Deo, & allicit, pulchritudo vocatur; prout verò in animam transit, ipsámque rapit, dicitur Amor, & tandem prout remeat in Deum, & animam cum illo coniungit, appellatur voluptas; Amor igitur sponsæ Ecclesiæ à sponsi Christi pulchritudine ac bonitate incipit, quia Oleum effusum, nomen eius, & in propriam desinit voluptatem, quia sponsæ adolescentulæ dilexerunt illum; *Ideo adolescentulæ dilexerunt te*; Et quid, si dixerimus propter hanc quoque causam Platonem in Phædro Socratem inducere dicentem, Amorem esse furorem diuinum cæteris tribus furoribus, Poesi, videlicet Mysteriis, ac Vaticinio longè præstantiorem, quippe qui à Deo Opt.Max. sicuti & cæteri tres emanans, efficacius tamen atq; firmius cum ipso Deo nos iungat, & copulet? illud equidem verum esse certò scio, quod 2.2.q.23.ar.6. asserit D.Thomas inquiens, etsi fides, & spes Deum pro obiecto habeant, quemadmodum & charitas, fides tamen non attingit Deum, nisi vt reuelatum, & spes, vt auxiliantem, at charitas Deum amat in se, quia bonus, & pulcher est, nosque cum illo copulat, & coniungit; Quamobrem D.Apost. Paulus in priori Episto. quam scribit ad Corinth.capit.13. cæteris Theologicis virtutibus charitatem præponit, & ait, *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est Charitas*. *Qui enim*; vt ait Diuus Aug.in Enchiridio ad Laurentium ca.117. *rectè amat, proculdubio rectè credit, & sperat; qui verò non amat, inaniter credit, etiam si vera sunt quæ credit, & inaniter sperat, etiam si ad veram attinent fœlicitatem, quæ sperat*; hac igitur cæterarum virtutum præstantissima atque Regina charitate, ipsius sponsæ adolescentulæ erga sponsum Christum incensæ dilexerunt illum; & sanè Amor si vt placet Aristoteli in Politicis, à bonitate, aut vt voluit Plato in conuiuio à pulchritudine oritur, & ob hanc causam prisci Poetæ Venerem, quàm matrem Amoris dicunt, pulchritudinis Deam finxere; quid nam in hoc maximo totius mundi theatro amabilius esse conspicitur, aut delectabilius ipso Deo, qui summè bonus est, summèq; pulcher? infinitè bonus est Deus, quandoquidem, vt ait D.Marcus cap.10. *Nemo bonus est, nisi solus Deus*; infinitè quoque est pulcher, cum de ipso in Canticis capi.1. dicat sponsa, *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*; & quid profectò boni aut pulchri in creaturis omnibus reperitur, aut in angelis, aut in cœlo, aut in homine, aut in brutis, aut in plantis, aut in lapidibus, aut in elementis, aut in ip-

ſamet materia quàm tamen turpem Philoſophus, & propè nihil D.Auguſt.appellát, quòd omni perfectionis excellentia, & eminenter, vt aiunt Theologi, nō reperiatur in ipſo Deo? ipſemet Deus in Pſal.49.ſub mira pulchritudinis agri metaphora hoc aſſeruit, dicens, *Pulchritudo agri mecum eſt*; immò verò quæ bonitas, quæ pulchritudo, aut interna, aut exterior, aut cœleſtis, aut terrena, aut angelica, aut humana, aut miſta, aut ſimplex, aut Naturæ, aut gratiæ, aut gloriæ ordinem reſpiciens in omnibus creaturis eſt, quam non participent ex dono illius ſummæ bonitatis infinitæque pulchritudinis diuinæ? ita inquit Apoſto. Iacobus in ſua Canonica, cap. 1. *Omne datum opt. & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum*; & quamquam res omnes ab ipſo Deo creatæ bonæ ſunt, & pulchæ, vt ait Moſes Geneſis cap.1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*; cum ipſo tamen Deo totius bonitatis ac pulchritudinis fonte comparatæ prauæ potius ac turpes eſſe dicuntur. Cùm igitur Eccleſię ſponſę Chriſtus ſponſus maxime bonus ſit & pulcher, & quod bonum eſt, & pulchrum ex ſui natura ad ſe conuertat omnia, cunctiſque amabile ſe reddat, vt Diuus Dionyſius libro de Diuinis nominibus, cap.4. quid mirum, ſi ſponſæ adoleſcentulæ maximo Chriſti amore incenduntur? *Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te*; Verum audite auditores rem pulchram, *Dilexerunt*; inquit Salomon, non amarunt; Amor enim trifariam à dilectione differt; Primo quoniam vt ait D.Auguſt.tract.8.ſuper D.Ioannem; amor honeſtis rebus, & inhoneſtis aptatur; dilectio verò duntaxat honeſtis, ſi recta ratione loquamur, nam quandoque cum in profanis, tum etiam in ſcripturis ſanctis vnum pro altero vſurpatur, vnde Cicero in Lælio aiebat; *Amare nihil eſt aliud niſi eum diligere quem amas*; & Chriſtus apud D.Ioannem cap.12. D. Petrum alloquens dicebat: *Petre amas me?* Vt plurimum tamen ſcriptura diuina nomen amoris refugit, cauere volens, ne dum de rebus honeſtis, & ſacris loquitur, lapſus aliquis ſub inhoneſti ac profani amoris nomine naſcatur; Prętерea dilectio tanquam indifferens accipitur, vt magnus aut paruus animi affectus denotetur; Amor aũt magnum ſolummodo affectum deſignat; ut cum dicere ſolemus, non ſolum te diligo, ſed amo, nam amamus vehementer, & diligimus leuiter; in quo loquendi genere dilectio mitiorem ſonat affectum, amor verò vehementiorem præmonſtrat. Demum amor ipſius ſenſus, ſeu concupiſcentis animi ardorem deſignat; dilectio verò portionis ſuperioris, hoc eſt, mentis affectum indicat; Cum igitur adoleſcentularum animi affectio ſit de rebus honeſtis, quinimmo honeſtiſsimis, nempe de diligendo Deo, qui infinitè bonus, & pulcher exiſtens, omnis prauitatis & turpitudinis eſt expers, cumq; non

omnes adolescentulæ æquè ferantur in sponsi amorem, hoc est, non omnes iustorum animæ æquali amore diligant Deum, sed aliqui vehementiori, alii verò mitiori dilectione ipsum prosequantur, cum denique non tantum concupiscenti anima, sed tota etiam mente adolescentulæ sponsum Christum diligere debeant, iuxta Dei præceptum; quod Deuteronomii, cap. 6. legitur, & apud D. Marcum cap. 12. repetitur à Christo; *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis*; hinc certè factum est, vt tripli ci hac de causa Propheta Salomon diuino lumine illustratus, vocabulo, *Dilexerunt*; & non *amarunt*, vti voluerit, dicens; *Ideo adolescentulæ dilexerunt te*; At non omnes dilexerunt sponsum, sed adolescentulæ tantum, quæ cordis rectitudinem habent, vt infra subiungit sponsa Christi Ecclesia, cum dicit; *Recti diligunt te*; nam recto sunt corde, qui Deum super omnia, & ante omnia diligunt, qui verò ipsi Deo aliquid creatum præponunt, vel æquo ac Deum amore illud diligunt, recti esse nequeunt; Recti igitur non curui, adolescentulæ, non uetulæ, hoc est homines ex Dei gratia recti, non ex propriorum scelerum onere curui, seu animæ iustæ non impiæ, quæ nimirum ueteris hominis impuritate deposita, nouum hominem induunt, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, sanctitate, & veritate, hæ diligunt Deum, curui autem homines, atque vetuli, qui veterem adhuc hominem non exuunt, ad inferos deducuntur, & quidem Deum se diligere putant; at mundum qui totus in maligno positus est, diligentes, manent in morte; & cadunt in laqueum Diaboli: Ita hæc verba in suis Commenta. super Cantica Canticorum patres sancti interpretantur; Audite, ita inquit Doctus Origenes, *Adolescentulæ sunt animæ iustæ, quia Charitas Dei diffusa est per Spiritum sanctum in corda nostra*; ita inquit Diuus Hieronymus. *Non illæ vetulæ animæ veterem hominem indutæ, & maculas habentes, sed adolescentulæ, idest animæ positæ in augmento ætatis, & pulchritudinis Christi, quæ semper de die in diem renouantur, nouum hominem induentes, qui secundum Deum creatus est, hæ dilexerunt Christum*, ita inquit Gregorius Papa; *ideo adolescentulæ, idest animæ sanctæ, quæ baptismi aqua per Spiritum sanctum regenerantur dilexerunt te*; ita inquit Beda Venerabilis, *Adolescentulas dixit animas, quæ in Christo renatæ sordes ueteris hominis abiecerunt*, ita demum inquiunt, Diuus Thomas & antiquus Haymon *ideo adolescentulæ, idest animæ fidelium, & iustorum electorum, qui tunc in circuncisione, & in fide Christi, vel nunc in baptismo reliquerunt sordes veteris hominis, & renouatæ sunt in Christo, dilexerunt te.* Sed quonam modo in Dei amorem ferantur profectò non adest modus

in textu

in textu nostro, quo adolescentulę Christum sponsum diligant, ipsum tamen modum amandi Deum, addit Ecclesia inquiens, *Ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis*, nimis inquàm nō quo ad actum amoris interiorē, qui spectat ad affectum, is enim cum amatum obiectum, quod est diuinum, & infinitum respiciat, nequit habere modum, aut mensuram, at nimis, quò ad actum amoris exteriorem, qui attinet ad effectum, nam Dei seruus nimis pro ipso Deo se affligere potest, vel dicamus nimis, hoc est, ualde, uehementer, ardenter, ut exponit D.Bern.sermo. 19. super Cant. cant.quę sanè verba illis quàmmaximè quadrant, quæ Deut. cap. 6 habentur, *Diliges ominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua*; Primo autem iubet Dei præceptum, ut toto corde ipsum diligamus, hoc est, tota uoluntate: quæ nomine cordis designatur, ut scribit Diuus Thomas secunda secundæ quæstio. 44. artic.quinto, nam sicut cor in animali omnium corporis motuum est initium, ita & uoluntas in homine omnium ipsius animi mutationum est fons et origo: Deum itaque tunc ex toto corde diligimus cum in ipsum omnis nostra fertur intentio, illumque super omnia diligentes, nihil est quòd eius dilectioni præferamus, aut æquemus, sed quæcunque nobis cara sunt secundo loco amamus, nam ut D.Hilarius ait, *Qui domesticas hominum dilectiones Dei charitati prætulerunt, aut æquarunt, futurorum bonorum hæreditate indiguerunt*; et sanè si Deus omnibus aliis absque ulla comparatione excellentius bonum est, si rerum omniū est principium, earumq; perfectiones excellentissimè in se continet, nonne super omnia est diligendus? rursus et quis adeo insulsus esset, ut commune bonum ardentius quam peculiare non diligeret; animal enim natura duce, brachium pro capite tuendo exponit, quandoquidem totius animalis salus ex capite pendet; at Deus ut docet Diuus Thomas secunda secundæ quæst.26.articul.3.et 3.Sentent. distinct. 29. est commune bonum ac generale, in quo res omnes, et angelicæ, et cœlestes, & terrenæ meliori etiam nota, quàm in seipsis existunt. Quam ob rem suprà omnia & plus quam omnia ex toto corde debemus diligere Deum; Præterea immensa & innumera ipsius Dei beneficia nos ad ipsum amandum compellunt, quorum duo præcipua sunt, Creatio, & Redemptio; ex creatione quidem, ex qua duplex oritur admiratio, geminus quoque amor in nobis erga Deum accenditur; neque summus ille opifex nos temporis initio ex nihilo solum creauit, (quod attinet ad potentiam) sed quæcunque etiam creauit nostris vsibus deseruire iussit; quod ad prouidentiam spectat; Ex redemptione verò mira amoris excitatio procedit, quandoquidem; *Ita Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit in redemptionem pro multis, vt omnis qui credit in ipsum,*

non pe-

non pereat, sed habeat vitam æternam: Hinc arbitror Diuum Paul. in priori epist. ad Chor. scripta cap. 16. dixisse; *Qui non amat Dominum Iesum Christum, anathema sit,* Hinc etiam D. Ignatius aiebat; *Amor meus Christus crucifixus est;* Hinc Diuus Bernardus sermone 20. super Cant. inquit, *Valde omnino mihi amandus est Iesus, per quem viuo & sapio; sed quod me plus mouet, plus vrget, plus accendit, super omnia reddit amabilem te mihi Iesu bone, Calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ.* Quocirca, vt tanti amoris Dei erga nos vicem ex quapiam parte rependere videamur, ex toto corde, hoc est super omnia, & plusquam omnia ipsum diligamus. Secundo vero loco iubet Deus, vt ex tota anima ipsum diligamus, hoc est, vi appetitrice quæ est animi portio inferior, quod sanè exequimur, cum totum appetitum facultatis concupiscentis Deo regulandum tradimus, hoc est, propriæ saluti, pro Dei amore, non parcimus, nos ipsos afflictionibus & periculis exhibemus, propriis facultatibus & diuitiis denudamur, parentibus, vxoribus, & filiis renunciare parati sumus: &, vt multa vno verbo complectar, corporis cruciatus, & mortem non solum non refugimus, verum etiam libenter excipimus, vt amantis sequamur vestigia, vt summi denique amatoris legi subdamur, inquientis apud Diuum Lucam cap. 9. *Qui vult venire post me, abneget, &c.* & apud Diuum Matthæum cap. 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam;* Tertio demum loco ex tota mente Deum diligere nos oportet, ex toto videlicet intellectu, qui totus & in omnibus Deo sit subiectus; hoc autem tunc adimplemus, cum fide certissima quicquid sancta tenet Ecclesia complectimur; & cuncta, quæ vel animo volumus, vel opere exequimur, ad ipsius Dei honorem & gloriam dirigimus. Quapropter si Deum opt. max. & intellectu & concupiscentis facultatis appetitu, & voluntate ratione prædita amauerimus, tunc ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligemus. Quod hac etiam ratione satis apertè comprobare libet; arbitror vos auditores, meminisse, in templo Salomonis tanquam cæterorum omnium præstantissima tria extitisse, quæ sunt altare aureum, mensa aurea, candelabrum aureum, puritas enim auri in candelabro, purum cordis affectum in meditatione mysticè designat; puritas auri in altari, animum in dilectione perfectum præmonstrat, & puritas auri in mensa in sacrarum scripturarum lectione sanam mentem indicat, ita vt nihil terrenum exoptet cordis meditatio, nihil carnale quærat animi dilectio, nihilve hæreticum doceat mentis lectio; & quoniam in altari accendebantur thymiamata, in mensa ponebantur panes, & in cādelabro accensa lucerna ardebat, hinc corde quærimus Deum, animo cognoscimus, & mente gustamus. O fœlicissimæ terque quaterque beatissimæ illæ iustorum animæ, quæ ante iacta mundi

funda-

fundamenta à Deo optimo maximo in vnigenito filio suo prædestinatę, & in hoc mundo ipsius diuinæ gratiæ præuenientis oleo delibutæ atque excitatæ ad eum se conuerterunt; & reliquis omnibus posthabitis, ipsum vnum dilexerunt; vt in æternitate prædestinatæ, & in tempore sine vllo personarum discrimine variis modis uocatæ ex gratia gratum facicnte, in terris iustificentur, & in Cœlo perpetua gloria perfruantur; At væ illis qui huius mundi illecebris allecti Deum summum bonum, summèque pulchrum derelinquunt, & hoc bonum sensile apparensque pulchrum, quod sicut fœnum Solis ardore percussum arescit, amplectentes; non animaduertunt mundum perire, eiusque transire concupiscentiam. Duo etenim sunt, vt optimè docet Augustinus in libro de substantia dilectionis cap. primo, duo inquam sunt amores, ceu duo riui ex eodem fonte dilectionis manantes, alter est mundi cupiditas, alter vèrò est Charitas Dei, modo cor hominis est medium, vnde fons dilectionis in duos riuos, hoc est, in duos amores erumpit; cum igitur cor hominis per appetitum ad exteriora decurrit, cupiditas dicit; cū verò ad interiora per rationis voluntatem se dirigit, Charitas appellatur; Vetulæ igitur animæ amoris cupiditate accensæ exteriorum ac terrenorum rerum desiderio flagrant; at adolescentulæ amoris charitate ardentes ad interiora atque cœlestia toto corde anhelant. Quare hæ nobis adolescentulæ sint in exemplum, quæ noui hominis imagine decoratæ solertium instar amantum per rerum corporearum figuras, quasi per quędam Dei vestigia ad solidum illud infinitumque pulchrum, & bonum gradiuntur, & cuncta terrena negligentes in Dei amorem altius eleuantur; *Ideo adolescentulæ dilexerunt te.*

LECTIO XXVII.

Trahe me post te.

ROGAVERAT Sponsa Christi Ecclesia æternum sponsi patrem Deum optimum maximum, vt per legatos & internuncios non amplius eam alloqueretur; at ipse in sui filii persona descenderet, ipse coràm loqueretur, ipse oris sui osculo eam oscularetur, Cum *Quia meliora sunt vbera eius vino, fragrantia vngentis optimis:* tum quia *ipsius nomen oleum est effusum,* cuius odore suauissimo adolescentulæ excitatæ dilexerunt illum, & hoc vt superius dicebamus, primum erat postulatum ex illis septem, quorum in hoc primo Cantico peculiari se uoti compotem fieri à Deo sponsę implorat; hic verò secundam ipsius postulationem habemus, qua spon-

ſponſum Chriſtum iamiam hominem factum exorat, vt eam manū apprehenſam poſt ſe trahat, vt vnà cum iuuenculis in ipſius vnguentorum odorem celerrimè currat; audite, *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum;* Verum quoniam ſponſa dum ſponſi patrem rogat, vt oſculo oris ſui illam oſculari velit, dumque vbera ſponſi, nomenque celebrat, ſola extitit in ſcena, & ſola fuit Iudæorum Synagoga, necdum adoleſcentulæ aderant; hinc eſt, vt nulla in primo ſponſæ poſtulato, facta ſit dramatis mutatio; at hic in mediis ſecundæ poſtulationis precibus dum ſponſa inquit, *Trahe me poſt te*, cum non ſolum Iudæorum ſit Eccleſia, vt vult Iacobus Valentinus, & Diuus Bernardus, nec ſolum ſit gentium in Chriſto facta vino, vt placet Diuo Thoma & Haymoni, ſed omnium Chriſti fidelium, tam Iudæorum quam Gentium congregatio ſponſum Chriſtum iam hominem factum compellet, vt innuere videtur Origenes & Diuus Hieronymus prima homilia ſuper Cantic. & Hugo Cardinalis ibidem in ſuis comment. ca. primo. Cumque ingrediatur adoleſcentularum chorus, qui reſpondet & ait, *Curremus in odorem vnguentorum tuorum*; hinc profectò eſt, vt dramatis ordo mutetur, & noua efficiatur ſcena; cum fiat aliqua mutatio perſonarum; ita inquit antiquus Origenes, *Quando ſponſa ſponſi patrem rogabat, & ad ipſum ſponſum loquebatur, nondum adoleſcentulæ aderant, in medijs verò precibus ingreditur iuuencularum chorus, quæ reſpondent, Curremus in odorem vnguentorum tuorum*; ita inquit Hugo Cardinalis, *Hucuſque nox expectantium incarnationem Saluatoris, & dona ipſius, fuit, hic vero ſubinfertur, nox illorum, qui poſt incarnationem ad fidem Chriſti venerunt; illa, vt ſponſus veniret, & oſculū afferre rogabat; hæc autem, non illum ad ſe deſcendere, at ſe poſt eum ad cœlum aſcendere cupit, & quoniam ſe ex ſeipſa hoc non poſſe conſequi cognoſcit, auxilium eius implorat, dicens. Trahe me poſt te.* Ita etiam inquit Diuus Thomas, cui aſſentitur doctus Haymon, & cæteris manifeſtius, uimirum, *Hic eſt permutatio perſonarum, nam hactenus loquuta eſt Synagoga, hic incipit loqui Eccleſia Gentium;* Niſi dicamus & ſanè perdoctè vnà cum Gilber. Genebrar. tàm in precioribus, quàm in poſterioribus verbis ſponſam tantum alloqui ſponſum, ita ut ſenſus huiuſmodi ſit, ò ſponſe *Trahe me poſt te;* & tunc *Curremus* tu & ego *in odorem unguentorum tuorum;* hoc eſt ò Chriſte trahe me eccleſiam poſt te, tua gratia præueniente, & tunc ipſa mecum & meæ uoluntatis aſſenſus curremus in odorem tuæ gratiæ iuſtificantis, quia non ego ſola curram, at gratia Dei mecum, ideo enim æſtimatio numeri facta eſt, alioqui dicendum fuerat *Curram poſt te*, Sed uideamus quòd nam ſit hoc ſecundum ſponſæ poſtulatum, dicit enim ſponſum ſuum Chriſtum iamiam hominem factum compellans, *Trahe me poſt te.* Ac ſi dicat

cat conscia equidem sum imbecillitatis meæ, mearum agnosco humilitatem adolescentularum, me, measque socias longè impares sequi te sponsum, optimè censeo, quippe quæ non sumus vllo pacto sufficientes cogitare aliquid boni, ne dum dicere, aut facere ex nobis, quasi ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est; te igitur rogo ô mi carissime sponse atque obsecro, vt quæ tua est humanitas, manu porrecta me propter has adolescentulas adhuc tenellas, & imbecilles tecum trahas, vt tuis suffulta viribus, post te cum ipsis in odorem vnguentorum tuorum currere queam. Ita interpretatur hæc verba D. Bernardus serm. 21. *Trahe me post te, quoniam quãtumuis magnæ perfectionis anima, quàm diù gemit sub corpore mortis huius, & huius sęculi carcere retinetur inclusa, vincla necessitatibus, & torta sceleribus, segnius insurgit ad contemplanda sublimia, nec omnino liberum habet sequi sponsum, quocunque ierit*; hinc lachrymosa vox illa Diui Pauli Rom. cap. 7. gementis & dicentis, *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*? Ita explicat Diuus Gregorius inquiens, *Non currit qui non trahitur, nam quem diuina Gratia nón adiuuat, molestia suæ corruptionis grauatur, gratia quippe diuina nos præuenit, & internarum rerum dulcedinem nobis ostendens, de exterioribus nos compungit*; Ita quoque interpretatur Hugo Cardinalis cum ait, *Trahe me post te, hoc est, veni fer opem corpori, & carni; ut licet caro repugnet, tamen mentis desiderio sequar te, seu trahe me torpentem, vt reddas currentem, curremus enim ego & adolescentulæ non in nostrorum fiducia meritorum, nec in magnitudine virium nostrarum, sed in odorem vnguentorum tuorum, idest in multitudine miserationum tuarum, quia non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, vt ait Apostolus Rom. cap. 5. ita demum interpretantur Diuus Thomas, & Haymon, *Loquitur Ecclesia Gentium & ait, ò sponse meam infirmitatem agnosco, & video me nihil boni meis viribus agere posse, tua gratia trahe me ad tui imitationem; vel etiam cum cęlum ascenderis trahe me post te*, & sanè auditores à nullo alio se trahi petere debebat sponsa, nisi à sponso Christo, qui Ioan. ca. 15. dicit: *Sine me nihil potestis facere*, ac si dicat, tu ipse Diuus Ioan. c. 6. dixisti, *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum*, at quos Pater trahit, trahis & tu, cum opera quæ pater extra seipsum facit, hæc & filius pariter faciat; Tu igitur trahe me post te, & quid mirum, si sponsa quæ Iudæorum est ac Gentium vnio, se trahi post Christum ita anxiè precatur? nam post Gigantem sibi currendum est, qui salit in montibus, & transilit colles, quem nullus suis viribus comprehendere potest, cum quo nullus ex ęquo currere, nullus celeritate contendere valet, fessa igitur sum inquit sponsa, deficio in via, noli me deserere, sed *Trahe me post te*, ne post alios amatores quasi in incertum currens, vagari incipiam,

nam & carnis illecebræ, & mundi lenocinia, & Dæmonis blādimenta mihi sese opponunt, meque à cursu retrahunt; Verum antiquissimus Origenes etsi non parum à Diui Bernardi & D. Thom. & Hugonis Cardinalis explicatione discrepet, alio tamen modo huiusmodi verba exponit, vult enim sponsam, quæ est Christi fidelium perfectorum vnio, hoc solum dicere, trahe me, & adolescentulas, quas pro Christi fidelibus incipientibus, atque proficientibus interpretatur, mox subiungere putat, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum Audite ipsiusmet Origenis verba. *Adolescentulæ respondent, post te in odorem unguentorum tuorum curremus, quippe quæ nondum sponsæ fiduciam habeant, sponsa enim non post tergum sponsi, sed ipsius lateri iuncta incedit, & apprehendit dexteram sponsi, at famulæ post ipsum sponsum in odorem vnguentorum eius currentes gradiuntur.* Veruntamen quodcunque sit, illud profectò verissimum est, nullum hominem quicunque ille sit, aut incipiens, & proficiens, aut etiam perfectus, ad Christum sine Christo peruenire posse: nam oportet vt Christi viribus suffulti; & post ipsius tergum currentes abnegemus nosmetipsos, tollamus Crucem, ipsumque sequamur, si ad ipsum in cœlum peruenire desideremus, quippe qui Diui Lucæ capi. 9. ita nos admonet; *Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, quod sponsa Dei Ecclesia animaduertens sponsi auxilium precatur & ait, *Trahe me post te*, scio enim me nequaquam posse peruenire ad te, nisi gradiendo post te. At dicetis auditores, & quæ caussa est, vt se solam & non adolescentulas à sponso trahi sponsa exposcat? cur non trahe nos, sed trahe me dixit? sola fortasse trahi cupit, & hanc adolescentulis fœlicitatem inuidet? sola indiget trahi, quę perfecta est, & adolescentulæ sunt, quę aut incipientes, aut in Christi fide paulatim proficientes à sponso trahi non indigent? Audite quid respondendum sit, non inuidet sponsa suis hoc bonum adolescentulis, neq; enim sola post sponsum ire desiderasset in eius vnguentorum odorem, nec ipsas quoque adolescentulas cursuras protinus subiunxisset, neque sola indiget trahi, cum non ignoret nos nihil posse cogitare, nè dum currere ex nobis, quasi ex nobis, quin omnem nostram sufficientiam ex Deo esse; Verum sui tantum meminit, quia charitas hoc postulabat, trahimur enim afflictionibus, & currimus voluptatibus illecti, trahimur flagellis, sed currimus consolationum blanditiis deliniti, trahimur denique persequutionibus concitati, sed currimus beneficiis affecti; Quod igitur austerum est, atque durum, sibi tanquam forti, atque perfectæ retinet dicens *Trahe me post me*, quod verò dulce ac suaue, puellis etiam tanquam delicatis, & imbecillibus communicat, & inquit, *Curremus omnes in odorem unguentorum tuorum.* Ac si dicat noui ò mi carissime sponse, noui adole-

adolescentulas adhuc esse tenellas, & minus idoneas acerbas afflictiones sufferre,& ob id mecum vt currant promitto,sed non vt mecum trahantur exposco, illas enim consolationis, non autem laboris socias esse volo,quare?quoniam infirmæ sunt,& vereor ne deficiant, neue succumbant;Me igitur ò sponse corripe,me exerce,me tenta, me trahe post te, quoniam ego in flagella parata sum,mox verò simul omnes certatim curremus in odorem vnguentorum tuorum; ita interpretantur hæc verba Diuus Bernardus & Hugo Cardinalis aientes. *Socias consolationis adolescentulas habere uoluit sponsa non laboris, quod fecit & Christus sponsus,qui solus ad Passionem venit,solus ad Inferos descendit, sed cum multo comitatu in cælum gloriosus ascendit:* Nonnulli verò iuniores interpretes ita exponunt,sponsam se solam trahi à sponso hic postulare,quod agnoscat,se tanquam Ducem chori,maiori & fidei & spiritus Christi afflatu indigere, vt suum ipsa cursum peragere, & suas asseclas impeditas adhùc imbecilles & tardas ad Euangelicum cursum agiles reddere possit; hoc enim vt D.Dionysius in lib. de cœlesti hierar.asseuerat,ecclesiasticæ hierarchiæ functionis est summa,vt minores à maioribus,& inferiores à superioribus ignorantiæ vitio primum purgentur, mox illustrentur,demum perficiantur,quem etiam progressum Christus Dominus noster in populo Christiano obseruari voluit, qui Apostolos suos per seipsum, reliquum verò populum per Apostolos, aut temporis successu per Apostolicos viros fidei doctrinæque Euangelicę lumine purgauit, illustrauit,perfecit.Cum igitur in sancta Dei Ecclesia viri Perfecti quorum hæc vox est, *Trahe me post te*, tanquam firmiores infirmorum imbecillitatem sustinere debeant, & nè longo cursu à Dei gratia deficiant satagere,ob hanc caussam sponsa Christi,quæ est perfectorum Christi fidelium vnio,se solam post tergum sponsi trahi expostulat,vt deinde adolescentulas infirmas paulatim post se trahere, & vnà cum illis currere queat,in eius vnguentorum odorem; Huic verò Iuniorum interpretum explicationi fauere videtur id quod D. Hieronymus ait homilia 1.super Cantic. *Quod verò etiam sponsa cum adolescentulis post ipsum sponsum se cursuram dicit,hanc puto esse caussam, quòd Perfecti quique omnia omnibus fiant,vt omnes lucrifaciant*: Sed audite quàmpulchrè loquatur sponsa,quæ non petit se trahi ad sponsum,quod est sponso frui, illiusque voluptatis torrente in cœlesti paradiso inebriari, ut ipsemet Christus D. Matth.cap.11.aiebat; *Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos*;at postulat se trahi post sponsum, quod est afflictionum,& angustiarum crucem tollere,& Christum sequi,conuersationis eius & vitæ normam tenere,morumque apprehendere disciplinam, iuxta illud D.Lucæ cap.4.*Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, &*

tollat

tollat crucem suam, & sequatur me; Hinc sermone 21. super Cantic. Diuus Bernardus aiebat, *Quam pauci sunt ô Domine Iesu qui post te uenire uelint, cum tamen nemo sit, qui ad te peruenire nolit, hoc scientibus cunctis quia delectationes sunt in dextera tua usque in finem, & propterea uolunt omnes te frui, at non ita & te imitari, conregnare sane cupiunt, sed non compati; corona gloriæ præcingi, sed non legitimè decertare*; nescientes miseri id quod ait Apostolus cap. 6. posterioris epist. ad Thimotheum ratum ac firmum esse, nimirum, *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Quamobrem non ad sponsum, sed post sponsum se trahi desiderat spōsa Dei Ecclesia, vt in eius vnguentorum odorem vnà cum suis puellis celerrimè currat, *Trahe me post te, curremus* &c. Illud certè dubium est, cuiusnam sint illa verba; *Curremus in odorem*, &c. an sponsæ tantum, an, potius Adolescentularum, quæ postquam sponsa, vt eam post se traheret, spōsum rogauit, statim subdiderint, *Curremus & nos in odorem*, &c. Diuus Bernardus & Hugo Cardinalis existimant sponsam Ecclesiam vnà cum puellis suis in odorem unguentorum Christi se cursuram promittere, sicuti ipsamet etiam à sponso Christo se trahi petierat, inquiunt enim, Ecclesiam cum Adolescentulis illud polliceri, quod cum vetulis suis Synagoga non ausa fuit promittere, quippe quę non vnguentorum odorem, sed flagellorum duritiam senserant, neque enim Moses gratiarum vnguenta attulit, vt Synagogæ vetulas vngeret, & attraheret, at Præceptorum ferrum & ignem vt eas vreret, & secaret, Christus verò cum suis vnguentis venit, quæ sunt Spiritus Sancti dona, vt Sponsam Ecclesiam cum Adolescentulis vngeret, & post se traheret; Origenes verò & Diuus Hieronymus Adolescentulas tantum loqui putant, sponsoque promittere se cursuras post ipsius tergum in eius vnguentorum odorem, illius enim mirifica suauitate commotæ haud sistere possunt, sed citato cursu properant inquientes, *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, hoc est in Spiritus Sancti donorū dulcedinem, nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia; seu in multitudinem miserationum tuarum non in nostrorum fiduciam meritorum, ita interpretatur Diuus Bernardus Sermone 22. seu in imitationem bonorum operum tuorum, quę veluti vnguenta redolent, vel in tuorum considerationem miraculorum, quæ infirmos vt vnguenta sanant, vel in famam nominis tui, quod est oleum effusum, vel in fidem & spem diuinæ gloriæ, quæ super omnia vnguenta redolet, vel in doctrinam præceptorum Euangelicorum: ita exponit Hugo Cardinalis in hoc loco, seu tandem in odorem tuæ sanctæ conuersationis, tuę vitæ, doctrinæ, & sanctitatis, ita explicat Iacobus Valentinus ibidem; quæ sanè omnes patrum et Doctorum interpretationes bonæ sunt, et cum re ipsa de qua nunc agitur maximè quadrant,

etenim

etenim Christi vnguentorum odor suauissimus; idest sacramentorum, gratiarum, donorum, & Euangelicæ doctrinæ odor in totum terrarum orbem per quatuor sanctorum Euangelistarum riuos diffusus, ipsius sponsæ adolescentulas, quæ sunt animæ iustorum, alliciebat, trahebat, arripiebat, ita vt tanti odoris suauitate repletæ, à quatuor Mundi Partibus properarent ad sponsum Iesum Christum Dominum nostrum; illius instar Reginæ Austri, quæ optimæ opinionis odore excitata, à finibus terræ Salomonis sapientiam audire festinauit; ita cucurrit Maria Magdalena in Ciuitate Peccatrix, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum; Ita cucurrit Nicodemus vir sanctus qui nocte venit ad Iesum; Ita cucurrit Zachæus, qui gaudens excepit Iesum in domum suam; ita cucurrit Apostolus Petrus, qui lapsus, fleuit amare, & amissam Dei gratiam recuperauit; Ita deniq; cucurrerunt Apostoli omnes, qui aiebant, *Ecce nos reliquimus omnia & sequuti sumus te;* Curramus igitur & nos in Christi vnguentorum odorem suauissimum, qui non spernit pauperem, & peccatorem non abhorret; curramus inquam læti cum sponsa eiusque adolescentulis, inquientes; *Trahe nos;* Domine Iesu, *post te, & nos curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

LECTIO XXVIII.

Trahe me post te.



CVM Diuinæ prouidentiæ erga electos quatuor gradus reperiantur, vt scilicet ab æternitate (vt ita dicam) prædestinentur, mox verò in tempore vocentur, deinde iustificentur, & demum in cœlo glorificentur, iuxta illud Apostolicum dictum Rom.cap.8. *Quos præsciuit Deus & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, & quos iustificauit, illos & glorificauit.* Cumq; horum duo priores ordines prædestinatio nempe & vocatio, omnem præcedant liberi nostri arbitrii motionem, reliqui verò duo posteriores, vt iustificatio, & glorificatio, humanæ voluntatis assensum sequantur; non est profectò existimandum, quod sponsa Christi Ecclesia dum post sui sponsi tergum illius manu apprehensam se trahi desiderat vt in eius vnguentorum odorem vna cum adolescentulis currat, expostulat prædestinari, aut vocari, sed iustificari potius, atque glorificari; Ratio verò


hæc est; quoniam nullus hominum est, aut ex Iudæis, aut ex Gentibus, nec vnquam fuit, aut erit, etiam infidelis, & ethnicus, qui absque vllo propriæ voluntatis assensu, aut motione, a Deo Opt. max. non trahatur per æternam prædestinationem, aut per temporariam vocationem, quãdoquidem prædestinamur omnes, antequàm creemur, & simus; Vocamur autem antequàm vllo pacto ad Deum conuertamur, imò verò cũ diuinæ gratiæ oleum in electorum corda iàmiàm effusum fuisse dictum sit, cuius suauitate adolescentulæ, quæ sunt animæ iustæ, allectæ, sponsum Christum summopere dilexerunt; putandum omnino est, ipsam Christi sponsam Ecclesiam, dum inquit, *Trahe me post te;* non exposcere se trahi per iustificationem, etenim nullus est, qui Dei gratia excitatus ipsum supernaturali amore diligere posit, nisi vir iustus, & sponsa cum suis adolescentulis iàm diligebat Deũ, iusta igitur erat, non ergo iustificari petebat, sed collatam gratiã augeri, & in bonis operibus perseuerantiam sibi condonari, vt tandem in cœlo glorificari posset, quamobrem sponsa in his verbis non expostulat trahi, hoc est prædestinari aut vocari, aut iustificari, sed ab æternitate prædestinata antequàm esset, in tempore verò vocata, & iustificata, tum ex Dei gratiæ oleo iàm effuso, tum ex proprię voluntatis assensu, sanctæque dilectionis operibus collatæ in se gratiæ incrementum & æternæ fœlicitatis adeptionem exposcit; nam vt ait D. Augustinus in libro de Prædestinatione, & gratia, cap. 10. *Vt acquiescamus diuinæ inspirationi, nostræ potestatis est, vt verò adipiscamur quod acquirendum cognoscimus, diuini muneris est;* & ob id Ecclesia sponsa à sponso Christo auxilium petit, & inquit; *Trahe me, &c.* etenim sicut Deus Opt. Max. sibi ipsi principium est atque finis, quippe qui sphæra est intellectilis cuius centrum est vbique, & circumferentia nusquam, ita omnes creaturæ, quæ ipsius Dei gerunt vestigium, in eundem à quo fluxerunt redire satagunt, ipsorum fluminum instar, quæ vt iterum fluuant ad locum vnde exierunt reuertuntur, quod animaduertens Prophéta Salomon in libro Eccle. capit. 13. & de homine præsertim verba faciens aiebat; *Reuertitur puluis in terram suã vnde erat, & spiritus redit ad Deum qui fecit illum;* & sanè si omnes lineæ a circuli centro in eius circumferentiam exeuntes ab hac iterum in centrum redeunt, nonne & creaturæ omnes potissimum verò quæ rationis participes sunt, ab illius supremæ atq; intelligibilis sphæræ, centro, in huius mundi circumferentiam emanantes, nonne inquam in idem centrum tanquam in earum proprium finem redire debent? non tanscendunt lineæ ipsius sphæræ limites, nec creaturæ illius diuinæ sphæræ terminos excedunt, sed ab ipsa sunt, in ipsa manent, & in ipsam tendunt vt scribit Apostolus ad Rom. cap. 11. cum inquit; *Ex quo omnia per quẽ*

omnia, in quo omnia; et ob hanc causam auditores, Mercurium Trismegistum morientem dixisse arbitror, *Hactenus fili mi pulsus à Patria peregrinus vixi, & exul, nunc incolumis patriam repeto;* Vario tamen curriculo, variæ creaturæ in Deum vehuntur, quæ enim motione libera carent, nullum sanè alium ascendunt curriculum, nisi instinctum quem sibi à natura insitum naturalem vocant, & quæ rationis, & libertatis munere donatæ sunt, hæ propriæ ac liberæ voluntatis currum ascendunt, iuxta illud D. Augu. dictum. *Amor meus pondus meum, illuc feror vbi amo;* Verum quoniam animalis homo ex propriæ naturæ viribus non percipit ea quæ Dei sunt, at horum apparentium bonorum lenociniis illectus semper trahitur ad ima, neq; in Deum redit, hinc profectò est vt sponsa ecclesia diuino se egere fauore cognoscens, quo suæ liberæ voluntatis curriculum ascendens vehatur in Deum, sicut sponsum Christum exorat, vt eam manu apprehensam post se trahat, ne variis Dæmonis blandimentis illecta, post ipsum currere negligat; quanquam enim humana mens naturali appetitu vehatur in Deum, eoque frui summopere cupiat, quemadmodum non solum Pythagoras asseuerauit dicens; *Ad æthera aspirat anima, nata quondam in æthere;* præcipuè verò si viuendi & agitandi habitum & æthereis mentibus similem mentem coeperit, sed D. etiam Augustinus in 15. lib. de Trinitate confirmauit inquiens, *Ad appetendam beatitudinem natura compellit, cui summè bonus & immutabilis creator hoc indidit,* & alibi, *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te;* Veruntamen vt re ipsa tale tantumque bonum adipiscitur homo, non propria virtute ducitur, at diuina trahitur actione, cum naturæ vis ad huiusmodi finem supernaturalem hominem deducere nequeat, quippe qui cuiuslibet creaturæ virtutem excedit, ita inquit Dominus noster apud D. Ioan. c. 6. *Nemo venit ad me, nisi pater meus, qui misit me traxerit illum;* & cap. 14. *Nemo venit ad patrem nisi per me;* Nam sicuti grauia alta loca non petunt nisi ab altiori agente ac fortiori vi eleuentur, ita (vt ait Boetius 5. libro de consolatione metro tertio. *Mens cæcis obruta membris, nequit oppressi luminis igne, rerum tenues noscere nexus, & incolæ terræ cælestes non scandunt gradus, nisi Pater cælestis traxerit illos;* etsi quandoque delectat vna cum priscis confabulari, apud Platonem in Phædro me legisse memini, liberam hominis voluntatem esse veluti currum, qui à duobus equis trahitur, quorum alter albus est, blandus, & facilis, alter verò niger, ferox, & indomitus, ita vt si liberæ nostræ voluntatis currus equo albo, & blando, idest appetitu rationali se trahi permittat, in cœlum ducatur; si vero nigro, & indomito equo vehatur, hoc est appetitu irrationali, præceps feratur ad inferos; neque me latet sicuti multi ex Platonicis humanum putant animum tribus vti vehiculis, primo quidem imma-

teriali, & simplici, idest cœlesti, medio materiali, & simplici, idest aereo, & postremo materiali & cōposito, idest ex quatuor elementis conflato, ita tres quoq; animos, seu potius tres vnius animi portiones in homine esse, diuinam. s. quæ est suprema, animalem vt aiunt, seu sentientem quæ est infima, & rationalem quæ est media, de suprema, quæ à Mercurio Trismegisto, & à Platone mens, ab Aristotele intellectus agens, à Dauide Propheta lumen diuinum, & à Diuo Augustino animi portio superior appellatur, aiebat Moses Genes. capite secundo. *Et spirauit in eum spiraculum vitæ*; de infima quæ sentiens est, carni ac mundo imò verò vitiis omnibus dedita, idem Moses inquiebat, *Posuit eum in animam viuentem*; & tandem de media, quæ rationis particeps est, & verè ipsius hominis anima nuncupatur, ipsemet Moses dicebat ibidem; *Fecit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam*; Cum igitur res ita se habeat, nullum certe sequetur incommodum, si hanc hominis portionem, quæ inter supremam, & infimam, seu inter diuinam, & sentientem media residet, Platonis currum illis duobus bus equis ductum esse dicamus, quandoquidem si animi rationis compotis currus superiori, & diuina portione agatur, nonne quasi equo candido, & blando tractus ad Deum conscendet? Si verò infima ac sentiente animi parte trahatur, nonne quasi equo nigro, & indomito raptatus præcipiti cursu ad inferos descendet? inimici profectò sunt sibiq; ue inuicem infensi hi duo equi, & semper alter sursum ducere currum, alter verò deorsum illum præcipitem ferre satagunt, *Caro enim*; inquit Apostolus, Galat. capite quinto, *concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*; at equus albus est spiritus, niger autem est caro, hæc verò post commuuem hominis lapsum militat aduersus animam, ille aũtem pro anima pugnat, hæc allicit ad malum, ille suadet bonum, hæc ad huius mundi voluptates titillat, ille ad superna cęli gaudia nos inuitat, hæc demum ad Dęmonem trahit, ille verò nos ducit ad Christum. Equo igitur blando & albo non atro & indomito, hoc est suprema non infima parte, seu mente, non sensu, spiritu, non carne, animæ currum trahi post Christum ecclesia sponsa expostulat dicens; *Trahe me post te*; Dicam etiam auditores; & omni reuerentia dicam, hos duos equos, tamdiu, & accerrimè inter se pugnantes, esse Christum, & Dæmonem, nam à dextris ipsius currus, est Christus candidus equus, & sapiens, à sinistris autem est Dæmon equus ater, & effrænatus, ambo liberæ hominis voluntatis currum certatim post se trahere student, ambo variis titillationum funiculis nos rapere festinant, ambo maximis deliciarum blandimentis animum humanum attrahere satagunt; ambo deniq; ar-
ctissimis

ctissimis amoris sui vinculis hominem astrictum ad se deducere laborant; Tres autem potissimum sunt dæmonis funiculi, quibus animi ratione præditi currum quotidie post se trahit; superbia nimirum, auiditas, & libido. Ita inquit Apostolus Ioan. Episto. 1. capit. secundo: *Omne quod est in Mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia uitæ*; Superbia traxit Adamum, auiditate Iudam, libidine seipsum, hinc seipsum, è cœlo empyreo, Iudam ex ecclesia Dei; Adamum de terrestri Paradiso eiecit; nunc quoque cum Ciuis aliquis in Republica miles in prælio, & vir Religiosus in Ecclesia Dei magistratus, Imperia, & dignitates affectant, non iustitiæ administrandæ, non seruandæ pacis, non Christi fidei amplificandæ gratia, sed inani huius Mundi gloria ducti, hi profectò superbiæ funiculo propriæ voluntatis currum à Dæmone trahi permittunt; Cum mercator aut quiuis alius homo negociatur huius Mundi diuitias, hoc est domos, fundos, gemmas, aurum, & argentum expetit, & cumulat, non ad vsus vitæ necessarios, sed ad carnis voluptates perfruendas, non Christi pauperibus, quæ illis necessaria sunt subministrandi gratia, at solius auaritię, ac rapacitatis ardore accensus is certè auiditatis funiculo animi sui currum à Sathana raptari concedit. Cum demum impuri iuuenes, aut insanę adolescentulę humani corporis pulchritudinem amant, non tanquàm Dei Optimi Maximi opus casta dilectione, sed tanquam blandæ voluptatis illecebram nefaria luxuriæ turpitudine, hi quidem libidinis funiculo liberi sui arbitrii currum trahi assentiuntur; ò miserum currum; ò miseram traiectionem; ò miseros & semper infœlices eos qui ab hoc atro atque effrænato dœmonis equo ad inferos trahuntur. At ò beatum currum; ò beatam traiectionem, ô beatos terque quaterque beatos illos, qui à candido equo & sapiente, hoc est à Christo in cœlum ducuntur, quippe qui etsi centum, ac mille modis nos omnes post se trahere satagit, potissimum tamen duobus modis nos trahit, vt ipsemet per Oseam Prophetam capite secundo inquit; *Traham te in funiculis hominum, in vinculis charitatis*; Sicuti enim Christus verus Deus est, & verus homo, Deus ex substantia patris ante sæcula genitus, vt inquit D. Athanasius in symbolo, & homo ex substātia matris in sæculo natus; ita & funiculi hominum quibus nos trahit charitas ad eius humanitatem spectant, & charitatis vincula ad eius pertinent diuinitatem; Etenim Deus Optimus Maximus traxit nos per Christum vnigenitum filium suum, tum funiculis humanitatis illius, hoc est illius pręsentia, doctrinæ copia, vitæ exemplo, miraculorumque excellentia, tum etiam diuinitatis vinculis, hoc est gratiarum infusione, & Spiritus sancti donis, seu trahit nos Deus funiculis hominum, nimi-


rum externis hominum vocibus, seu Prophetarum, aut Apostolorum, & vinculis charitatis, tiempe internis, aut angelicæ custodiæ, aut superne diuinæ inspirationis acclamationibus, iuxta illud Apocal. capite tertio; *Ego sto ad ostium*; scilicet cordis hominum, *& pulso;* seu trahit nos Deus funiculis hominum, timore videlicet, comminatione, atque flagellis, & vinculis charitatis, amore scilicet, pietate, ac beneficiis. Quamobrem aut per seipsum, aut per suos ministros, aut beneficiis, aut afflictionibus nos attrahit Deus Optim. Max. vt in odorem vnguentorum suorum curramus: per seipsum traxit Abraham cui dixit Gene. cap. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi;* Necnon per seipsum traxit Apostolos Sanctos, potissimum verò Petrum & Andream, Iacobum, & Ioannem: quibus dixit D. Matth. cap. 4. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*; Per suos autem Ministros siue Angeli sint, siue homines, traxit Loth de Ciuitate Gomorreorum, & populum Israeliticum de Aegypto. Rursus beneficiis traxit Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & Dauid, quos tot honorum priuilegiis, tantaque diuitiarum copia exornare cumulareque uoluit. Et demum afflictionibus traxit Deus D. Iob, Mosem, Saulem, qui deinde fuit Apostolus Paulus, & alios quàmplurimos, quos variis cruciatibus afflixit; Veruntamen charitatis potius vinculis, quàm funiculis hominum trahit nos clementissimus Deus, hoc est beneficiis potius, quàm flagellis, amore potius quàm timore, leniendo potius quàm terrendo, sponsa igitur ecclesia post Christum sponsum illius manu apprehensam se trahi expostulat, vt in eius vnguentorum beneficiorum scilicet diuinarumq; gratiarum odorem, vnà cum suis adolescentulis currat, & ait, *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*. ac si dicat ò mi sponse, tu qui blandus equus es ac sapiens, tu meæ voluntatis currum post te trahas; ne meus aduersarius Diabolus, qui est equus indomitus & effrænatus, me rapiat de manu tua; nam propriæ molis pondere grauata, dum in cœlum vnde exiui remigrare studeo, semper ad ima trahor, & diuino mihi opus est auxilio, quo humo me tollere possim, & in cœlum conscendere; & de his hactenus.



LECTIO

LECTIO XXIX.

Trahe me post te, Curremus in odorem: Unguentorum tuorum.




NE homines improbi ac nefarii hæc sponsæ Christi Ecclesiæ verba; *Trahe me post te*; scelestè caperent, illud trahi existimantes, quod violentia rapitur, illico Propheta Salomon Spiritus sancti radio illustratus subiunxit; *Curremus in odorem unguentorum tuorum*; vt non vi, sed sponte, post Christi tergum, vna cum suis adolescentulis, quæ sunt excipientium animæ iustæ, Ecclesia sponsa se currere velle ostenderet; abutuntur sanè Manichæi, & impiè abutuntur Iesu Christi Domini nostri auctoritate apud D. Ioannem cap. 6. inquientis; *Nemo potest uenire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum*; putant enim liberum hominis arbitrium negantes, illum trahi qui non sponte ducitur, sed vi rapitur, verum quàm toto cœlo aberrent hinc facilè colligi potest: nam præterquàm quod apud Ethnicos quoque scriptores huiusmodi verbum non semper violentiam designat, cum qui vehementi appetitu in aliquam rem ducuntur ad ipsam trahi dicantur, tum iuxta illud Poeticum dictum quod D. Augustinus in tract. 26. super D. Ioannem vsurpat, nimirum; *Trahit sua quemque voluptas*; Tum iuxta illud Ciceronianum in oratione pro Archia Poeta; *Trahimur omnes laudis studio, & quisque maximè gloria ducitur*; in scripturis etiam sanctis cum peccatores, aut ad fidem, aut ad scelerum pœnitentiam peragendam, tàm sæpè, & tàm blandè inuitentur, qui fieri potest, vt vi, aut necessitate trahantur? qui enim violentia trahitur, non est vt venire admoneatur, at peccatores hortantur, alliciuntur, ducuntur, non ego trahuntur, non raptantur, non impelluntur; vt plurimum tamen huiusmodi vocibus doctores sancti vti solent, vt diuinæ vocis & gratiæ præuenientis efficacitatem demonstrēt, quippe quæ homines abstrusis vitiorum laberinthis implicitos, & variis huius Mundi blandimentis allectos protinus excitat, eosque dissoluens, ac distrahens mirabili sanè modo ad Deum conuertit, vt iis omnibus rebus, quibus maximè diuque delectati fuerant, omnino neglectis, Christum toto corde sequantur; neque enim diuina hæc tractio, vt ita dicā, aut impulsio vim aliquam, aut necessitatem hominibus infert, sed vt spontè libenterque ad Christum accedant illos hortatur, & allicit, Ita volunt D. Ioan. Chrisost. in Hom. 45. D. Augustinus in tract. 26. super D. Ioan. & nonnulli Recentiorum in suis Comment. super D. Ioan.

cap.6. Quod quàm verum sit ex hisce Ecclesiæ sponsæ verbis manifestè colligimus, etenim dum dicit, *Trahe me post te;* Diuinæ gratiæ auxiliū, quod primo requiritur, præmonstrat; Cum verò puellæ subinferunt; *Curremus in odorem, &c.* Liberæ hominum voluntatis assensum, qui secundo loco expostulatur, significant. Quamobrem duæ in his verbis conscleratorū hominum hæreses refelluntur: Manichæorum una, altera verò Pelagianorum: illi enim omnem in homine libertatem, tum gloriæ, & gratiæ, quod verum & catholicum est, tum naturæ quod falsum est, & hæreticum post commune Adæ peccatum amissam fuisse impiè existimantes, Dei gratiam ita extollunt, vt hanc solam satis esse asseuerent, vt in bonis operibus meritoriè exerceamur, ac salutem consequamur æternam; Isti autem Dei gratiam magna ex parte auferentes, & liberum hominis arbitrium nimis efferentes, dixerunt hominem per solum liberum arbitrium absque Dei gratia omnia diuina mandata, si velit, posse exequi, meritoriè operari, & cœlestem gloriam adipisci, licet si diuina quoque gratia adsit, facilius homo hæc omnia consequatur. At in horum medio, in quo virtus consistit, sponsa Christi Ecclesia residens, & Dei gratiam, & hominis liberum arbitrium ad benè meritorièque operandum necessario requiri ostendit, nam dum inquit; *Trahe me post te;* Dei gratiam aduersus Pelagianos necessariam esse demonstrat, dum verò subinferunt adolescentulæ: *Curremus in odorem, &c.* liberum hominis arbitrium aduersus Manichæos necessarium quoque esse indicant: & quoniam primò exigitur Dei gratia, mox verò liberum hominis arbitrium exposcitur, priori etiam loco dicitur, *Trahe me post te;* & deinde subiungitur; *Curremus in odorem vnguentorum tuorum;* O improbos homines ac nefarios, & quænam res vos duxit ad tantam stultitiam & iniquitatem vt tu ò Pelagi Dei gratiam tan quam non necessariam auferres, & tu ò Manichæe liberum hominis arbitrium omnino negares? Prior igitur hæresis à Pelagio Monacho ex magna Britannia oriundo sub Pontificatu Damasi Hyspani, & Siricii Romani, & sub Principatu Arcadii Imperatoris anno Domi. 405. exorta est, cuius etiam hæresis assertor fuit quidam Cælestinus Monachus a quo Cœlestiani; sicut à Pelagio Pelagiani sunt appellati; hi duo igitur dixerunt, primo loco liberum hominis arbitrium ita efficax esse & validum, vt non ex Dei gratia, sed ex propriis operibus naturalibusque virtutibus homo iustificetur atque saluetur; Verum cum super hac re ab aliis increparentur, secundo loco asseuerarunt, Dei gratiam non esse abiiciendam velut omnino inutilem, sed amplectendam esse, quoniam hac accedente, facilius, & peccatorum veniam, & veram iustitiam, & gloriam sempiternam consequimur; Posterior autem hæresis, non primum

nium à Manete Persa, à quo Manichæi dicti sunt exorta est, quippe qui Aureliani Imperatoris & Fœlicis huius nominis Papæ primi temporib. circa annum 273. tàm latè primum apud Arabes, mox verò in Africa virus suum sparsit, sed iampridem à Stoicis vt ab Empedocle & Diodoro inuenta, & deinde in Christi Ecclesiæ nascentis exordio Diui Petri Apostoli temporibus à Simone Mago eiusque discipulo Marcione defensa fuit, quemadmodum refert Diuus Clemens Papa Diui Petri discipulus in 3. lib. Recognitionum. Rursus anno D. 273. non solum Manes, sed eius quoque affectatores, Fortunatus, Faustus, Fęlix, & Secundinus, circa annum 410. sub Pontificatu Ciricii Romani, & sub Principatu Honorii Imperatoris, hanc hæresim amplexati sunt, vt referunt D. Hieronymus in proœmio Dialogi contrà Pelagianos, D. Augustinus lib. contrà Fortunatum Manichæum, & D. Ioannes Chrysostomus hom. 84. super D. Ioannem; & adhuc anno Dom. 1180. temporibus Cęlestini III. & Innocentii III. Pontificum, & Friderici I. & Henrici VI. Imperatorũ, Vualdenses eam defendere ausi sunt: & tandem his ferè nostris temporibus, circa annum 1536. Imperantibus Clemente VII. & Paulo III. Pontif. Rom. & Carolo V. Imperatore Hispaniarumque Rege, Martinus Lutherus, Ioannes Oecolampius, Philippus Melanchton, & alii multi extiterunt, qui hanc eandem hæresim tuentes, illius venenosa tabe, magnam Germaniæ partẽ fędarunt; Hi omnes, etsi varia dicentes non parum inter se discrepent, adeò tamen impudentes omnes fuerunt, vt nullam hominibus arbitrii libertatem inesse asseuerarint, sed aut fato & syderibus, vt Stoici, omnes humanas actiones ascribendas esse putarunt, aut duas in homine mentes reponentes, vt Manichæi, alteram malam, à malo principio, quam carnis concupiscentiam nuncupamus, alteram verò bonam à bono Deo, quam nos animam ratione præditam vocamus, omnia tàm mala, quàm recta opera, sed hæc à bona mente, illa verò à mala anima ex necessitate prouenire affirmarunt, ita vt per liberum voluntatis humanæ arbitrium nullatenus impediri possent, aut post commune peccatum omnem in homine libertatem tùm gloriæ & gratiæ, tùm naturæ amissam fuisse putantes, vt Lutherani improbè dixerunt, ex sola Dei gratia homines fieri iustos, vitamque sempiternam in cœlo adipisci, & ex sola Dei voluntate homines esse impios æternisque pœnis apud inferos cruciari; Verum nefariæ sunt, imò verò dæmoniacæ hæ conscelleratorum hominum hæreses, licèt enim homo ex se solo peccare posit, & peccet, non tamen ex fato, aut ex cœlestium syderum impulsu, non ex aliqua coactionis necessitate, non demum ex Dei opt. max. voluntate, at ex propria suæ voluntatis libertate peccat, sicuti ex Dei gratia, & ex proprio libero arbitrio meritoriè operatur, ita inquit Deus Oseæ cap. 13.

Perdi-

Perditio tua ex te Israel est, ex me autem salus. & sanè vtroq; adminiculo nobis opus esse fatendum est, vt peccatorum veniam impetremus, vt meritoriè operemur, vt denique gloriam beatam consequamur; neque enim vnum sine altero, hoc est, neque Dei gratia sine libero hominis arbitrio, nec liberum hominis arbitrium sine Dei gratia quicquam boni quod dignum sit vita æterna exequi potest in homine. Nisi enim Dei gratia opus esset, non diceret Apostolus Rom. c. 9. *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*, & nisi liberum hominis arbitrium necessarium quoq; esset, non diceret D. Augustinus. *Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te*; nisi Dei gratia opus esset, non diceret Christus D. Ioã. c. 15. *Sine me nihil potestis facere*, & nisi liberum hominis arbitrium necessarium esset, non diceret ipsemet D. Matth. c. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Nisi Dei gratia opus esset, non diceret D. Paulus, *Oramus, ne quid mali faciatis*; & nisi liberum hominis arbitrium necessarium esset, non diceret Propheta, *Declina à malo*, nisi Dei gratia opus esset, non diceret Hieremias, *Conuerte me domine, & ego conuertar ad te*; & nisi liberum hominis arbitrium necessarium esset, non diceret Iohel, *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum*, nisi Dei gratia opus esset, nõ diceret Deus, *Faciam vt in præceptis meis ambuletis*, & nisi liberum hominis arbitrium necessarium esset, non diceret Christus, *Si diligitis me, mandata mea seruate*, nisi Dei gratia opus esset, non diceret D. Iacobus Apostolus. *Qui indiget sapientia, postulet à Deo*, & nisi liberum hominis arbitrium necessarium esset, non diceret Dauid. *O stulti aliquando sapite*, nisi Dei gratia opus esset, non diceret D. Augustinus. *Nullatenus dubites, neminem hic posse pœnitentiam agere, nisi Deus illuminauerit illum, & gratuita sua miseratione conuerterit*; & nisi liberum hominis arbitrium necessarium esset, non diceret Christus, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, nisi Dei gratia opus esset, non diceret D. Hieronymus, *Si quis dixerit se Dei legem implere, anathema sit*; & nisi liberum hominis arbitrium necessarium esset, nõ diceret ipsemet Doctor sanctus, *Si quis dixerit Deum nobis impossibilia præcepisse, anathema sit*; Et tandem nisi Dei gratia & libero simul hominis arbitrio ad benè meritorièq; operandum opus esset, non diceret Apostolus, *Non ego solus, sed gratia Dei mecum*, neque sponsa Christi Ecclesia ab ipso se trahi exposceret, vt vnà cum Adolescentulis in eius vnguentorum odorem currere queat; *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.*



LECTIO

LECTIO XXX.

Trahe me post te.

CONVINCITVR sanè ac redarguitur in his sponsæ Christi Ecclesiæ verbis nefaria Pelagianorum ac Cœlestianorum hæresis, ostenditur enim non solùm vtilis, verum etiam necessaria Dei opt. max. gratia, vt benè meritoriéque operemur, cum debile sit ex se solo atque infirmum liberum hominis arbitrium, vt in bonis sanctisque operibus se exercere posit: hoc autem ut luce clarius fiat, tria duntaxat vobis animaduertenda esse censeo; & primum, humanæ voluntatis actiones triplicis esse generis, quædam bonæ sunt, vt ieiunare, dare eleemosynam egenis propter Deũ, & orare, aliæ verò malæ sunt, vt ieiunium spernere, furari, blasphemare, & huiusmodi, nõnullæ demum nec bonæ sunt nec malæ, vt ambulare, sedere, & stare, nullo fine excogitato ad quem huiusmodi operationes humanæ dirigantur; Etenim si ad aliquem dirigerentur finem, tunc ex ratione finis aut bonæ esse possent, aut malæ: Rursus prænotandum est, Dei gratiam, ut in præsentia ad rem facit, geminam esse, aut enim est generalis ille influxus, qui vniuersalis potius cõcaussatio, quàm gratia à Scholasticis appellatur: aut est peculiare Dei auxilium, quo creaturis tantum rõne, & intellectu præstantibus opem fert, sicut illo generali influxu creaturas omnes ac singulas regit atque gubernat. Demùm præsciendum est, cum triplex in homine libertatis genus dari posit, naturæ scilicet, gratiæ, & gloriæ, sicuti triplex seruitutis est genus, coactionis, videlicet culpæ, & miseriæ, concedimus quidem tum gratiæ, tum gloriæ libertatem per peccatum hominem perdidisse, & ob id culpæ miseriæque seruituti se subiecisse; verum ipsius naturæ libertatem ab homine nunquam amissam fuisse, nec ulla coactionis seu necessitatis seruitute ipsum astrictum detineri catholicè affirmamus. His tribus prænotatis, aliquas propono assertiones, & primum dico nos loqui de libero hominis arbitrio ex libertate naturæ, non gratiæ, nec gloriæ; Præterea dico, nos loqui de peculiari Dei auxilio, quod gratiam, aut gratis datam, aut gratificantem Theologi vocant: nam neque Hæretici tàm Pelagiani, quàm Cœlestiani, neque ipsimet Ethnici Philosophi hunc generalem Dei influxum quo omnia reguntur, & gubernantur negare audent, inquientes: *Ab hoc vno principio pendere cœlum & naturam;* demum dico nos potissimum loqui de actionibus humanis primi generis, quæ bonæ sunt, nam si loquamur de iis

quæ

quæ malæ sunt, & de iis quæ nec bonæ sunt nec malæ, tunc quidem concedimus, & nos, hominem ex se solo & ex propriis liberi arbitrii viribus eligere posse atque exequi quodlibet opus malum, & quodlibet opus medium, quod videlicet nec bonum est, nec malum, absque peculiari ipsius Dei auxilio; at si loquamur de opere bono, aliqua opus est distinctione, vel enim est opus bonum bonitate morali; vt aiunt Scolastici, & est bonum secundum quid, vel bonitate meritoria, & est bonum simpliciter, ita vt illud aliqua honestate præditum sit, & ad finem hominis naturalem directum, hoc verò cœlesti gloria, quæ hominis est finis supranaturalis, dignum sit; opus igitur moraliter bonum potest homo ex propria arbitrii libertate solo suffultus generali auxilio Dei, & velle, & operari, dicat quicquid velit vnus inter omnes Scholasticos Greg. Arim. 2. lib. Sent. dist. 26. 27. 28. hic enim putat hominem nec velle, nec operari posse aliquod opus bonum bonitate morali, absque peculiari ipsius Dei auxilio, & quod peius est, hanc quoque fuisse Diui Augustini & Diui Thomæ sententiam existimauit, id autem quàm falsum sit, cum ex Diui Thomæ prima secundæ quæst. 109. tum ex Diui Augustini primo libro Retractat. cap. 4. tùm etiam ex Dominico Soto, primo libro de natura, et gratia cap. 19. satis manifestè cognoscitur, præterquàm quòd summæ efficacitatis ratio in promptu est, vt enim opus aliquod moraliter bonum sit, ipsum rationi naturali conforme esse satis est, at omnia quę intra naturæ cancellos detinentur, solo Dei adiutorio generali suffulti operari possumus, cum naturalis sit hominis scopus à natura præstitutus, vt quæ rationi sunt consona et intellectu comprehendat, et uoluntate appetat, et effectu exequatur: Quare opus etiam bonum morale absque speciali Dei gratia ex solo generali auxilio poterit homo et cognoscere, et velle, et exequi; quod verò subinfert Gregor. Arim. negans vllum esse opus moraliter bonum, ante quàm in vltimum finem referatur, qui est Deus, in Deum verò tanquàm in vltimum finem, nullum opus referri posse absque peculiari ipsius Dei gratia, facilè dissoluimus, si dicamus: Opus in Deum referri tanquàm in vltimum finem bifariam contingere, vel quatenus Deus finis est vltimus totius uniuersi, naturæ lumine cognitus, à quo tanquàm à rerum omnium gubernatore pendet cœlum, et tota natura: uel quatenus est finis Angelorum tantum, et hominum supernaturalis, hoc est naturæ nostræ vires ita exuperans, vt licèt naturali appetitu in huiusmodi finem, qui est Deus clarè uisus, feramur, ex propriis tamen naturæ viribus illũ adipisci minimè possimus, sed diuina et peculiari Dei gratia nobis opus sit; Modo, vt opera nostra moraliter bona sint, satis est, ut in Deum tanquàm in ultimum finem primo modo acceptum referantur, et ita generale, non speciale Dei adiutorium prærequi-

ritur,

tur,cum omne bonum maximè verò honestum, ex intrinseca sui ratione in Deum ordinetur, tãquam in finem omnium bonorum naturalem, à quo omnia,per quem omnia,& in quem omnia producuntur,gubernantur,referuntur. Et sanè, quod discrimen inter morale opus,& meritorium intercederet,si peculiari Dei auxilio,vt vtrumque opus bonum exequamur,nobis opus esset? quandoquidem eò maiori virtute, atque efficaciori egemus, quò nobilius est opus, in præstantioremque finem dirigitur; at morale opus in finem hominis naturalem refertur,opus autem meritorium in finem dirigitur qui suprà hominis naturam est; efficaciori igitur hoc opus meritorium, quàm illud morale eget adiutorio, aut nullum inter hoc opus & illud adest discrimen, quod asserere falsum est,imò verò hæreticum: & quàmuis aliquis nobis obiicere posset,hominem quidem suaptè natura, quatenus rationis est particeps, opus moraliter bonum, & velle, & exequi, in sui liberi arbitrii facultate habuisse,si nulla præisset gratia,aut culpa. Verum,post erratum originale,huiusmodi virtutem illi ademptam fuisse; hoc tamen nihil nobis officit: etenim primi hominis culpa donis duntaxat gratuitis, non perfectionibus naturalibus illum exspoliauit, in quibus tantum læsum, & vulneratum fuisse scimus,quòd non semper,& vbique,sed aliquando, & aliquod opus moraliter bonum,secundum rationis dictata,agere possumus, sicut in statu naturæ integri,omnia bona,quę naturalia sunt,& rationi consona,facere potuissemus. Quamobrem etsi post communem lapsum peculiari Dei gratia indigemus,vt semper,& vbique omnes animi nostri operationes bonitate morum bonæ sint,& rationi conformes, non tamen illa peculiari Dei gratia egemus simpliciter,& absolutè,vt opus aliquod moraliter bonum operemur, sed satis est,si generale adsit ipsius Dei auxiliũ: & demum,si opus moraliter bonũ, ex speciali Dei auxilio fieri necessum esset, absque vllo prorsus dubio bene fieri diceretur, & ex consequenti fieret ex charitate: at nullum opus moraliter bonum benè fit, cum non fiat ex charitate,non ergo peculiaris Dei gratia exigitur vt fiat opus moraliter bonum,inquiente D. August. in libro de gratia, & libero arbitrio cap. 18. *Quicquid se putauerit homo facere benè,si fiat sine charitate,nullo modo fit benè*; at opus moraliter bonum, vt huiusmodi est, non fit ex charitate,quare non fit benè,neque ex peculiari Dei auxilio, à quo omne datum est optimum. Hinc egregiè asserebat idem Augustin. libro 4. aduersus Iulianum cap. 3. *Nullas apud Gentes, solo naturæ lumine illustratas,veras extitisse virtutes,cum vera Dei cognitione, & charitate carerent*; non ita tamen,vt huiusmodi gentium virtutes,& operationes moraliter bonę peccata sint,sed,vt completum virtutis gradum non habeât, sicuti,verbi gratia,(vt Dominici Soto ibidem vtar exemplo) auricalcum,

etsi

etsi falsum est aurum, in suo tamen genere res bona est, quod etiam D. Thom. 1.2.q.65.articu.2. eruditè asseuerat; & quid clarius dici potest, quàm, quod ipsemet D.Thom.ibidem q.109.art.2.inquit? hoc est, *Humanam naturam, ad faciendum, & volendum quodcunque bonum, diuino indigere auxilio, tanquàm primo mouente*, nonne vides, Angelicum Doctorem vti verbo Philosophorum, vt per ipsum generale ipsius Dei auxilium exprimat, à quo tanquàm à primo mouente pendet cœlum, & vniuersa natura? etsi peculiare ipsius Dei auxilium iccircò necessario prærequiratur, vt opera, quæ suprà naturę vires sunt peragant, qui fieri potest, vt ad opus moraliter bonum peragendum, quod intra naturæ vires detinetur, necessaria sit præcipua Dei gratia? Inquit enim D. August. in 3. lib. Hypog. ex naturæ viribus nos ædificare domos, & plantare vineas, & vxorem ducere, & artes addiscere, quæ sunt opera moraliter bona, prætérquàm quòd D.Thom.ibidem art.5.idem affirmans ait: Homo ex propriç naturç viribus, non potest mereri vitam æternam, potest tamen facere opera perducentia ad aliquod bonum ipsi homini connaturale, vt laborare in agro, amicumque habere; Si res igitur ita se habet, vt homines ex naturæ viribus, hæc exequi possint, speciali profectò Dei auxilio minimè indigebunt in his operibus peragendis, sed generali duntaxat concursu ipsius primi mouentis: & si quæ sunt aut D. August. aut Diui Thomæ auctoritates, quæ contrarium asseuerare videantur, explicandæ sunt, vt loquantur aut de operibus meritoriè bonis, aut de omnibus simpliciter operibus moraliter bonis, ita vt absque Dei opt. max. gratia peculiari, nec vnum opus meritorium, nec omnia opera moraliter bona semper, & vbique ex naturæ viribus exequi possimus: Hinc aiebat D.Thom. 1.2.q.109.artic.2. Adamum indiguisse auxilio gratiæ, non ad sanandam naturam, sed ad supernaturale bonum operandum: nos verò illo eodem adiutorio egere, non solum ad opera supernaturalia peragenda, verum etiam ad naturam sanandam, hoc est ad exercitium omnium bonorum naturalium, ita ut nunquàm deficiamus: & D. August. lib. de prædestin. Sanctorum cap.1.cum aiebat: *Nemo sibi sufficiat ad incipiendum, seu perficiendum quodcunque opus bonum, sed sufficientia nostra ex Deo est*; tunc loquebatur aduersus Pelagianos, qui Dei gratiam omnino subripiebant, tanquam non necessariam in operibus etiam meritoriè bonis, ad iustificationemque nostram pertinentibus: Illud autem, quod decernitur in cõcilio Arausicano Canone 19.& 20.hoc est: *Hominem nulla facere opera bona, quæ Deus non præstet vt faciat homo*, ita est intelligendum, vt Deus præstet homini uim efficiendi tum bona moralia, per generale adiutorium, tum meritoriè bona per auxilium peculiare: Quocirca decipitur Gregor. Arimin. nam homo etiam post lapsum ex naturæ viribus, absque

que peculiari ipsius Dei adiutorio, opera moraliter bona, aliquando, & singula, licèt non semper, & omnia exequi potest: si verò loquamur de operibus meritoriè bonis ad hominis iustificationem pertinentibus, nullum certè opus ex seipso agere pôt sine peculiari Dei auxilio, immo verò, neque eligendi, neque se proximè, aut perfectè disponendi potestatem habet, ex sola suæ libertatis potestate, vt benè, & meritoriè operetur. At, vt etiam disponatur eget gratia Dei quam gratis datam, & præuenientem appellamus, sicuti, vt meritoriè operetur, & opus bonum incæptum prosequatur, illi opus est gratia, quam gratificantem vocant, seu iustificantem. Hæc autem catholicæ fidei veritas, quamquam innumeris ferè modis probari potest, hi pauci tamen sufficiant, ex auctoritatibus desumpti cum veteris ac noui Testamenti, tum sanctorum Patrum, tùm etiam sacrorum Conciliorum. Etenim Dauid in Psal. 16. 36. & 118. sui liberi arbitrii infirmitatē agnoscens, Deum obsecrat, vt sibi auxilietur, inquiens: *Perfice greßus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea: A domino greßus hominis diriguntur, Greßus meos dirige secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis iniustitia.* Et Hierm. cap. 10. idem asseuerans ait, *Non hominis esse vt dirigat greßus suos, sed miserentis Dei. Scio Domine*, inquit ipse, *quia non est hominis via eius*: & cap. 17. à Deo se sanari saluumq; fieri exposcit, cum dicit. *Sana me Domine, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero*: Verum & quid clarius eo dici potest, quod per Osæam Prophetam cap. 13. adstruit ipsemet Deus; Inquit enim, *Perditio tua ex te Israel est, ex me autem salus*. In Euangelio quoque multæ leguntur auctoritates, hoc idem comprobantes, ut apud D. Matth. cap. 6. Vbi à Christo omnia, quibus egemus, à Deo patre nos expostulare docemur; nam si hæc omnia ex sola nostri arbitrii facultate consequi possemus, frustrà profectò à Deo illa peteremus. Sed fortasse dicet Pelagius, huiusmodi postulata inania non esse, quandoquidem, etsi liberum nostrū arbitrium omnia ex se solo Dei opt. max. mandata exequi potest, & omnia eius promissa obtinere, nobis tamen difficilia sunt, & ob id peculiari Dei auxilio indigemus, non vt hæc faciamus, sed vt facilius exequamur. Decipitur certè Pelagius, & in hoc etiam facilè redarguitur, nam D. Ioann. cap. 15. legimus Christum ita dicentem, *Sine me nihil potestis facere*, & cap. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me traxerit illum*, quibus in locis non solum difficultatem, verum etiam, vt ita dicam, impossibilitatem veniendi ad Deum sine Deo nobis præmonstrat, & D. Paulus Roman. cap. 8. inquiens, *Quos iustificauit, hos & magnificauit*, ostendit oēm hominū iustitiam à Deo esse, & non à nobis: Etenim, non ait Apostolus, quos iustos inuenit, sed, quos ipse Deus iustificauit, hos & magnificauit. & cap. 10. eiusdē epistolæ dilucidius idem

comprobans ait: *Non est uolentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Taceo nunc, quod scribitur cap.3. prioris epistolæ ad Cor. quod est; *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Si ergo aliquid ex nobis cogitare nequimus, minus ergo & velle, cum ea quæ non cognoscimus, nec velle possimus; Voluntas enim non fertur nisi in rem præcognitam. At illud equidem reticere non possum, quod in epistola ad Phil. cap. 2. & in epistola ad Titum cap.3. scribit Apostolus: Hic enim dicit; *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit.* Ibi verò ait *eus est qui operatur in nobis uelle, & perficere, pro bona uoluntate:* Neque desunt quàmplures Patres Sancti, qui hoc idem aduersus hæresim Pelagianorum, ac Cœlestianorum, confirment; & præcipuè Diuus August. in lib. de libe. arb. ait, *Gratia, quæ per Christum datur, non solum erratorum remissionem facit, sed ut lex etiam impleatur, efficit*; Adhuc in lib. de natura & gratia, inquit, *Dei gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes, salui fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur:* Rursus in lib. de gratia, & libero arb. ait: *Gratia ad hoc datur, ut lex impleatur, ut natura liberetur, & peccatum non dominetur: sine qua etiam cum uolumus ad bona opera nihil ualemus.* & quid clarius dici potest? Illud idem asseuerat D. Ambros. suis in homiliis, illa verba interpretans, quæ Diui Matth. cap 6. leguntur. *Pater noster qui es in cęlis,* &c. Inquit enim ò *homo faciem tuam non audebas ad cęlum tollere, at postquam Christi gratiam accepisti, omnia pecata tibi dimißa sunt.* Ita inquit D. Bernar. in suo opusculo de libero arb. *Tolle liberum arbitrium, et non erit quod saluetur; tolle gratiam, & non erit unde saluetur;* etenim opus hoc sine duobus effici non potest, vno à quo fit, altero cui, vel in quo fit, cum Deus sit auctor salutis, & liberum arbitrium tãtum capax. Demum in aliquot etiam Oecumenicis Conciliis hæc hæresis nefaria conuincitur, vt in Concilio Mileuitano, Canone quinto; vbi sancitum fuit, Gratiam iustificationis, non ob id dari, vt quod per liberum arbitrium facere iubemur, facilius per gratiam impleamus; sed quoniam salutis nostræ initium simpliciter est à gratia, vt in Concilio Arausicano can.25. sub his verbis. *Hoc salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur: sed ipse nullis nostris pręcedentibus meritis, nobis & fidem & amorem sui inspirat.* Vt tandem in Concilio Trident. sess.6. can.1. & 2. hoc est, *Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ uel per humanæ naturæ uires; uel per legis doctrinam fiunt, absque diuina gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit*, Præterea; *Si quis dixerit ad hoc solum diuinam gratiam, per Iesum Christum dari, ut facilius homo iustè uiuere, uitamque æternam promereri possit, quasi per liberum*


liberum arbitrium sine gratia vtrumque, sed egrè & difficulter possit, anathema sit. Iure igitur optimo sponsa Christi Ecclesia, se infirmam, ac debilem esse cognoscens, vt ex solis naturæ viribus vna cum suis adolescentulis in sponsi Christi vnguentorum odorem currere nequeat, Dei gratiam expostulat, dicens, *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

LECTIO XXXI.

Trahe me post te.


ON paruam profectò hæc sponsæ Christi Ecclesiæ verba, quibus sponsum Christum alloquitur, difficultatem habere videntur, cur scilicet, soli filio hæc attractio ab eius sponsa Ecclesia, tribuatur, tum quoniam alibi, ab ipso Christo, hæc tribuitur patri, dum in Euangelio D. Ioan. capite sexto, inquit, *Nemo venit ad me, nisi pater meus, qui misit me, traxerit illum*; tùm etiam quoniam, cum huiusmodi opus sit externum, patri non solum, & filio, verum etiam Spiritui sancto debet esse commune, quemadmodum enim trium personarum vnica est essentia & potestas, ita vnica, & eadem est attractio; si res igitur ita se habet, cur hæc à sponsa tribuitur Christo sponso, qui vnica est persona reipsa à patre & à Spiritu sancto distincta? D. August. primo libro de Prædestinatione sanctorum capite octauo, huiusmodi (vt ita dicam) tractionem propter solam originem tribui patri respondet, quippe qui est à seipso, & à quo filius, & Spiritus sanctus procedunt, hoc est non quòd filius, & Spiritus sanctus, vnà cum patre homines ad fidem, ad gratiam, & gloriam non trahant, sed quòd filius, & Spiritus sanctus, vt trahant, habent à patre, à quo sempiternam ducentes originem, quicquid habent accipiunt. Quæ sanè responsio, etsi vera est, non totam tamen difficultatem aufert: nam quamuis apud D. Ioan. c. 6. hæc tractio tribuatur patri, verùntamen capite 12. & in hoc etiam loco, tribuitur filio; hic enim sponsa Ecclesia sponsum Christum vnigenitum Dei filium compellat, illumque exorat, vt ipsam post se trahat, ibi verò ipsemet dicit; *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum;* Quamobrem huius tractionis causa non patri propter originem tribuenda esse videtur, quandoquidem filio quoque aliquando tribuitur, qui non est à seipso sed à patre procedit; Rursus D. Cyrill. Episc. Alex. lib. 3. super D. Ioan. ca. 39. huic dubitationi ita satisfacit. Hanc nimirum tractionem diuinæ

naturæ propriũ opus esse, magis exprimimus, cum patri, qui Deus duntaxat est tribuitur, quàm cum Christo filio, qui Deus est, & homo conuenire dicitur, hinc est, vt apud D.Ioan. cap.6. huiusmodi tractio Patri tribuatur, & non filio. Verum si ita se res habet, & cur hoc in loco, & c. 12. citato tribuitur Christo, qui Deus est & homo? D.Iustinus martir, in explicatione quæst. Gent. respon. 29. & D.Ioan. Chrisosto. super D. Ioan. hanc difficultatem ita dissoluunt, cum vna, & eadem sit essentia, & virtus patris, & filii, vnam quoque, & eandem vtriusque tractionem esse, & ob id tam patri, quàm filio tribui posse, quos enim trahit pater, trahit & filius: Hæc sanè optima est huius difficultatis dissolutio: sed cur aliquando patri, & aliquando filio, nunquàm verò Spiritui sancto huiusmodi tractio tribuitur in scripturis sanctis? Nonne sicuti patris, & filii, ita & Spiritus sancti vna, & eadem est essentia, virtus, & tractio? dicerem ego hanc hominum tractionem ad fidem, ad gratiam, ad gloriam, cum sit opus Dei externum, esse quidem toti Trinitati, hoc est patri, filio, & spiritui sancto communem, & ipsi Deo vni, & trino tamquã primariæ causæ, primarióque trahenti tribui. Cùm verò obiicitur, Cur ergo Diui Ioan. cap.6. tribuitur patri? Respondeo tribui patri non relatiuè, & notionaliter, vt aiunt accepto, qui prima est in diuina trinitate persona reipsa à filio, & Spiritu sancto, ex relationum originibus distincta, sed patri absolutè, vt inquiunt, & essentialiter sumpto, quatenus de tota simul trinitate, hoc est de patre, filio, & Spiritu sancto, qui sunt Deus, enunciatur, iuxta illud quod in oratione Dominica, apud Diuum Matth. cap. 6. legitur. *Pater noster qui es in cœlis, &c.* Verum illico mihi obiicitis, optime quidem res ita se habet, at quæ causa est, vt aliquando filio Dei hæc tractio tribuatur? Respondeo ipsam tribui Christo homini, vt filius hominis est, tanquam mediatori, causæque meritoriæ, quippe qui vt homo totius ecclesiæ caput est; in quo omnes, tam homines, quàm Angeli, Dei filii prædestinantur. Quare huiusmodi tractio, aut patri essentialiter, & absolutè accepto, hoc est patri, filio, & spiritui sancto, vni Deo, tanquam primariæ causæ in scripturis sanctis tribuitur, vt apud D.Ioan. capite 6. *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit illum*; aut tribuitur Christo homini, tanquàm mediatori, & causæ meritoriæ, vt D.Ioan. capit. 12. *Omnia traham ad meipsum*: & in hoc loco, *Trahe me post te.*



LECTIO

LECTIO XXXII.

Curremus in odorem vnguentorum tuorum.



VT alter hæreticorum, ac Stoicorum error, liberum hominis arbitrium negantium conuincatur, quem in his quatuor verbis sponsa Christi Ecclesia, satis manifestè redarguit, prænotanda nonnulla sunt satis vtilia, quinimmò necessaria ad horum conscelleratorem hominum improbitatem detegendam. Et primò sciendum est, hominem in temporis exordio à Deo Optimo Maximo creatum, egregiis tùm naturalibus, tùm gratuitis donis, ac priuilegiis decoratum fuisse, interque hoc vnum cæteris omnibus præstantius fuit, atque excellentius, nimirum ipsa humani animi libertas, vt voluit, non dicam Dantes in tertio Cantico de Paradisu ca. quinto. sed D.Hieron.in Episto.quam ad Demetrium scripsit inquiens. *Voluit Deus intelligentem duntaxat creaturam uoluntarii boni munere & liberi arbitrij potestate dotare, nec est, quo magis rationalis creatura cæteris creaturis præferatur, nisi quòd cùm omnes aliæ creaturæ necessitatis tantum bonum habeant, hæc sola habet etiam bonum uoluntatis, hinc peregregiè cecinit ille Poeta.*

Non bene pro toto libertas venditur auro;
Hoc cæleste bonum, præterit orbis opes.

Quod etiam antiquus ille Philosophus vnus ex illis septem Græciæ Sapientibus, & fortasse omnium sapientissimus Thales Milesius animaduertens, cum sæpè ac sæpius interrogatus fuisset, quænam res in vniuerso mundo antiquior esset, quæ pulchrior, quæ maior, quæ velocior, quæ sapientior, quæ ferocior, & quæ præstantior atque fortior, eruditissimè respondisse fertur.

Res antiquior est Deus, qui non solum principio caret, atque fine, sed principium est cæterarum omnium rerum, atque finis: Res pulchrior est hic mundus, qui diuinæ pulchritudinis est simulachrum. Res maior est locus, qui res omnes creatas intra suos continet cancellos; Res velocior est hominis cogitatio, quæ eodem ferè momento ascendit in cœlum, & ad inferos vsque descendit; Res sapientior est tempus, quod demum omnia detegit, & manifestat; Res ferocior est ipsa rei necessitas, quæ dura, & aspera perseuerans, flecti nequit; at res omnibus potentior est libera hominis voluntas, quam quicquid libet efficientem, siue bonum siue malum, nemo cogere potest, vt optimè

aſſerebat Diuus Bernardus in ſua quadam Epiſtola. *Voluntati nec leges imperant, nec Principes dominantur, ipſa enim uoluntas de ſe maximè libera eſt*; & certè ſi rei excellentia ex eo potiſsimum dignoſcitur, quòd à paucis habeatur, nonnè voluntatis libertatem Dei donum excellentiſsimum cenſere debemus, cum duæ tantum creaturæ, nempe Angelus, & homo eam adepti fuerint? Præterquàm quòd nulla res eſt, qua Dei Optimi Maximi imaginem atque ſimilitudinem gerere magis dignoſcamur, quàm arbitrii libertate, vt aiunt antiquus Tertullianus ſecundo libro contra Marcionem, Gregorius Nyſſenus in oratione de dormientibus, Epiphanius in primo libro Hæreſ. hæreſi decimaſexta, & Diuus Auguſtinus in primo libro de Fato aduerſus duas Epiſtolas Pelagii ad Bonifacium Papam: etenim vbi libertas eſt, ibi & memoriam, & intellectum, & voluntatem præexiſtere neceſſum eſt, quæ tres vnius animæ rationis compotis facultates, tribus vnius diuinæ eſſentiæ perſonis Patri, Filio, & Spirituiſancto ſatis commodè quadrant; & ob hanc cauſam, nihil Deo Optimo Maximo gratius, nihilve iucundius eſſe exiſtimo, ipſa hominis libera voluntate, quàm liberè, & ſpontè ipſi offerat, vt Diuus Gregor. ait in prima Hom. ſuper Euang. *Nihil offertur Deo ditius bona uoluntate;* Præterea à vobis animaduerti volo variè Philoſophos ac Theologos, de hominis libertate locutos fuiſſe: Philoſophi namque tria agentium genera dari aſſeuerantes, nimirum agens naturale, violentum, & liberum, ex quibus triplex etiam operatio oritur, naturalis, vt cum lapis, & cætera grauia deorſum deſcendunt, violenta, cum hæc ſurſum mouentur, & libera, cum homo liberè vult hoc, aut illud, eam duntaxat humanæ operationis hominiſque agentis libertatem cognouerunt, quæ à principio naturali, ſeu neceſſariò, & à principio violento, ſeu cogente diſtincta, in vtriuſque principii medio nobiliſsimè reſidet; At ſacri Theologi ex diuino lumine altius aſcendentes, præter hoc vnum humanæ libertatis genus à Philoſophis cognitum, ſolo naturæ lumine illuſtratis, quippe quæ naturæ libertas appellatur, duo quoque libertatis genera, gratiæ ſcilicet, & gloriæ in homine aſsignarunt, ita vt triplex detur libertas, naturæ, gratiæ, & gloriæ: libertas autem naturæ, à ſeruitute neceſsitatis ſeu violentiæ hominem liberum reddit; libertas gratiæ, à ſeruitute peccati, & libertas gloriæ, à ſeruitute miſeriæ, ita cenſet D. Bernard. in libello de libero arbitrio. *Cum nobis triplex poſita ſit libertas, à neceſsitate, à peccato, à miſeria, primam contulit nobis natura, in media reſtauramur à gratia, tertia reſeruatur nobis in patria.* Quamobrem homines vt ait Magiſter Sent. in ſecundo libro diſtinct. 25. ex triplici libertate à Deo Optimo Maximo liberi creati fuere, hoc eſt liberi à ne-

ceſsitate,

cessitate, quæ est libertas naturæ, liberi à peccato, quæ est libertas gratiæ, & liberi à miseria, quæ est libertas gloriæ; in primo namque innocentiæ statu reliquit Deus hominem in manu consilii sui, contulit illi gratiam gratificantem, & nulli subiectum miseriæ in maxima ipsius Paradisi fœlicitate eum collocauit. Rursus præsciendum est, hominem post peccatum commune, duplicem amisisse libertatem, gratiæ nimirum, & gloriæ, & ob id duplici etiam seruituti, hoc est culpæ atque miseriæ, seu pœnæ, sponte se subiecisse, ita inquiunt tũ Dauid in Psal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*, &c. & Diuus Paulus Rom. ca. 7. *Ego carnalis homo venundatus sum sub peccato*; & hæc de culpa, tum etiam Iob cap. tertio. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore*, &c. imò verò ipsemet Deus Genes. capite secundo. *Multiplicabo ærumnas tuas, in dolore paries filios, in sudore vultus tui vesceris pane tuo*; & hęc de miseria, à qua sanè duplici seruitute, Christus vnigenitus Dei filius nos liberauit, & quotidie per media Sacramenta nos liberat, loquente Diuo Apostolo Paulo Roman. cap. sexto. *Cum essetis serui peccati, liberi fuistis iustitiæ*; & D. Ioan. cap. 8. *Si filius hominis vos liberauerit, verè liberi eritis*; At naturæ libertatem, de qua sola hic loquimur, nec amisit Adam, nec amittere potuit, cum inter naturalia dona reponatur, quæ gratuitis prærogatiuis deperditis, integra post peccatum manserunt: Et si quæ huius libertatis amisio facta fuit, hæc profectò est, non semper hominem, & vbique postquam peccauit, ex naturæ viribus, omnia opera naturaliter, & moraliter bona pro libitu exequi posse, nisi peculiaris ipsius Dei gratia sibi sit adiutrix, quæ sanè omnia primus homo in ipso innocentiæ statu, etiam absque Dei gratia, nisi peccasset, efficere potuisset. His tribus igitur prænotatis, reliquum est, vt contra hæreticos homines arbitrium liberum esse negantes, & rationibus, & auctoritatibus confirmemus; & à rationibus hoc exordium sumens, ita argumentor; Habet homo memoriam, intellectum, & voluntatem, ergo & liberum arbitrium, sicuti enim quælibet natura absq; inseparabili proprietate esse nequit, vti Sol absque luce, & ignis absque calore, ita hominis voluntas, absque naturæ libertate, quæ est propria illius affectio, per vllam potentiam dicam etiam diuinam, esse non potest, repugnat enim esse voluntatem, & non esse liberam, sicuti reclamat esse intellectum, & non intelligere, esse memoriam, & non reminisci. Cum igitur libertas, licet non sit de hominis essentia, humanæ tamen voluntati tamquam propria, & inseparabilis eius affectio insit, nunquam ab homine dum manet homo, amitti poterit, aut vnquam poterit. Experientia quoque rerum omnium magistra docet, in homine liberum arbitrium reperiri, in multis enim ac ferè in omnibus rebus non

solum bonis, verum etiam prauis ancipites sumus & ambigui, an hanc aut illam rem eligere debeamus, an in hanc, aut in illam partem declinemus, an ad dexteram, aut ad sinistram animum flectamus, an denique bonum, aut malum quod bonum apparens est, efficiamus.

Præterquàm quòd si homines suis in negociis peragendis, ac deliberandis, prudentissimorum virorum consilia petunt, & res suas in consultationem proponunt, quis humanæ voluntatis libertatem negare vnquàm audebit? Quis hominis actiones necessarias esse dicet? Quis in homine liberum arbitrium reperiri non affirmabit? Cur namque à Deo sapientissimo Rege dantur leges, dantur præcepta, dantur consilia, quæ non nisi iis qui ea seruare possunt, & non seruare imponuntur, si homines arbitrii libertate carent? frustra certè docentur, si homines ea quæ faciunt, necessario efficere cogerentur. Immò verò inania essent præmia, gloria, Paradisus, inutiles essent comminationes, pœnæ, tartarus, si liberam non haberet homo voluntatem hoc vel illud opus agendi, hoc bonum, vel illud malum, cum D. Athan. in suo Symbolo dicat; *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum*. Quamobrem si liberum hominis arbitrium auferatur, humana quoque consilia auferuntur, humanæ deliberationes, humana prudentia quin etiam auferuntur, Rerumpub. gubernatio, administratio familiarum, propria ipsiusmet hominis cura, & tota demum Philosophia moralis, Ethica, Oeconomica, & Politica: Illud quoque addam, si homines, quicquid agunt, necessario operatur, ita vt illud non operari non potuerint, cum igitur peccant necessariò peccant, ita vt non peccare nõ poterint, & cum bene agunt, necessario bene agunt, ita vt non bene agere non potuerint, & quod ex naturæ necessitate est, siue bonum, siue malum, siue pulchrum, siue turpe, nec reprehendi, & puniri, nec laudari, & præmiis affici debet, iniuria ergo à Deo reprehenduntur mali ac puniuntur, & iniustè laudantur boni, tantisq; præmiis afficiuntur, quod asserere impium est, vt scilicet Deus, qui iustus est iudex atque misericors, demens sit atque crudelis, nulla etenim maior dementia, maior vè crudelitas est, aut excogitari potest, quàm peccata illa æternis damnare suppliciis, ad quæ perpetranda necessariò cogimur. Verum iam tempus est, vt antiquæ legis auctoritatibus idem comprobemus, nam habemus in sacra Genes. cap. secundo, ipsummet Deum Euam alloquentem, & dicentem; *Cur fecisti hoc?* liberum hominis arbitrium manifestè declarare, aliter Eua respondere potuisset, ideo fieri hoc, quoniam vi & necessitate hoc operari coacta sum, & capit. 4. inquit etiam Deus; *O Cayn, quare iratus es, & cur concidit facies tua? nonne si bene egeris recipies, sin autem malè statim peccatum tuum in foribus aderit?* & apertius

tidis adhuc liberam hominis voluntatem extollens ait; *Subtus te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Moses autem Nume. capite 30. de ieiunio, quod vxor matrimonii vinculo viro astricta, se obseruaturam esse Deo Optimo Maximo vouet, verba faciens, dicit; *In arbitrio uiri erit, si faciat, siue non faciat;* & Deuter. capite etiam 30. legimus populo Israelitico Deum dixisse, se illum non cogere, sed hortari vt sua præcepta seruet, & ob hanc caussam, vt eius voluntatem liberam esse ostendat, subinfert, se illi ex altera parte bonum, & vitam proponere, ex altera verò malum, & mortem, vt bonum vitamque eligens, & malum mortemque deuitans, diuina gratia repleatur, & gloria; audite quid dicat, *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie non est supra te, sed iuxta te est sermo, & considera quid hodie proposuerim in conspectu tuo uitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum, elige ergo uitam, & uiues, & semen tuum, si autem audire nolueris, prædico tibi hodie, quod peribis;* Adhæc porrò in secundo libro Regum capite 24 habemus, Gad Prophetam à Deo Dauidi Regi missum fuisse, vt illum ita alloqueretur; *Trium tibi datur optio, elige unum ex iis, ut faciam tibi;* & in Psalmo 40. ipsemet Dauid aiebat; *Voluntariè sacrificabo tibi*, & in libro Ecclesiast. capite decimoquinto legimus Salomonem dicentem; *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui;* Mox verò subiungit; *Adiecit Deus mandata, & præcepta sua, si uolueris mandata obseruare, conseruabunt te, apposui tibi aquam, & ignem, ad quodcunque uolueris porrige manum tuam: ante hominem uita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* & quid clarius de libero hominis arbitrio dici potest? At apud Isaiam quoque capite primo idem ferè dicitur, nimirum; *Si uolueritis, & audieritis me, bona terræ commedetis, quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit uos;* & Hieremias capite vigesimoprimo inquiebat; *Hæc dicit Dominus, ecce ego dedi ante faciem uestram uiam uitæ, & uiam mortis;* ac si diceret, vestrum est nunc eligere quam malueritis viam, aut vitæ, quæ ducit ad cœlum, aut mortis, quæ trahit ad inferos; Neque prætereundum censeo, quod ait Ezechiel Propheta, quippe qui hominis arbitrium ad opus bonum peragendum liberum facit, dicens; *Proijcite à uobis omnes iniquitates uestras, in quibus præuaricati estis, & faciat uobis Deus cor nouum, & spiritum nouum;* sicuti Isaias ad malum perpetrandum liberum illud efficit, cum inquit: *Fecistis mala quoniam potuistis;* Sed audite auditores, varias etiam quas in Euangelica lege auctoritates habemus contra tot, tantosque hæreticos liberum hominis arbitrium approbantes, vt Diuus Matthæus capite decimonono. *Si uis ad uitam ingredi, serua mandata;*

vt ibidem capite 23. *Quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* vt D. Lucæ capite nono. *Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me;* vt D. Ioan. capite quinto. *Vis sanus fieri?* quibus in locis Dominus noster Iesus Christus humanam voluntatem, & ad bonum, & ad malum opus efficiendum liberam esse declarat, & Diuus Apostolus Paulus in priori Epistola ad Corinth. cap. septimo idem asseuerans dicit, *Qui statuit in corde firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ uoluntatis*; & eodem in loco capite decimotertio ait; *Abundantius omnibus laboraui, non ego solus, sed gratia Dei mecum*; insuper in posteriori Epistola ad Corinth. cap. nono. eos ad eleemosinas faciendas exhortans inquit. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus*; vbi Apostolus humani arbitrii libertatem ita manifestè prædicat, vt nihil manifestius dici posit, nisi illud D. Ioan. in Apocalyp. capite secundo testimonium adducamus, vbi de Iezabel Dei seruos seducente, Deum Optimum Maximum dixisse legimus; *Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & non uult pœnitere à fornicatione sua*; Si igitur omnia absque vlla hominis libera determinatione necessariò eueniant, frustra dedit Deus ipsi Iezabel tempus, vt scelerum suorum pœniteret; nam pœnitere non poterat; & tamen dicit Deus, pœnitere non voluit à fornicatione sua, ac si diceret, potuit quidem, sed noluit.

Verum iam accedamus ad sanctorum patrũ auctoritates, & ab antiquioribus exordiamur: primo autem loco mihi occurrit Diuus Petrus Apostolus, qui in sua, quam cum Simone Mago Stoicorum affectatore, habuit disputatione dixit, *Ego igitur dico hominem esse sui arbitrij*: & Diuus Clemens illius discipulus, in epistola secunda, declarans in nostra esse potestate seruare Dei præcepta, & non seruare, rationem reddidit inquiens, *Liberi enim sumus arbitrij*: Mox beatus Irenæus quarto libro aduersus hæreses cap. 71. & 72. multa disserit de libero hominis arbitrio, & ait, *Homo rationalis, & secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus, caussa est vt aliquando quidem frumentum, & aliquando palea fiat, quapropter & iustè condemnabitur, qui rationalis factus, amisit veram rationem, & irrationabiliter viuens aduersatus est iustitiæ Dei, tradens se omni terreno spiritui, omnibusque voluptatibus seruiens*; Et paulò post subinfert, *Liberum fecit Deus hominem ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam ad vtendum scientia Dei voluntariè, & non coactum à Deo*. Et Origenes in tertio libro Periarchon, seu de principiis cap. primo tùm veteris, tùm etiam nouæ legis auctoritatibus satis abun-

dè liberum in homine arbitrium reperiri probat,& ait, *In nostra est potestate vel laudabilem vel culpabilem nos degere vitam*. Rursus Basilius Magnus in illo sermone qui inscribitur Deus non est auctor malorum; homines habere voluntatem, eorumque culpam nullatenus à Deo, sed ab ipsis omnino esse ostendens, inquit: *Arbitrio libera facta est anima, quod naturæ rationis participi maximè conuenit; Soluta est enim omni necessitate, & vitam in sua potestate constitutam à Deo accipiens, sese ad eius imaginem creatam esse nouit*. Cui quoque sententiæ D. Cyrillus libro tertio contra Iulianum Apostatam fauet,& ait, *Voluntaria operandi facultate conueniebat rationalem creaturam insigniri, & electionis liberæ declarari fructum*,& libro 6.adhuc manifestius inquit, *Homo sui iuris est,voluntariè vadens ad quodcunque sibi placuerit, ita vt qui benè operari voluerint,laudandi sint,& qui diuersam viam inierint,vituperãdi iustè ab omnibus*.Præterea D.Ioan.Chrysost. in serm.de muliere Cananæa idem asseuerat,dicens,*Liberi arbitrij creauit nos Deus, vt uoluntate nostra,cum adiutorio Dei quod volumus faciamus*.Quod idem repetit suis in commentariis super Epist.D.Paul.ad Galat.cap.5. *Opera mala ex nobis solis oriuntur,bona vero non tantum egent nostra cura,verum etiam opus habent diuina largitate*:& D.Ioan.Damascen. secundo libro de fide Orthodoxa cap.25.eandem catholicam veritatem astruens, aiebat; *Relinquitur igitur hominem ipsum agentem & facientem, principium esse propriorum operum,& potestate arbitrioque liberum; nam si nullius principium actionis est homo superfluè id habet, vt consultet, cum omne consilium alicuius actionis gratia sit*.Tandem Theophilactus in 3.lib.de Paschate id confirmat inquiens; *Non ambigiturquin in utramque partem uel faciendi,uel non faciendi bona,habeamus liberam facultatem*. Et hactenus de Græcis patribus. Accedamus modo ad Latinorum Patrum testimonia, quæ etsi variis in locis innumera ferè sunt, hæc pauca tamen me proposuisse sufficiat.Ita Tertullianus antiquissimus,libro secundo aduersus Marcionem Simonis Magi discipulum, eiusque hæresis nefariæ assectatorem,quærens enim cur nam Deus, qui scit hominem peccaturum,& illum à peccato liberare potest,non tamen liberet eum, sed in varios errores cadere permittat;Respondet, *Liberum & sui arbitrij,& suæ potestatis inuenio hominem à Deo constitutum, nullam maiorem imaginem,& similitudinem Dei in ipso animaduertens,quam eiusmodi status formam*,& apertius deinde subiungit, *Nec boni,nec mali merces iure pensaretur ei,qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inuentus, non uoluntate*.Ita inquit D.Cyprianus epist.3.primi libri quam scribit ad Cornelium Papam,*Homo libertatis suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimetipsi uel mortem appetit uel salutem*.Ita inquit D.Hieronym.secun

do

do libro aduerſus Iouinianum, *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur, alioquin vbi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt*. Ita inquit D. Ambroſius in lib. de beata vita; *Non eſt quòd cuiquam noſtram culpam aſcribamus, niſi noſtræ uoluntati, nemo enim tenetur ad culpam, niſi propria uoluntate deliquerit.* Ita inquit D. Auguſt. pluribus in locis, & præcipuè in tribus libris de libero arbitrio, quinto libro de Ciuitate Dei cap. nono, lib. 14. cap. 11. lib. 15. cap. 21. & libro 22. cap. 30. adhuc in primo libro contra Pelagium cap. 2. & 3. libro cap. 8. rurſus in libro de vera religione cap. 14. in diſputatione ſecunda contra Fortunatum Manichæum, in Hom. 26. & 74. ſuper D. Ioan. & demum in lib. 83. qq. quæſt. 4. quas omnes D. Auguſt. auctoritates recenſere nimis longum eſſet, hanc vnam cæteris omnibus (vt ego arbitror) clariorem, atque præſtantiorem proponere ſatis ſit, nam Pharaonis exemplo & Nabuchodonoſor vtens, liberū hominis arbitrium apertè nobis demonſtrat, & ait, *Nabuchodonoſor pœnitentiam egit fructuoſam, nonne poſt innumeras impietates flagellatum pœnituit, et regnum quod amiſerat, rurſus accepit? Pharao autem his flagellis durior effectus periit?* & deinde ſubinfert, *quantum ad naturam, ambo homines erant; quantum ad dignitatem, ambo reges, quantum ad culpam, ambo captiuum Dei populum detinebant, & quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer à Deo admoniti, quid ergo fines eorū fecit eſſe diuerſos? niſi quod unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter uerò libero ſuo arbitrio, contra Dei miſericordiam pugnauit.* Silentio nunc prætereo D. Bernar. in ſuo libello de libero arbitrio, D. Anſelm. in tractatu de gratia & libero arbitrio, D. Leonem Papam ſerm. 16. de paſſione, D. Proſperum Aquitanicum, in libro de libero arbitrio, Ioan. Caſſianum in libro de collationibus patrum, collatione 3. cap. 12. & demum Lactantium Firmianum 2. libro diuinarum Inſtitutionum cap. 9. qui vnanimi omnes conſenſu aſſerunt, nos quidem egere gratia Dei, ita, vt libero quoque arbitrio opus ſit. His autem ſanctorum patrum auctoritatibus ſuperadditur hoc vnum ſacroſancti Concilii Tridentini teſtimonium, vbi ſeſſione ſexta canone quarto, quinto, & ſexto, ita dicitur, *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque uocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam, neque poſſe diſſentire ſi uelit, ſed ueluti inanime quoddam nihil omnino agere, merèque paſſiuè ſe habere, anathema ſit*; & rurſus ait, *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, et rem eſſe à ſolo titulo, imò titulum ſine re, anathema ſit*; & tandem, *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis uias ſuas malas facere, ſed mala opera ita ut bona, Deum operari non permiſſiuè ſolum, ſed*

etiam

etiam propriè, & per se, adeò ut sit eius proprium opus non minus proditio Iudę, quam uocatio Pauli, anathema sit. Si res igitur ita se habet, nonne ò dementes Stoici, ò improbe Simon Mage, ò conscelerati Manichæi, ò impii Vualdenses, ò sacrilegi Lutherani, nonnè in quàm erubescitis ad tantam vos deuenisse stultitiam? nonne vos pudet tantam dixisse blasphemiam, vt homines naturæ libertatem post Adæ peccatum amiserint? vt quod volunt efficere nequeant? vt suis in operibus perpetrandis necessario cogantur? Iàm satis superque auditores & naturalibus rationibus, & vtriusque Testamenti scripturis sanctis, & patrum auctoritatibus, & Concilii Tridentini testimonio hanc nefariam hæresim conuicimus & reiecimus. Reliquum modò est, vt nonnullis sacræ scripturæ auctoritatibus, quibus hæretici vt hanc catholicam redarguant veritatem, innituntur, iuxta germanam Sanctorum Patrum explicationem declaratis, illis satisfaciamus: & primo loco obiiciunt Iesu Christi verba apud D. Ioan. cap. 15. dicentis. *Sine me nihil potestis facere*; si nihil (argumentantur hæretici) efficere ex nobis possumus, ergo malum etiam, quod volumus, operari nequimus, ergo arbitrii liberi non sumus; Verum adest regula patrum, sacrarum scripturarum verba vel penes dicta, vel penes dicenda nos vt plurimum dimetiri debere: cum igitur in proximis superioribus verbis, loquutus fuerit Dominus noster de operibus meritoriè bonis, sub illa vitis et palmitum in vite manentium metaphora, dicens, *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite, ita & uos nisi in me manseritis*, statimque rationem subiungens, ait, *quia sine me nihil potestis facere*, ita rationi consentaneum est, vt in his etiam verbis de iisdem operibus meritoriè bonis verba faciat, ita vt nihil boni, quod meritoriè sit bonum, ex propriis nostri liberi arbitrii uiribus efficere possimus, at speciali Dei auxilio nobis opus est, vt meritoriè operemur; neque ob id sequitur, hominē liberam non habere uolūtatem, et si gratia Dei egeat, vt opus meritoriè bonum efficiat, quoniam nec sola Dei gratia absque hominis libero consensu hoc efficere potest. At si dicamus, ibi nihil omne opus bonum, quodcunque sit illud, excludere, ita vt nihil boni aut naturaliter aut moraliter, aut meritoriè sine Deo operari queamus, tunc ita respondeo, nullum sanè opus bonum nos efficere posse absque Dei auxilio, aut generali, aut peculiari; etenim vt naturæ opera, aut quæ pertinent ad mores, exequamur, generali auxilio Dei egemus, vt autem opera meritoria efficiamus particulari Dei gratia nobis opus est, verum ad opera mala perpetranda nullo quidem pacto exigitur Dei concursus; sed ex nobis, & ex nobis solis est omne malum, vt inquit Deus apud Oseam cap. 13. *Perditio tua ex te Israel est, ex me autem salus.* Quamquàm igitur nihil boni facere absque Dei ope no-

bis datur, ob id tamen non necessario sequitur nos cogi, sed voluntariè cooperari. Quod vero secundo loco proponunt, ex variis sacrarum scripturarum locis desumptum vt Ieremiæ cap. 10. *Non est hominis uia eius ut ambulet & dirigat gressus suos*; vt Ioan. cap. 3. *Non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datum de cęlo*, vt posterioris epistolæ ad Cor. cap. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficiçntia nostra ex Deo est*; & cap. 1. epist. D. Iacobi. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à patre luminum.* Respondeo has omnes, & quàmplures alias huius generis auctoritates, hominis libertatem non auferre, sed eiusdem libertatis infirmitatem ostendere, quippe qui ex naturæ uiribus non dicam agere opera meritoriè bona, verum nec ad ea peragenda se disponere potest, absque peculiari Dei adiutorio, vel saltem absque generali Dei concursu, si de operibus tàm naturaliter, quàm moraliter bonis loqui velimus. Tertio adhuc loco illud Saluatoris nostri dictum apud D. Ioan. cap. 6. nobis obiiciunt, cum dicit, *Nemo uenit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum*; aiunt enim & præcipuè Lutherani ex his verbis omnem humani arbitrii libertatem auferri, existimantes huiusmodi tractum vim designare, quod esse falsum (nam diuinæ gratiæ efficacitatem solum præmonstrat) in superioribus sermonibus satis apertè demonstrauimus; quod sanè ita confirmare possumus, quandoquidem huic æterni patris tractioni, quam sæpe homines assentiri nolunt, ex quo non uiolenta, sed libera attractio esse conuincitur, vt inquit ipsemet Deus, Prouerb. cap. primo. *Vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis*. Demum insurgunt Hæretici illud Apostoli Rom. cap. 9. proponentes, cum inquit, *Non est nolentis neque currentis, sed Dei miserentis*; Si res igitur ita se habet, inquiunt ipsi, nonne homines absque arbitrii uoluntate, ex sola Dei gratia, salutem consequuntur æternam: verum toto cœlo errant; Apostolus enim in his verbis non de salute, sed de salutis initio loquitur; & hoc quidem iure optimo non ex nobis, sed ex sola Dei gratia esse ostendit; neque ob id negat ad eam assequendam liberum hominis assensum necessariò quoque requiri, cum alibi dicat, *Non ego solus, sed gratia Dei mecum.* nã ut meritoriè operemur, etsi tùm Dei gratia, tùm hominis arbitrium exiguntur, primo tamen Dei gratia opus est, mox verò libero hominis assensu; Sponsa igitur Christi Ecclesia Diuino spiritu ducta, postquàm Dei gratiam ad meritoriè operandum sibi necessariam postulauit, inquiens, *Trahe me post te*, vt liberam etiam hominis uoluntatem necessariam esse patefaciat, statim subinfert; *Curremus in odorem vnguentorum tuorum*; ac si dicat ò mi sponse, qui verus homo es, ac uerus Deus, tu

peculiari

peculiari gratiæ tuæ auxilio, *Trahe me post te*, & nos libero assensu curremus in multitudinem miserationum tuarum, ut tandem in cœleste regnum introducamur, & beatorum sedes occupemus.

LECTIO XXXIII.

Introduxit me Rex in Cellaria sua.



VONIAM (vt aiunt) omnis labor optat premium, & sponsa Dei Ecclesia, quæ est Iudæorum, ac Gentium Christi fidelium vnio, in eius vnguentorum odorem, vnà cum suis adolescentulis, diuina gratia tracta, atque suffulta, iàm satis cucurrerat, brauium sui cursus premium, suique laboris palmam consequi desiderans, à sponso Rege se in ipsius cellaria, vt regias ibi opes conspiciat, introduci exposcit, Audite, *Introduxit me Rex in cellaria sua*, Hæc autem auditores, tertia est ex illis septem postulatio, æqua sanè & honesta, quā in hoc primo Cantico peculiari sponsa Ecclesia à sponso Christo implorat: neque dramatis ordo mutatur, aut noua hic efficitur scena, cum nulla personarum mutatio fiat, sed quæ in secundi postulati scena personæ inductæ fuerant, eędem etiam nunc remanētes, semuicem compellant: digladiantur tamen huius Cantici canticorum interpretes, quamnam personam Ecclesia sponsa alloquatur, cum inquit, *Introduxit me Rex in cellaria sua.* & quam etiam puellæ vnanimes appellant, cum respondent, *Exultabimus, & lætabimur in te, memores uberum tuorum super uinum*, etenim Origenes, D. Hieronymus & D. Bernardus priora quidem verba ipsius sponsæ cum adolescentulis, & posteriora adolescentularum cum sponsa, vel etiam cum sponso esse opinantur; at Glossæ ordinariæ auctor, D. Thomas, Haymon, Iacobus Valentinus, & recentiorum nonnulli, in omnibus, tum prioribus, tùm posterioribus verbis, ipsam duntaxat sponsam loqui existimant: At Iacobus de Valentia omnia cum sponso à sponsa fieri putat: reliqui verò omnes, etsi posteriora cum sponso, priora tamen verba cum adolescentulis à sponsa haberi volunt: ego verò si inter tot tantosque viros quid sentiam proponere liceat, cuncta profectò verba cum sponso fieri asseuerarem, ita vt priora solum à sponsa, posteriora autem à sponsa simul & adolescentulis haberi dicerem, nam Ecclesia Dei, hoc est, omnium Christi fidelium vnio in eius cellaria primò se introduci à sponso Christo expostulat, dicens, *Introduxit me Rex in cellaria sua*, mox verò spem illuc se introduci debere certissimam habens, ac si re ipsa fuerit introducta, præ gaudio gestiens, vnà cum suis adolescentulis eundem sponsum Christum affatur, & inquit

& inquit, *Exultabimus & lætabimur in te.* Ita inquit Origenes, *Introeunte sponso, foris remanent adolescentulæ, sponsa verò speciosa, perfecta, sine macula, sine ruga, in sponsi cubiculum ingressa, reuertitur ad Iuuenculas & nunciat omnia quæ sola conspexerit, dicens, Introduxit me rex in cubiculum suum. Rursus autem adolescentulæ, hoc est, Christi fidelium incipientium turba quàmplurima, dum sponsæ perfectione lætantur, quæ in regni penetralia ingressa, viri sui diuitias uidet; concinunt, & aiunt, exultabimus, & lætabimur in te, &c.* Ita inquit D. Hieronymus, *sponsa Ecclesia introductam se dicit à sponso Rege in cubiculum suum, ut ibi uideret cunctas opes regias, quæ uerò sequuntur, exultabimus & lætabimur in te, uidentur ex persona adolescentularum dici à sponso petentium ut quemadmodum sponsa consequuta est quæ sunt perfecta, ita ipsæ etiam suum implere cursum, & peruenire usque ad regis cubiculum mereantur. Vel etiam ad sponsam potest dictum uideri ab adolescentulis congratulantibus ei, atque optantibus ut eius exultationis, & lætitiæ participes fiant*; ita inquit Diuus Bernardus. *Dicit itaque sponsa adolescentulis, gaudete, & confidite, Introduxit me rex in cellaria sua, sed audi quid illæ respondeant sponsæ. In te, inquiunt, exultabimus, & lætabimur, memores vberum tuorum super uinum.* Sed accedamus ad alteram Sanctorum patrum interpretationem. Ita inquit D. Thomas cui assentitur etiam Haymon: *Hic loquitur sponsa de Christo sponso ad animas fideles, cum dicit: Introduxit me Rex in cellaria sua, cum uerò subinfert, exultabimus, & lætabimur in te, ad sponsum Christum loquens ait. In te, non in nobis, de tuis donis exultabimus & lætabimur.* Ita inquit Glossæ ordinariæ auctor, *Sponsa egressa è cubiculo sponsi, sodalibus suis sua nunciat gaudia, & uoluptatem, quam ex consuetudine sponsi accepit, inquiens, Introduxit me Rex in cubiculum suum, reliquis uerò uerbis suo, & adolescentularum nomine ad sponsum conuersa, ipsi gratias agit dicens, exultabimus & lætabimur, &c.* Ita inquiunt iuniores nonnulli; *Sponsa ad sodales conuersa, quas in eandem spem secum erigere cupit, & ad currendum alacres reddere, eas sic alloquitur: Introduxit me rex in cellaria sua, tunc ad sponsum conuersa se suasque socias nunquàm ingratas, aut ingentium beneficiorum, quæ ab ipso expectant, fore immemores pollicetur, & ait, Exultabimus, & lætabimur in te.* Ita demum inquit Iacobus Valentinus. *Petit sponsa se introduci in Thalamum secretorum sui sponsi Christi, quasi dicat, o sponse Christe, si introduxeris me in cellaria tua, tunc nos omnes fideles memores uberum tuorum super vinum, Exultabimus, & lætabimur in te.* Et quamquàm vna ex parte quàmplures huius libri interpretes. Vt Origenes D. Hieronymus, D. Gregorius, D. Bernardus, Hugo Cardinalis, & Glossæ ordinariæ auctor, existiment sponsam Christi Ecclesiam,
nihil

nihil in his verbis à suo sponso petere, sed sua Iuuenculis gaudia nunciare, quòd sui laboris consequuta iam palmam, à sponso rege in eius cubiculum introducta fuerit, vt ibi regias opes videret, cùm verbo sub præterito tempore accepto vtatur, inquiens. *Introduxit me Rex in cellaria sua*; & ex altera parte D. Thomas, Doctus Haymon, & iuniorum aliqui, putant ipsam Ecclesiam vbi vidit se manu consertam, à sponso trahi in aulam regiam, in tam magnam, certamque spem vnà cum toto adolescentularum choro, eo perueniendi erectam fuisse, vt id quod futurum sperabat quasi præteritum credens, ac si re ipsa illud impetrarit, iàm iã in regis penetralia se admissam arbitretur, maximaq; cum voluptate illius arcana se prospicere dicat, de more eorum, qui cum certa alicuius rei potiundæ quàm maximè optant spes illis affulserit, præ gaudio gestientes exiliunt, & se rem illam iàm possidere sibi gratulantur, ut sæpe duces vbi comodam pugnandi occasionem nacti fuerint, magna concepta uictoriæ potiundæ fiducia, quo sibi & militibus ad fortiter pugnandum, addant animos, statim in ingressu pugnæ exclamare solent. *Vicimus milites, uicimus*, quod exclamasse ferunt Lucullum contra Mitridatis, & Tigranis copias pugnaturum; ipsa igitur sponsa, ut quidam recentiores astruunt, ad sodales conuersa, quas in eandem spem secum erigere cupit, & ad currendum alacres reddere, mirabili futuri temporis in præteritum immutatione eas sic alloquitur. *Introduxit*, hoc est, proculdubio *introducet me Rex in cellaria sua*. ac si dicat ò sociæ bono este animo, & ad currendum post sponsum vos accingite, in eius namque cellaria iam introducta per fidem, & spem, quandoque vna vobiscum introducar reipsa. Ego tamen Iacobi Episcopi Christopolitani sententiam tenens, arbitror sponsam Christi ecclesiam neque suis adolescentulis, quæ foris remanserint nunciare, se in sponsi regis cellaria reipsa introductam fuisse, vt quàmplures illi censent interpretes, neque sodales suas compellare, easque alacres ad cursum reddere, quod certissimam vna cum illis in sponsi cubiculum ingrediendi spem habeat, vt ipsi iuniores vnà cum D. Thoma & Haymone existimant, sed Christum sponsum alloqui, in eiusque penetralia se introduci ab ipso flagitare, quòd tertium est postulatum, cuius in hoc præcipuo cantico, se voti compotem fieri sponsa implorat, etenim, vt optime Iacobus animaduertit, in Hebraico textu legimus non *Introduxit*, at *introducat*; quod futurum est, non indicatiui modi, vt aiunt recentiores, qui *introducet*, legendum esse putant, sed optatiui modi, Ita inquit Valentinus Episcopus; *Petit sponsa se introduci in Thalamum sponsi Christi*; Litera verò Hebraica habet; *Introducat me Rex in domos suas secretas*; hoc est, vtinam sponsus meus introducat me in cellaria sua. Hæc igitur postulatio, cum

duabus

duabus superioribus, ita cohærere mihi videtur, vt postquam sponsa æternum sponsi patrem rogauit, vt osculo oris sui illam oscularetur, & post sui sponsi tergum se trahi petiit, vt unà cum suis adolescentulis in eius unguentorum odorem curreret; nunc tertio loco sui cursus præmium expectans, in sponsi regis cellaria se introduci postulet, vt suis cum Iuuenculis exultet, sponsi vberum memor super vinum. Verum illud mihi non parum difficultatis affert, quòd ipsa non in cellarium sponsi, sed in cellaria se intromitti exposcit, innuens, non unum sed plura esse Christi cellaria, licèt enim me non lateat in Codice Græcorum patrum, et potissimum Origenis, quem Diuus Hieronymus sequitur, ita legi, *Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Hebræi tamen, atque Latini plurium cellariorum numero vtentes, aut inquiunt. *Introducat me Rex in domos suas secretas;* vt Hebræi, aut aiunt, *Itroduxit me Rex in cellaria sua*; vt Latini patres; si vnum igitur est Christi cubiculum, quomodo sunt plura cellaria? & si plura sunt eius cellaria, quomodo vnum est cubiculum? Quid dicemus auditores? id quod uerum est, nimirum, & unum, & plura esse Christi cellaria, quod ut dilucidius percipiatis, quid per Christi cubiculum, aut domos, aut cellaria, ipsi explicatores intelligant præsciendum vobis est; Quidam enim vt Diuus Gregorius, & Rupertus Abbas, cum nonnullis recentioribus, sacrarum omnium scripturarum Thalamum, per Christi cellaria intelligi volunt, vbi sacra, & augusta Christi mysteria continentur, ita inquit D. Greg. *Quid per huius sponsi, qui Rex est, cellaria intelligemus, nisi sancta scripturæ arcana, quæ rimamur; nisi sanctæ contemplationis mysteria, quorum delicijs si reficimur, mox côualescimus;* ita inquit Rupertus Abbas, *& quæ sunt illa cellaria regis Dei; nimirum sacra mysteria, quæcunque continentur in scripturis sacris: nam ista cellaria preciosiora sunt, & meliora cellis aromatum, argenti, auri, & odoramentorum.* Ita inquiunt recentiores interpretes, sponsi cubicula siue cellaria sacræ scripturæ arcana sunt, quæ rimari non licet nisi ei, qui mundana prosus horruit, & sponso Christo toto adhæsit affectu. Alii verò, vt Iacobus Valentinus, & recentiorum nônull, Regis cellaria sacrosanctum Christi euangelium dicunt esse, ubi diuina mysteria, primum in veteri testamento sub uariis figurarum velaminibus abscondita, nunc omnibus reserata habentur, iuxta illud D. Matthæi capite 13. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis,* ita inquit episcopus Valêtinus. *Vtinam sponsus meus introducat me in cellaria sua, vbi sacra reperiuntur mysteria noui testamenti, velata in ueteri lege sub umbra cærimoniarum, hanc enim ueritatem Euangelicam ibi latentem sponsa desiderabat scire in aduentu sponsi,* ita inquiunt Iuniores interpretes, *primum quidem euangelium penetralia*
regis

Regis meritò dixeris,propterea quod ibi ille Rex conspicitur, in quo vt ait Apostolus sanctus Collossensium cap. 2. *Omnes thesauri sapientiæ, & scientię Dei sunt reconditi.* Aliqui autem vt D.Bernardus,& Hugo Cardinalis,Christi regis cellaria, varias esse putant sacrarum scripturarum notiones seu varios sensus,historicum nempe,& mysticum,qui diuiditur in Tropologicum,Allegoricũ,& Anagogicum,ita inquit D.Bernardus: *Tria in hoc opere sponsi loca inueniuntur,hortus,cellarium,et cubiculum, sit itaque hortus,simplex ac plana historia,sit cellarium,moralis sensus,sit cubiculum,arcanum Theoricæ contemplationis:& quoniam cellaria dixit, non cellarium,ut tres cellas in uno cellario esse scias, primam nuncupauerim disciplinæ,secundam naturæ,postremam gratiæ;* ita inquit Hugo Cardinalis, *Cellaria sunt diuersæ intelligentiæ sacræ scripturæ;Primum cellarium est Historia,quæ est quasi cella palearia, cibum continens iumentorum;Secundum est Tropologia,vbi tres sunt cellæ,prima est frumenti,uini, & olei,ad reficiendum,secunda pigmentorum, & aromatum ad delectandum,tertia vnguentorum ad medendum,& sanandum,moralitas enim reficit comedentes,delectat audientes,& sanat vtentes;Tertium cellarium est Allegoria,quæ continet arma militãtium,scuta videlicet aurea,loricas,& lanceas,quæ sunt mysteria Christi,& Ecclesiæ militantis; Quartum denique cellarium est Anagogia,quæ non nisi aurum, & preciosos lapides continet,agit enim tantum de Ecclesia triumphante.*

Prætereà nonnulli sunt, vt Hugo Cardinalis, & Iacobus episcopus Christopolitanus, qui per Christi cellaria, ecclesiam quoque militantem exponunt,vbi etsi vna est catholica,& generalis omnium Christi fidelium ecclesia,plures tamen adsunt ecclesiæ particulares,ita inquit Hugo. *In cellaria sua,* hoc est, *in præsentem Ecclesiam,& plura dicit esse cellaria, quia multæ sunt Ecclesiæ singulares, quàmuis vna sit vniuersalis,* ita inquit Iacobus Valentinus. *Vnum Christi cellarium est in hoc sęculo, in quo reponuntur vasa gratiæ sacramentorum plena,& secreta sacræ scripturæ.* Demum non pauci sunt vt Origenes,D.Hieronymus, Hugo Cardinalis, D.Thomas, Haymon, & Episcopus Christopolitanus, qui per Christi cubiculum,aut cellaria,cœleste regnum,hoc est, beatorum Ecclesiam Triumphantem intelligi putant, vbi multæ sunt mansiones, vt ait Christus D.Ioannis ca. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt,* ita inquit Origenes. *Introeunte sponso in cubiculum suum,forinsecus remanent adolescentulæ,sponsa verò speciosa, & sine macula in regium penetrale ingressa,reuertitur ad Iuuenculas, & nunciat eis, quæ sola conspexerit, iuxta illud Apostoli dictum.Cursum consummaui,fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona Iustitiæ;* Ita inquit Diuus Hieronymus, *Sponsa sui laboris consequuta iam palmam, introductam se dicit à sponso Rege in*

eius cubiculum, ut ibi uideret cunctas opes regias, & hęc illa sunt quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se, Ita inquit Hugo, *Introduxit me Rex in Ecclesiam Triumphantem spe, tandem re introducēdam: dicit autem plura ibi esse cellaria, propter omnimodam bonorum copiam quæ ibi est.* Ita inquiūt D.Thomas, & Haymon. *Cellaria Dei sunt æterna beatitudo, & supernæ patrię gaudia, in quæ iam introducta est ecclesia per fidem, & spem, quandoque autem introducetur per rem.* Ita demum inquit Iacobus Valentinus: *Habet alterum cellarium Christus sponsus, scilicet gloriæ, in quo reponuntur omnia bona ęternę beatitudinis.* Ego verò per sponsi regis cellaria, cum ecclesiam triumphantem, tùm militantem, tùm etiam hunc totum mundum explicari posse existimo. Hæc enim tria sunt Dei cellaria, Paradisus, Ecclesia, Mundus totus, in quorum vnum, & alterum sponsa ecclesia iamiam se introductam videns, in tertium, & postremum quod est beatorum spirituum cellarium, se introduci expostulat, inquiens, *Introduxit me Rex in cellaria sua*, sicuti enim tria sunt bonorum genera, non dico animi, corporis, & fortunæ, sed naturæ, gratiæ, & gloriæ, quib. Rex noster Deus, nos homines magnificè donat, splendideq; exornat: ita sunt tria ipsius Regis cellaria, in quorū vno bona naturæ, in altero Thesauri gratiæ, in postremo diuitiæ gloriæ continentur: in hoc mūdo naturę bonis donamur, in ecclesia gratiæ Thesauros recipimus, & in paradisu gloriæ diuitias perpetuo possidemus; rem adhuc manifestius explico, In mundi cellarium oēs homines, & fideles, & ethnici, & boni, & praui, absq; vllo personarum discrimine introducuntur à Rege: *Qui Solē suum facit oriri super malos & bonos, & pluit super iustos, & iniustos*, vt legitur apud D.Matth.c.5. In ecclesiæ verò cellarium homines duntaxat Christi fidē tenētes, siue sint boni, siue mali, habent ingressum: *Cum simile sit regnum cęlorum*, quod est huius sęculi Ecclesia, *decē Virginib. quarum quinque fatuæ erant, & quinque prudentes*, D.Matth.cap.25. & tandem in cœlestis Paradisus cellarium illi solum intromittuntur, qui fidem cum bonis operibus iunctam habentes, vsque in finem boni esse perseuerarunt; iuxta illud Dauidis dictum in Psalmo 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam*, ò pulcherrima, ò magnificentissima, ò locupletissima Regis nostri cellaria, Paradisus, Ecclesia, & totus mundus; *Introduxit me Rex in cellaria sua:* Hinc sanè Auditores factū esse censeo, vt D.Hieronymus hom. prima super Cantica canticorum ea, qua solet ingenii perspicacitate inuestiget, quænam caussa Christi sponsam induxerit, vt virum suum Christum, non sponsum in hoc loco, non osculum, non oleum effusum, non amicum, vt ei mos est, sed Regem appellet, quod nomen est illustre, &

Augustum, audite quid ipse dicat: *Non mihi vacuum videtur, quod cum potuisset dicere sponsa, Introduxit me sponsus, aut frater meus, aut aliquid huiusmodi, nunc quia Cubiculum dictura erat, Regis dixerit cubiculum, ne que aliud nomen posuerit*, cuius difficultatis rationem adhibens, inquit: *Propterea arbitror in his regem Christum nominatum fuisse, ut hoc nomine ostenderetur prædiues eius cubiculum, utpotè regium, multis atque immensis opibus repletum*; proh Deum immortalem, & quonam loci bona sunt locupletiora, Thesauri pretiosiores, diuitiæ ingentiores, quàm in Paradisu, in Ecclesia, in hoc mundo? Christus igitur Dominus noster, Rex est, Rex inquam naturæ, gratiæ, & gloriæ, sicuti tria sunt eius regna, seu cellaria, in quorum vnum, & alterum ipsius sponsa iàmiàm re ipsa introducta, in tertium & postremum, quod est reliquorum duorum augustissimum, se introduci à sponso Rege exposcit, dicens, *Introduxit*; hoc est, *introducat me Rex in cellaria sua*.

LECTIO XXXIIII.

Introduxit me Rex in Cellaria sua.

TRIA sunt, vt audistis, Christi regis cellaria, Paradisus, Ecclesia, & Mundus totus, in quæ nos homines introducti, triplici bonorum genere, naturæ scilicet, gratiæ, & gloriæ à Deo Opt. Max. donamur, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum: Hæc autem cellaria Christi vnigeniti Dei filii esse dicuntur, quandoquidem, vt Apostolus ait cap. 1. epistolæ ad Hebræos, *Deus constituit ipsum hæredem uniuersorum*, *qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portat omnia uerbo uirtutis suæ, sicuti in ipso condita sunt uniuersa in cœlo, & in terris, uisibilia & inuisibilia*, ex eiusdem Apostoli testimonio Colossensium cap. primo: & ut à primo Christi regis cellario, quod est totus hic mundus, exordium sumam, augustum profectò est hoc cellarium, quod ex absoluta perfectaque illius elegantia Græci κόσμον, Latini verò mundum siue ornatum appellarunt, hoc verò tàm magnum ac mirificum Dei opus, non est vt quæramus ex quanam materia Deus effecerit, omnia namque in temporis exordio ex nihilo prorsus fecit; nec audiendi sunt Poetæ, aut inepti Philosophi, qui dicunt Chaos in principio fuisse, idest confusionem rerum atque elementorum, postea verò Deum seu mentem, omnem illam congeriem diremisse, singulisque rebus ex confuso aceruo separatis, in ordinemque descriptis, mundum instruxisse pariter & ornasse. Nec standum est etiam Academicorū instituto, qui Deum nihil efficere

posse credunt, nisi ex aliqua subiecta materia, quam non ipse faciat, sed ea parata vtatur:nequaquam Domini ita res se habet,nam si materia facta non est à Deo,nec Terra quidem,& Aqua,nec Aër,& Ignis,à Deo facta sunt,omnia igitur in hoc mundi cellario fecit Deus ex nihilo in temporis initio.

Huius autem cellarii tres præcipuas esse partes,auctores celeberrimi tradidere,quas tres mundos nuncupauit antiquitas, supremum videlicet,medium,& infimum.Supremus omnium est vltramundanus, quem Theologis Angelicum,Philosophis verò intellectualem appellare mos est,cuius in Phędro meminit Plato,illum astruens,non posse vlla verborum copia,aut vlla ingenii præstantia satis pro dignitate efferri,ac decantari,quod Diuus etiam Dionysius libro de cœlesti Hierarchia cap.primo asseuerans aiebat,*Neque possibile est humanæ menti, ad spiritalem illam beatorum spirituum intelligentiam conscendere, nisi ad hanc mortalium rerum similitudinibus,formisque ducatur*; neque enim pretiosis lapidibus, aut fulgentibus gemmis hæc mundi pars suprema exornatur, sed beatissimis mentibus, & simplicissimis, singulari præditis puritate, nullis figuris vmbratis,ab omnique prorsus materiæ admixtione secretis,decoratur,quippe quę sacris eximiæ intelligentiæ fulgoribus illustratæ,geminaque cognitione,vespertina scilicet, & matutina imbutæ,perpetua intentione, miraque voluptate in Deum Opt. Max. tanquam in primum intellectum,& amatum efferuntur;Et quàmquàm si Theologicè loquamur, innumeræ ferè sunt hæ simplicissimæ mentes, in tres tamen Hierarchias distinctæ, ternas tertiò repetitas distinctiones, ad sanctissimæ Trinitatis imaginem designandam constituunt,ita vt in prima, vt D.Dionysio ibidem cap.6.placet,Seraphin,Cherubin,& Throni,collocentur,in media verò,Virtutes,Dominationes,ac Potestates reponantur;& demum in extrema,Principatus,Archangeli,& Angeli contineantur,nam sicuti variæ sunt harum cœlestium substantiarum functiones, variaque officia,ita variæ ex illis constituuntur Hierarchiæ, variique ordines,cùm alii purgent,alii purgentur, hi perficiant, illi verò ad perfectum ducantur, quidam mysteriis sacris imbuantur, & aliqui doctrina salutari illuminentur, quinimmo suprema Hierarchia soli vacat contemplationi,& Deum perenni voce collaudat; media verò cœlestibus officiis,Deique ministerio delegata est;& postrema curat ea,quæ sub cœlo sunt, aut enim circa Respublicas, & Reges versantur illæ mentes, vt Principatus,aut circa mysteria sacrasque ceremonias, vt Archangeli,aut circa res priuatas,& singulorum hominum custodiam,vt Angeli;cumque tres sint illarum mentium præcipuæ actiones, purgatio nimirum,illuminatio,& perfectio, infima Hierarchia purgat, media illuminat,&

nat,& ſuprema perficit, & tandem vnicuique hoc modo vel illo diuina conuenit imitatio. Pulcherrima igitur eſt, & Auguſtiſſima Chriſti Regis cellarii, quod eſt totus hic mundus, pars ſuprema, intellectualis ſcilicet, Angelica, vltramundana; ſed accedamus ad alteram partem cellarii, quæ media eſt, & mundus cœleſtis appellatur, etenim pulchra etiam eſt, & auguſta media huius cellarii pars, quippe quæ corpus naturale eſt, omnium corporum perfectiſſimum, quod ſi materia eſt affectum, illam tamen ab hac elementari diuerſam, nullam priuationem, nullamque potentiam, niſi vnde, & quò ſibi annexam continentem habet, cum ex ſeipſa actu exiſtat, nec aliundè ſuum eſſe præſtolctur; vt igitur ſummus ille opifex hanc ſui cellarii partem mediam excultam redderet, ſphęrica forma, quæ omnium perfectiſſima eſt, illam figurauit, decemque perpetuis, & ampliſſimis globis inſigniuit, quorum nouem, vt Lunæ circulus, Mercurii atrium, Veneris currus, Solis orbis, Sphæra Martis, Iouis ſolium, Saturni Thronus, Cœlum ſtelliferum, & Globus chryſtallinus vniformi ac ſempiterno motu in gyrum cientur, aut ab Oriente in occaſum ſuper polos mundi, & cœlum ſtelliferum, aut ab occaſu in Orientem ſuper polos Zodiaci, vt ſeptem planetarum orbes, aut trepidationis (vt inquiunt) motu perpetuò agitatur vt globus chryſtallinus, Decimus verò omniumque ſupremus orbis, qui beatorum ſpirituum ſedes eſt, & Empyreus, hoc eſt, igneus, non ab ardore, vt aliqui volunt, ſed à ſplendoris potius exuberantia vocatur, fixus manet, & omnino quietus. Has autem decem mundi cœleſtis ſphæras, Iſaac Philoſophus Hebręus, vt Ioannes Picus Mirandulæ Comes, in ſuo Heptaplo refert, à Zacharia Propheta figuratas fuiſſe exiſtimauit per Candelabrum aureum, ſeptem lucernis diſtinctum, habens lampadem ſuper caput eius, & ſuper lampadem duas oliuas; cum enim ſeptem ipſius Candelabri lucernæ, ſeptem cœli planetas pręmonſtrent, & lampas ardens ſtelliferum orbem, tot fulgentem luminibus deſignet, per duas etiam oliuas ſuper lampadem poſitas, nonam & decimam ſphæram, hoc eſt, globum chryſtallinum, & Empyreum cœlum indicari poſſe aiebat; nam ſicut ex oliuis oleum ad lampadem defluit, & hinc ad lucernas pro luminis alimento, ita à ſupremis illis duabus ſphæris in orbem ſtelliferum, & hinc in ſeptem planetarum orbes, lux omnis, omniſque motus emanat, & conſeruatur, vt huius mundi Elementaris virtus inde regatur, & gubernetur; ſicuti namq; in minori mundo, ſi cordis motus deſinat, omnes etiam animalis motus perire neceſſum eſt, ita ſupremi cœli motu lumineque ceſſante, quod reliquos orbes mouet, & illuſtrat, nec cæteri mouentur aut illuſtrantur, quandoquidem cœlum in cauſſa eſt, vt in hoc mundo inferiori omnia generentur, nutriantur, creſcant, & conſeruentur, ipſum inquàm cœleſte

corpus, nec leue, nec graue, nec calidum, nec frigidum, nec humidum, nec siccum, nec denique vlli subiectum transmutationi, nisi sphæricæ lationi, harmonica quadam vnione, mirabilique concentu omnia firmat, fouet, regit, & moderatur: Quocirca optime dicebat Aristoteles octauo libro de Physico auditu, Motum primi cœli omnibus esse vitam, cùm ab illo cæteri motus & ordinentur, & excitentur: hæc igitur auditores primi Christi cellarii, hoc est totius mundi pars media, orbiculari forma figurata, decem amplissimis spheris insignita, disparibus, at vniformibus, sempiternisque mutationibus excitata, tot tantisque sideribus, tum errantibus, tum certis infixis sedibus, quasi tot fulgentibus gemmis decorata, duplici operatione, hoc est, motu & lumine, in hæc agit inferiora, omniaq; mouet, & illustrat. At descendẽdum iàm nobis est ad infimam Christi cellarii partem, quàm nos incolimus, & mundum vocamus Elementarem; hanc enim partem ineffabili sua virtute Rex noster adeò excellenter fabrefecit, atque distinxit, vt suspensis in altitudinem leuibus Elementis, Aere scilicet, & Igne, & grauibus in ima depressis, Aqua videlicet & Terra, ortus, interitusque receptaculum illam effecerit; ex qua ratione factum esse arbitror, vt Hierocles Pythagoræ interpres, hunc quaternarium elementorum numerum tanti fecerit, vt eum opificem & rerum omniũ caussam esse asseruerit: & licèt hæc quatuor infimæ mundi partes elementa, contrariis sint affecta qualitatibus, calore scilicet, frigore, humiditate, & siccitate, quibus inter se pugnare videntur, tanta tamen est eorum harmonia, vt ea lege inter Ignem, & Terrã, Aqua, & Aer interiectæ sint, vt quemadmodum se habet Ignis ad Aerem, ita se habeat Aer ad Aquam, & Aqua ad Terram, & rursus sicut se habet Terra ad Aquã, ita se habeat Aqua ad Aerem, & Aer ad Ignem, & hoc pacto in discordi concordia, consonantique contrarietate perpetuò viuunt, & magna in corporibus mixtis, suisque in locis quiescunt suauitate. Hinc Boetius canebat.

Tu numeris elementa ligas, vt frigora flammis,
Arida conueniant liquidis, ne purior ignis,
Euolet, aut mersas deducat pondere terras.

Taceo nunc auditores, hanc mundi partem Elementarem, à Deo Opti. Maximo variis creaturarum generibus, quasi innumeris ornamentis insignitam fuisse, hoc est, tot fontibus, tot fluminibus, tot lacubus, tot stagnis, tot maribus, tot syluis, tot pratis, tot montibus, tot collibus, tot agris, tot gemmis, tot metallis, auro præsertim, & argento, tot herbis, tot floribus, tot frondibus, tot arboribus, tot plantis, tot denique animalibus volatilibus scilicet, natantibus, & terrestribus, quæ varia creaturarum genera, quibus quasi tot Phrygiis operibus, hic orbis inferior circumor-

cumornatur, ad vnum quendam totius mundi decorem, ita cōcurrunt, vt nihil ſubtrahi poſſit, nihil addi, quinimmo nulla ſit ars, ratione huma- na inuenta, quæ tàm venuſtè tamquè politè, non dicam hæc efficere, ſed pingere aut fingere queat; Reſpicite quæſo auditores hanc mundi machinam inferiorem in quatuor principes partes diſtributam, Eurum, Zephyrum, Auſtrum, & Boream; perpendite obſecro has temporum commutationes quadripartitas, ad frugum maturitatem, & ad corpo- rum temperationem maximè aptas, quæ ſunt Ver, Aeſtas, Autumnus, & Hyems, ex quibus oritur fauor ad quadruplicem ſubſtantiam, nem- pe corpoream, vegetantem, ſentientem, atque intelligentem, & quam- quàm duæ huius globi partes incultæ iacent, quòd aut frigore rigeant, aut vrantur calore, hic tamen, vbi nos habitamus, non intermittit ſuo tempore cœlum niteſcere, arbores frondeſcere, vites pampinis pubeſce- re, ramos baccarum vbertate incurueſcere, ſegetes largiri fruges, florere omnia, fontes ſcatere, herbiſque prata & floribus circumueſtiri, dicam e- tiam tanta brutorum animalium multitudine Deum Opt. Max. hunc mundum Elementarem locupletaſſe, vt partim ad veſcendum, partim ad corpora veſtienda, partim ad vehendum, & partim ad agrorum cul- tum conſtituta, ferè innumera ſint, & licèt ex variis ſeminibus oriantur, diſtinctiſque prædita ſint figuris, certa tamen via, congruiſque ordini- bus, certos ac determinatos terminos petunt. O præclaram & egregiam huius primi cellarii, quod eſt totus mundus partem Elementarem, cu- ius ea ſunt decora & ornamenta, vt nullus vnquàm pro dignitate, non dicam hæc enarrare, at ne ſatis quidem admirari poſſit. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Hoc igitur eſt auditores primum Chriſti Regis cella rium, nimirum, hæc tota mundi machina quam in tres principes partes, Angelicam videlicet, cœleſtem, & elementarem diſtinxit antiquitas, à Moſe, vt ego cenſeo ſatis commodè figuratas, per illius admirabilis ta- bernaculi ſtructuram, quod in tres etiam partes diſtinctum fuit, qua- rum ſingulæ, ſingulas quas diximus mundi partes, commodius, ac fa- ciunt, repræſentare non poſſent; legimus enim primam Moſaici taber- naculi partem, nullo tecto defenſam, imbribus, niui, calori, frigoriq́ue obnoxiam fuiſſe, quam omnifarii generis animalia, homines mundi, & immundi inhabitabant, & hæc mundi Elementaris ſimulachrum erat, re liquæ verò duæ tabernaculi partes obtectæ erant, & omni peregrina in iuria liberæ, ſicuti & mundus cœleſtis, & Angelicus nullius capaces ſunt contumeliæ, aut iniuriæ, & quemadmodum licèt ambæ tabernaculi partes rei ſanctæ nōie cohoneſtarentur, tertia tamen pars ſancta ſancto rū appellabatur: ita etiam, quamuis hic mundus vterq́;, cœleſtis ſcilicet, & Angelicus, ſanctus ſit, cum ſuprà Lunam poſt ſuperbi Luciferi caſum,

nulla peccati labes, aut sit, aut esse possit, Angelicus tamen, cœlesti longè purior est atque sanctior; secunda igitur Tabernaculi pars tota auri fulgore splendebat, candelabrumque septem distinctum lucernis continebat, & mundus cœlestis innumeris ferè syderibus, præcipuè verò septem planetarum Astris, quasi tot fulgentibus gemmis resplendet: in tertia demum parte omnium sanctissima alati Cherubin erant, & in mundo intellectuali adsunt beatissimæ Angelorum mentes. O Pulchrum Christi Regis cellarium, immò verò ò Augustum Dei Opt. Maximi Palatium, cuius aurea tecta sunt cœlestes orbes, solidum pauimentum immobilis terræ globus, firmi parietes montes, ampla cęnacula, atria, pulchra cubicula, colles, eminentes ac luminosæ fenestræ, micantia cœli sydera, amęna viridaria, prata, immensæ piscinæ, flumina, perennes fontes, maria, immensæ diuitiæ, absconditi Thesauri, Gemmæ, Metalla, & demum vigiles illius custodes, sunt angelici spiritus, & Deus ipse, vt ait Dauid in Psalmo 126. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Et quid mehercule pulchrius, quid augustius hoc Christi Regis cellario, quod est totus mundus, aut oculis cerni, aut mente concipi potest? *Introduxit me Rex in cellaria sua.*

In hoc autem mundi cellarium tunc Rex noster hominem introduxit, cùm cæteris iam rebus omnibus extrema manu imposita, illum iàm postremum manuum suarum opus, cuius caussa facta sunt omnia, ex limo terræ figuratum, ad imaginisque suæ exemplar, quo nihil esse potest perfectius, effectum, in delitiosissimum voluptatis paradisum induxit, vt ibi quasi in domo iàm parata & instructa, tot tantisque naturæ bonis recta ratione vteretur, ac reliquis omnibus creaturis, quæ illius tutelæ atque vsui datæ sunt, dominaretur, quod non solum Catholici patres asseuerant, vt Moses cap. primo Genesis, dicens. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, masculum & fœminam creauit eos, benedixitque illis, & ait, dominamini piscibus maris, volatilibus cœli, & bestijs terræ*, sed Ethnici quoque Poetæ fatentur, vt Ouidius primo libro Metamor. inquiens.

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est;

Natus inquam homo est, sensibile Dei simulachrũ, angelorum familiaris, Rex mundi inferioris, naturæ interpres, magister artis, interstitiũ temporis, & æternitatis, & mundi Hymenæus. *Introduxit me rex in cellaria sua*; Hoc sanè mundi cellariũ, non propter seipsum Deus effecit, quippe qui bonis eius non indiget, & est perfectè beatus sine mundo, sicut fuit ante mundum, neq; dici potest; quod mundus propter ipsum mundum

fue-

fuerit fabrefactus à Deo, quandoquidem nec calore Solis, nec Lunæ lumine, nec aspiratione ventorum, nec humore imbrium, nec alimonia frugum mundus, qui caret sensu, indigere potest; at propter hominem qui ex rebus configuratus diuersis, animo scilicet & corpore, æterno ac temporario, his omnibus eget, mundum constructum fuisse credendum est: ita inquit D. August. *Omnia fecit Deus propter hominem, & hominem propter seipsum*, ita etiam inquit Lactantius Firmianus lib. 2. de origine erroris, c. 6. *Atqui vt domus vnius hominis habitaculum est, & Vrbs vnius populi, sic & mundus est domicilium totius generis humani, cum Deus omnia nostri caussa fecerit*, vt scilicet esset qui opera Dei intelligeret, & intellecta tum sensu admirari, tùm voce proloqui posset, & ita per hæc quæ facta sunt, inuisibilia Dei, ipsumque Deum intelligeret, & amaret. Nonnè res ita se habet? ita Domini: nam creauit Deus Angelos vt hominem custodiant, cœlestia corpora, vt motu lumineque in eius corpus, quicquid opus est, influant, elementa hoc est ignem, qui eum calefaciat, & ab hyemis frigore tueatur; Aerem vt refrigeret & vitalem spiritum illi tribuat; Aquam vt ipsius corporis maculas tergat, & ignis impetum restinguat, terram vt vbertate frugum, herbarum, & animalium ipsi alimoniam administret, omnia demum creauit Deus propter hominem; hinc natura omnis, & Deus ipse vniuersæ naturæ princeps, se quodammodo, vt ita dicam, exinanire videntur, vt hominem tot tantisq; perfectionibus & ornamentis insignitum reddant, etenim terra illi carnem largitur, Aqua humorem, Aer anhelitum, Ignis vim agendi, Luna motum, Mercurius artem, Venus gratiam, Sol vitam, Mars robur, Iupiter virtutem, Saturnus firmitatem, Cœlum stelliferum ardorē, Globus chrystallinus refrigerationem, & Empyreum cœlum splendorem: Quinimmo Angeli fidam illi præstant custodiam, Archangeli lucem, Principatus dominium, Potestates securitatem, Virtutes fortitudinem, Dominationes magnificentiam, Throni quietem, Cherubin scientiam, Seraphin amorem, & Deus ipse pulcherrimam sui imaginem, & similitudinem illi tribuit. Quamobrem homo in hoc mundi cellarium à Deo Opt. Max. introductus, iure quidem optimo inter tot tantaq; naturæ bona, quibus hic iucundissimè fruitur, exultat, & lætatur, exultat inquàm interius, & lætatur exterius, exultat animo, & lætatur corpore, exultat spiritu, & lætatur sensu, tot gratiarū, totq; beneficiorum memor. *Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.* O admirabile Christi Regis cellarium, dignum sanè diuina illa potentia, quæ illud ex nihilo fabrefecit, dignum summa illa sapiētia, quæ illud ita perfectè disposuit, dignum denique bonitate illa infinita, quæ illud prouidentissimè regit, & gubernat.

LECTIO

LECTIO XXXV.

Introduxit me Rex in cellaria sua.



HRISTI profectò Regis nostri, & nullius alterius Regis est, hoc amplissimum totius mundi cellarium, quod ipse in temporis exordio, cùm sibi placuit ex nihilo prorsus creauit, vt cecinit Dauid in Psalmo 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli;* Taceant igitur nefarii illi hæretici, vt Simon Magus, Pseudoapostoli, Manichæi, & alii quàmplures, quorum memini in præcedentibus sermonibus, qui ad tantam deuenerunt stultitiam, vt non solum contrà fidem catholicam, quæ in Symbolo Nicæno quotidie canit, *Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.* Verum etiam contrà naturalis, & Peripateticæ philosophiæ principia quæ 12. libro Metaph. in fine exclamat, *Non est bona pluralitas principatuum, vnus ergo princeps,* impiè asseuerare ausi sint, non vnum totius vniuersi effectorem & Deum esse, at duos dari Deos, duoq; rerum prima principia, quorum alterum bonum Deum nuncupantes, spiritalium rerum, & inuisibilium creatorem illum constituerunt, alterum verò malum Deum vocātes, rerum corporearū & cum materia concretarum effectorem fecerunt: at mentiuntur, & toto cœlo aberrant, vt ex eorum rationibus non dicam leuibus, at insulsis, satis commodè percipi potest; nam primo loco ipsiusmet Christi Domini nostri verba nobis obiiciunt, qui D. Ioannis cap. 14. de Dæmone loquens huius mundi regem ipsum constituere videtur inquiens, *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquàm,* & cap. 18. hoc ipsum confirmare putant, dum Pilatum alloquens an Iudæorum Rex esset interrogantem, respondit, *Regnum meum non est de hoc mundo,* præterquàm quòd D. Paulus cap. 4. posterioris Epistolæ ad Corinthios, Dæmonium huius sæculi Deum appellat, & ait, *In quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium,* at duabus etiam rationibus, vt idem probent, argumentantur hæretici; quarum prior hæc est, effectuum varietas ac dissimilitudo varias arguit caussas & dissimiles, at res spiritales, & inuisibiles à visibilibus & corporeis maximè diuersæ sunt & dissimiles, à diuersis igitur caussis & dissimilibus eas pendere necessum est; Alteram verò rationem sic formant: Quæ sunt à bono Deo, bona sunt, & ob id à nobis diligenda, cum bonum, vt Aristoteles ait, sit amoris obiectum (licèt Plato ipsum pulchrum esse dixerit) at ex D. Ioann. præcepto cap. 2. suæ prioris epistolæ pro-

prohibemur diligere mundum, & ea quę sunt in mundo, qui totus in maligno positus est; ergo nec mundus, nec ea quæ sunt in mundo bona sunt, quare non pendent à bono Deo sed à malo, qui malorum effector est; Audite, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, si quis enim diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.* O dementes homines, & impii, rem omnino falsam plenamque erroris asseueratis; hoc autem tàm ex ueteris legis auctoritate, quàm ex sacrosancti Euangelii testimonio, dicam etiam cùm ex Conciliorum decretis, tum ex sanctorum Patrum sententiis, tùm etiam ex Ethnicorum Philosophorum dictis, satis superque comprobari potest: & vt hinc exordiar, ita inquit Moses Genesis cap. primo: *In principio creauit Deus cœlum & terram*: Ita inquit Dauid in Psalmo 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli*. Ita inquit Iesus Christus, D. Matthæi cap. 5. *Qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos*, & aliis quàmpluribus in locis idem astruens ait, *Confiteor tibi Domine pater Rex cœli, & terræ; Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra; Ego dico vobis, ne iuretis omnino, neque per cœlum, quia Thronus est Dei, neque per terram, quia scabellum est pedum eius.* Quare si idem Deus verus & bonus, cœlum & terram creauit, quæ sunt creaturæ diuersæ ac dissimiles, qui fieri potest vt hęc à malo Deo producantur? vt horum princeps sit Dæmonium? sed adhuc manifestius inquit D. Ioannes cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Ita inquit Apostolus Collossensium cap. 1. *In ipso condita sunt omnia, siue visibilia, siue inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes*; Ita inquit Nicænum symbolum, *Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium*. Ita inquit Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebratum. *Vnum est vniuersorum principium, creator omnium visibilium, & inuisibilium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initiò temporis vtramque de nihilo condidit naturam, spiritualem, & corpoream, Angelicam videlicet & mundanam*; Bone Deus & quid clarius, quid efficacius in nefariam horum impiorum hominum hæresim dici potest? Nec desunt innumeræ Sanctorum Patrum tàm Græcorum, quàm Latinorum auctoritates, hoc idem comprobantes, quas omnes si nunc recensere vellem,

Ante diem clauso componet vesper Olympo.


Vos tamen legatis Basilium Magnum oratione secunda in Hexameron, Diuum Athanasium libro contra Valentinum, Gregorium Nyssenum

ſenum libro de cognitione Dei. Diuum Cyrillum in libello quem ſcribit ad Theodoſium Imperatorem, & Diuum Ioannem Chryſoſtomum ſuper illa verba Domini noſtri, D. Matthæi cap. 15. *Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur*, quin etiam legatis D. Auguſtinum pluribus in locis contrà Fauſtum Manichæum, Diuum Thomam prima parte quęſt. 65. Magiſtrum Sententiarum ſecundo libro, diſt. prima, & Scolaſticos omnes ibidem; verum ipſi quoque Ethnici Philoſophi ſolo naturæ lumine illuſtrati, hanc veritatem agnouerunt, præcipuè verò Ariſtoteles qui 12. libro Metaphyſices textu 38. inquit, *Ab hoc vno principio pendet cælum & natura*. & paulò infrà textu 55. & poſtremo, ait. *Non eſt bonum pluralitas principatuum, vnus ergo Princeps*. Quæ verò aut ex ſcripturis ſanctis, aut ex rationibus deſumpta, nobis obiiciunt hæretici, nullius certè ponderis ſunt, nam mundus geminam habet ſignificationem, vel enim pro vniuerſa rerum creatarum natura, quæ bona eſt, accipitur, vt accipitur à Moſe, cap. primo Geneſis, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, vel pro mundana malitia, quæ mala eſt, vſurpatur, ut Diuus Ioannes inquit cap. ſecundo ſuę prioris epiſtolę, *Tranſit mundus, & concupiſcentia eius*, & cap. 5. *Totus mundus in maligno poſitus eſt*. Quapropter cum legimus in Euangelio Dæmonem huius mundi principem eſſe, & Deum huius ſæculi, ſub poſteriori ſignificatione mundus accipitur, & licèt ſub priori etiam ſignificatione mundum vſurpari daremus, non ob id tamen ex hoc antecedente, Dęmon eſt princeps huius mundi, ſequeretur hoc conſequens, ergo Dęmon eſt huius mundi creator, ſicuti non ſequitur Ferdinandus Medices eſt Florẽtiæ princeps, ergo Ferdinandus Medices huius ciuitatis eſt fabricator: illud profectò ſequitur Coſmus eſt ciuitatis Heliopolis conſtructor, ergo huius ciuitatis eſt princeps, at Deus mundi creator eſt, princeps igitur mundi eſt Deus; Cum verò ſubinferunt Chriſtum Pilatum alloquentem dicere, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, repeto etiam ego, aut ibi mundum pro mundana malitia interpretandum eſſe, aut mundi terreni ſe eſſe principem Chriſtum negare, ſub ea ratione, qua huius ſęculi principes ſuis regnis dominari ſolent vt plurimum; At non ob hanc cauſſam mundi Creatorem ſe eſſe negat, quandoquidem Chriſtus qui humilis venerat, & manſuetus, ab hoc terreno, & temporario regno, vt cœleſti æternoque incumberet, ſponte vacauerat, quàmuis plenum in illud haberet dominium, cùm *In ipſo condita ſint vniuerſa in cœlo, & in terris, viſibilia & inuiſibilia*, ex D. Pauli auctoritate, cap. primo epiſtolę quàm ſcribit ad Coloſſ. neque huic Catholicę veritati, duæ ipſorum rationes officiunt, quod enim priori loco obiiciunt, diuerſitatem effectuum, diuer-

diuersas expostulare caussas, facilè diluimus, si dicamus hoc de effectibus esse verum, qui ita diuersi sunt, vt oppositione contraria sint disparati, vti sunt calor & frigus, res autem spiritales, & corporeæ, cœlestes, & elementares, diuersi quidem sunt effectus, at non oppositi, disparati, at non contrarii; imò verò effectus etiam ita contrarii, etsi diuersas causas effectrices, vt aiunt, vniuocas, & formales exposcunt, ab vna tamen, & eadem caussa æquiuoca, & virtuali vti est Deus Opt. Max. pendere possunt, & pendent; Alteri verò rationi, qua probant hunc mundum visibilem, & corporeum non esse bonum, cùm ex diuino præcepto diligendus non sit, ita satisfacimus: mundum, hoc est mundanam malitiam diligendam non esse, hæc enim mala est, & à malo Dæmone, & à libero simul hominis arbitrio originem trahit; si tamen praui hominum effectus sint appellandi, & non potius defectus, quippe qui à caussa potius deficiente, quam efficiente pendere dicuntur. Mundus igitur pro vniuersa rerum creatarum natura acceptus, diligendus est, & bonus est, & à Deo vno, viuo, & vero, ex nihilo prorsus in temporis initio creatus fuit: at mundus pro mundana malitia sumptus, nec diligendus est, nec bonus est, ac totus in maligno positus à malo Dæmone conflatus est. Quamobrem auditores hoc totius mundi cellarium est Christi Regis, & nullius alterius Regis, quemadmodum Propheta Salomon in his sponsæ ecclesiæ verbis satis apertè astruere videtur, dùm inquit, *Introduxit me Rex in cellaria sua.*

LECTIO XXXVI.

Introduxit me Rex in cellaria sua.



LTERVM Christi Regis nostri cellarium, in quod illi duntaxat homines introducuntur, qui Christi fidem suscipiunt ac tenent, siue boni sint, siue mali, siue electi, siue reprobi, est Ecclesia sancta Catholica & Apostolica, quam Militantem vocant, cùm hic locus sit militandi, non victoriæ coronam accipiendi, stipendia merendi, non regnandi, acquirẽdi mercedem, non possidendi; Hoc autem ecclesiæ Dei cellarium longè pulchrius est, & augustius altero ipsius cellario, quod est totus mundus, quandoquidem in hoc gratiæ Thesauris donamur, in illo verò naturæ bona recipimus: & quàmquàm tertium Christi cellarium, quod est Paradisus, beatorum spirituũ domicilium, nobilius est Ecclesia, atque præstantius, quinimmo tanta huic dignitatis excellentia præstat, quanta ęternum rem caducam excellit, & cœlum supereminet terram, si quem tamen nobilitatis gradum anti-

antiquitas rei sibi vēdicat, ex qua Arcades, (Pausania & Strabone referētibus) Peloponesi populi, omnibus terrarum gentibus, nobiliores esse existimabātur, quòd cæteris essent antiquiores, & ob id antelunares appellati fuere: dicere equidem audeo, hoc ecclesiæ Christi cellarium, cùm sit antiquissimum, ipsum etiam paradisus cellarium vetustate excedens, nobilissimum esse atque dignissimum: nonnè auditores primò est pugna & victoria, mox verò triumphus et corona? in cęlo igitur Empyreo primò fuit Ecclesiæ militantis prælium, & deinde militantis corona. Memoria fortasse retinetis, quod in Apocalypsi cap. 12. legitur, *Magnum scilicet prælium in cœlo factum fuisse, vbi Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone*, quæ verba D. Augustinus interpretans ait. *Factum est prēlium in cœlo, hoc est in Ecclesia Militante*; in illis enim duabus morulis, & illis quidem breuissimis, in quibus Angeli, tot, tantisque gratiis, tùm gratis datis, tùm gratificantibus à Deo Opt. Max. insigniti, & versùs Dei fidem, ceu viatores, tenentes, sacra Dei mysteria crediderunt, pro libera eorum voluntate ad bonum siue ad malum sese perpetuò applicarunt, viatores inquàm tunc temporis extitere, & Empyreum cęlum non dum beatorum spirituum domicilium erat, & Paradisus; at viatorum sedes & ecclesia; In tertia sanè morula, post ipsam Angelorum creationem, omnes ac singuli simplicissimi illi spiritus ad vltimum viæ terminum peruenerunt, & boni, qui Dei gratiam in qua conditi fuerant non amiserunt, sese que ad bonum perpetuò applicantes, variosque virtutis actus exercentes, gloria & honore à Deo coronari meruerunt, mali autem, qui Dæmones sunt, diuina gratia ex propria ipsorum malitia, spontè amissa, & nefario non luxuriæ propriè acceptæ, vt opinari videntur Tertullianus in libro de velandis virginibus, & Iustinus martyr in Apologia prima pro Christianis, at luxuriæ latè sumptæ, vtpotè nimium sui ipsius amorem designantis, vt ait Scotus secundo libro Sentent. dist. 6. quod fortasse accepit à Clemente Alexandr. lib. 3. Stromatum, non autem inuidiæ, quòd homo vnà cum Angelis ad imaginem & similitudinem Dei conditus esset, vt astruit D. Augustinus libro 11. super Genes. cap. 15. aut quod homo cœlestis ac diuinæ beatitudinis particeps esse deberet, vt manifestè existimat D. Bernardus in Hom. 17. super Cant. non demum rabiei aut odii caussa, quod humana natura ad Hypostaticam diuini verbi vnionem assumenda ab ipso dæmonæ, omnibusque Angelis veneranda esset, quam Alexander Halensis D. Bernardi opinionem extitisse affirmat super illis verbis Ionæ Prophetæ cap. 1. *Propter me orta est hæc tempestas, mittite me in mare*. At vt inquit D. Thomas prima parte quæst. 63. art. 2. & 3. superbiæ scelere perpetrato, è Cœlo à Deo eiecti, æternis apud inferos suppliciis damnati fuere: tuncque

cœlum

cœlum Empyreum quod ecclesiæ militantis, & viatorum domicilium erat, factum est Ecclesiæ triumphantis, & beatorum receptaculum; Qua propter nobilissimum est atque dignissimum hoc secundum Christi Regis cellarium, quod ita est antiquum, vt ipsum etiam Paradisum vetusta te excedat: ita inquit doctissimus Origenes hom. secunda super Cantica. *Ante quam aduenisset tempus Incarnationis Christi, in multis Angelorum ministerio excolebatur Ecclesia, non enim ex aduentu Saluatoris Ecclesiam dici putes, sed ab ipsa mundi constitutione.* Ita inquit D. Ioannes Chrysostomus super Esaiam Prophetam hom. 4. *Habet Ecclesia radices in cœlo potius fixas, quàm in terris, & Deus latius fundauit Ecclesiam, quàm Cœlum, nam Ecclesia est honorabilior cœlo, cum cœlum conditum sit propter Ecclesiam, & non Ecclesia propter cœlū*; & licèt in cœlo Empyreo, post duas illas Angelicæ operationis morulas, ecclesia militans esse desiisset, in terrestri tamen Paradiso, ipsa eadem renouata in Adam & Eua, ab ipso mundi exordio cepit esse, illa enim Euæ matris nostræ ex Adæ costa formatio, pulcherrimum vnionis Christi & Ecclesiæ symbolum est, vt in epistola quam ad Ephesios scribit cap. 5. inquit Apostolus, *Adhærebit homo vxori suæ, & erunt duo in carne vna, & Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & in Ecclesia*: Quapropter Ecclesia Dei quæ apud nos est, non à tempore gratiæ, nec à legis Mosaicæ statu, sed ab ipso naturæ, mundique exordio cepit esse, quemadmodum sermone 212. D. Augustinus ait, *Ecclesia Catholica fratres, non solum post aduentū Domini & Saluatoris nostri prædicata est, sed ab initio quoque mundi, multisque figuris est designata: nam & in Sancto Abel Ecclesia Catholica fuit, & in Noe, & in Abraham, & in reliquis vsque ad Aduentum Domini Saluatoris*; ex quo factum esse arbitror, vt Iustinus Martyr in oratione ad Antoninum Imperatorem, censuerit Christianos esse nominandos quotquot è gentibus, licèt aduentum Christi præcesserint, ratione duce vixerunt; cui assentiri videtur Apostolus Hebræorum cap. 13. dicens, *Christus heri, & hodie, & ipse in sæcula*; illud certè auditores verùm esse credatis, Ecclesię militantis cellarium, in Christi aduentu seu potius morte, ex eius latere, in ara crucis non dicam ortum sumpsisse, at longè perfectius cunctisque numeris absolutum fabre factum fuisse: nam tempore Adæ & Abel fuit, vt ita dicam Infantia Ecclesię, tempore Abrahæ Pueritia, tempore Mosis Adolescentia, at tempore Saluatoris Christi ad Iuuenilem perfectamque ætatem peruenit, & tunc cæpit esse nubilis & habilis viro, vt multis ab hinc sæculis Psalmo 79. prædixerat Dauid. *Respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam, quam plantauit dextera tua, & perfice eam super filium hominis*; quod deinde Ephesiorum cap. 5. Apostolus confirmauit, dicens. *Viri diligite*

vxores

vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro Aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipsam sibi gloriosam Ecclesiam; At illud certè mirabile est, Christum, cuius est hoc Ecclesię cellarium, ipsum quoque fundasse, & in ipso natum fuisse, vt Psalmo 86. cecinit Dauid, *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus*; Nam qui fieri potest vt quis in aliqua domo nascens, ipsam fabricarit? Fabrum enim & Architectum primo nasci oportet, mox verò domum fabricare: si Christus igitur fundauit ecclesiam, quomodo natus est in ea? vel si natus est in Ecclesia, quomodo illam fundauit? dicemus fortasse Christum, qui Deus est & homo, vt Deū Ecclesiam fabricasse, & vt hominem in ea natum fuisse? dicam potius Christum duntaxat vt hominem, & natum in Ecclesia fuisse, & Ecclesiam fundasse, nec mirum, quandoquidem natus est in ea cum venit plenitudo temporis, illam verò fundauit ab exordio mundi, cùm Agnus, qui Christus est, vt ait D. Ioannes Apocalypsi cap. 13. *Occisus fuerit ab origine mundi*; quod si ecclesiam Dei de Christi latere ortam, & cùm Euangelio natam doctores sancti nonnunquam scribunt, id sanè non de vniuersa Ecclesia intelligunt, sed de illa tantum, quæ post prædicatum Christi Euangelium, ex gentibus creuit, aut si de vniuersa loquuntur ecclesia, hoc profectò de ea renouatione, quæ per Euangelii promulgationem facta est, accipere nos oportet: vel etiam de Christi latere orta dicitur vniuersa ecclesia, quòd omnia tùm veteris, tùm nouæ legis sacramenta, quibus à peccatorum maculis purgamur, à Christi passione virtutem acceperunt, nam verè sacrosanctæ Dei Ecclesiæ cellarium, ab ipsa mundi constitutione incępit esse: *Introduxit me Rex in cellaria sua*. Verum sicuti est ita antiquum hoc Christi cellarium, vt à mūdi cęperit esse exordio, ita quoque adeò perenne est, & perpetuum, vt non nisi in huius sæculi fine, consumendum sit, cum fiet vnum ouile & vnus pastor: & certè quę domus est, quæ ciuitas, quæ Respublica, quæ Monarchia, quæ temporum diuturnitate funditus non corruerint? vbi nunc sunt illa quatuor cæterorum omnium amplissima regna, Chaldæorum scilicet & Assyriorum, quod est primum regnum, Persarum, & Medorum, quod est secundum, Macedonum, quod est tertium, & Romanorum quod est quartum, & postremum, in quibus struendis tota humanæ prudentiæ uis uidetur exposa, quoniam non diuino consilio sed humano constituerant, ac proinde humanæ tantum sapientiæ fruebantur præsidio. At Domus Iacob, Ciuitas sācta, Respublica Christianorū, Regnum Dauid, & Ecclesiæ militantis cellarium manet in æternum: ita dixit Mariæ Virgini Gabriel Angelus D. Lucæ cap. 1. *Et regnabit in domo Iacob, in æternum, & regni eius non erit finis*. Ita dixit Dominus noster Diui Matthæi, cap. 16.

Tu es

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Ita cecinit Poeta Maro

Capitoli immobile saxum, diuino fortasse lumine illustratus, non de profano Romanorum Imperio verba faciens, at de sacrosancto ecclesiæ Christi regno, de quo illud etiam gentium oraculum prædixisse arbitror,

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

Cœlum potius corruet, & terra transibit, quàm Ecclesiæ Christi cellarium destruatur. Legimus quidem omnia mundi regna, florentissima licèt, ac solidissima, aut seditionibus internis, aut externis bellis, breui temporum spatio abolita fuisse; Etenim primum Chaldæorum, & Assyriorum regnum, etsi sub 36. regibus à Nembrot vsque ad Sardanapalum diù permansit, mille tamen ducentis ac quadraginta annis transactis, consumptum fuit; Medorum regnum sub octo regum imperio, per quinquaginta nouem suprà ducentos annos, floruit, mox verò cecidit. Persarum regnum sub regibus quatuordecim, per annos 232. permansisse dicitur, at hæc post tempora, ipsum etiam ruit. Macedonum regnũ annis 44. suprà sexcentos vix transactis dissipatum fuisse legimus. Latinorum regnum sub vno ac viginti regibus, per annos 625. florentissimum fuit, at ipsum etiam aliquando corruit. Et demum Iudæorum regnum sub duobus regibus ac viginti, diuturno tempore permansit, at post 485. annos hoc etiam miserrimè iacuit: at sanctæ Ecclesiæ Dei regnum à mundi exordio, illius vsque ad calcem stabile manens, nulla afflictionum tempestate, nulla calamitatum procella, nullo denique Tyrannorum impetu, aut hereticorum ictu, aut Demonum terrore, dissolui, euerti, dissipari potest, ita legimus Danielis c.2. vbi de quatuor illis cæterórum omnium potentissimis regnis, cum hoc augusto Christi cellario comparatis, sermonem habens inquit. *In tribus regnorum illorum, suscitabit Deus regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo nòn tradetur, comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc;* ita inquit D. Ioannes Chrysost. hom. 12. de muliere Cananæa, *Non cessat impugnari Ecclesia, non cessat insidias pati, sed in nomine Christi semper superat, semper vincit, & quantum alij insidiantur, tantum ista dilatatur.* Ita inquit D. August. 1. lib. de symbolo ad catechumenos, *Ecclesia catholica contra omnes hæreses potest pugnare, sed nõ expugnari, omnes hæreses exierunt de illa, tanquàm sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua.* Ita inquit D. Hieronymus in suis commentar. super Amos c. 9. *Intelligimus ecclesiam Dei vsq; ad finem concuti quidem persecutionibus, sed nequaquã*

posse subuerti, tentari quidem sed non superari, nam portæ inferi non præualebunt aduersus eam, quippè quæ non humano sed diuino prorsus artificio est erecta, non humana sed diuina sapiẽtia est extincta: *Et ipse fundauit eam altissimus*. Quare si hoc secundum Christi Regis cellariũ, ità antiquum est, vt ab ipso mundi exordio esse cęperit, quinimmo ita perẽnè est atq; perpetuum, vt vsq; ad sæculi finem stabile manens sit duraturum, nonnè tùm ex antiquitate, tum ex perennitate nobilissimum est ac præstantissimum? *Introduxit me Rex in cellaria sua*, Verùm non solũ antiquitas & perennitas illud illustrant, sed alia quoque & ferè innumera laudationis genera mihi certatim sese offerunt, quib. ipsum commendare queam: nam si illius amplitudinem perpendam, ita suum dilatat dominium, vt ferè omnes mundi regiones complexum sit, & nunc in nouo orbe, & in terris Orientis, quæ loca nec per auditionem quidem à veteribus cognita sunt, regnum Christi latissimè vigeat, vt cecinerat Dauid in Psal. 71. *Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum.* Hinc Apostolus Rom. c. 1. aiebat. *Fides nostra annunciatur in uniuerso mundo*; Et certè quæ regio est, quæ prouincia, quę ciuitas, quod oppidum, quæ villa, qui terræ angulus, quò sonus Apostolorum Christi fidem vbiq; gentium prædicãtium non penetrarit? *In omnem terram* canit Ecclesia de Apostolis, *exiuit sonus eorum, et in fines orbis terra uerba eorum*; & quàmquàm hoc Ecclesiæ Dei cellarium, ab ipso mundi exordio ad Christi aduentum vsq; fuerit angustum, & intrà Iudeæ, Palestinæq; cancellos occlusum, cùm tamen venit plenitudo temporis, ita amplum effectum est, vt longæ lateque in omnem terrarum orbem propagatum, 12. habuerit cellariola, sicuti à 12. Apostolis, in 12. orbis terrarum principibus partibus distributa est Ecclesia Dei, quę cęli ordinem 12. signis exornatum consequitur, quemadmodum. n. Orienti tria assignantur signa, quæ sunt Gemini, Libra, & Aquarius; Meridiei tria, quæ sunt, Taurus, Virgo, & Capricornus; Occidenti tria, quæ sunt, Pisces, Cancer, & Scorpio; Aquiloni deniq; tria, quæ sunt, Aries, Leo, & Sagittarius: sic in primo Orientis Trigono Christi Euangelium prædicarunt Simon, Bartholomæus, & Matthæus, Simon inquã in Aegypto, quæ Geminis subijcitur, Bartholomæus in Bactriana, Lycaonia, & Armenia regionibus Libræ subiectis, & Matthæus in Aetiopia, quæ Aquario subest, prædicandi sortem habuerunt: In secundo verò Meridiei Trigono fidem Christi promulgarũt Andræas, Thadæus, & Thomas, Andræas nãque in Achaia, & Græcia Virgini suppositis regionibus, Thadęus in Perside & Mesopotamia Tauro assignatis, & Thomas in India Superiori, Brachmanis quoq; & Hyrcanis Capricorno subiectis concionati fuere; verum in tertio Trigono hoc est in Occidente, sanctam Dei Ecclesiam propa-

propagarunt Ioannes,Iacobus minor,& Philippus;nam Ioannes partes quæ ad Asiam,Ioniam,& Phrygiā spectant sub Cancro positas peragrauit;Iacobus minor, etsi à Iudęæ prouincia non discessit,ibi tamen Hierosolymitanus episcopus omnes docuit qui erant ex Cilicia,Pamphilia, & huiusmodi regionibus, quæ Piscibus subsunt, & Philippus in Syria Scorpioni exposita conuersatus est; In quarto demum Trigono nimirum in Aquilone,longè lateq; peregrinati sunt,Matthias,Petrus,& Iacobus Maior,etenim Matthiæ contigit in sortem Iudęa,Idumęa, & Syriæ pars Arieti subiecta,Petro Apostolorum principi Italia,maximè verò Roma,quę subest Leoni,& Iacobo Maiori Hyspania,Celtica,& Arabia Fœlix,quæ sunt regiones Sagittario assignatæ.Amplum igitur est ecclesiæ militantis cellarium, in 12.cellariola per 12.Apostolos sanctos distributum,ita vt maxima Dei prouidentia factum esse videatur,vt vnicuique Apostolo aliqua regio sub vno ex his 12.Zodiaci signis posita, fuerit assignata,& in omnibus 12.mundi principibus plagis, sacrosanctum Christi Euangelium omni creaturæ Apostoli prædicarint, sicut Psal.18.prædixerat Dauid,*In omnem terram exiuit sonus eorum*,garriāt igitur quantum velint impii hæretici,vt Montanistæ, qui anno Domini 175.controuersiam in Ecclesia Dei mouerūt, de nomine Catholico, vt refert Clemens Alexandrinus septimo libro Stromatum: vt Luciferiani, qui anno 330. nefariè dicere ausi sunt, eorum tantum sectatores esse Dei Ecclesiam, vt ait D.Hieronymus in tractatu aduersus Luciferianos:vt Donatistæ,qui anno 400.nimis impiè asseuerarunt Catholicam Ecclesiam apud se duntaxat eorumque sectatores reperiri,nec rationem vllam episcoporum,aut Galliæ,aut Italiæ, aut vrbis Romæ habebant, vt affirmant D. Ioannes Chrysostomus in homelia quod Christus Deus. Et Optatus libro de schismate Donatistarum, vt demum Lutherani, Zuingliani,Caluinistæ,Anabaptistę,Libertini,& Trinitarii,qui vnà omnes voce fatentur,Ecclesiam Romanam non esse veram Dei, & Catholicam Ecclesiam,at mentiuntur: nam Christi fides annunciatur in vniuerso mundo,præcipuè verò Romæ, vbi generalis Episcopus & omniū Episcoporum princeps Clemens VIII.maxima nominis sui cum gloria totius Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ clauū tenet. Et hactenus de Christi Regis cellarii amplitudine.Adhuc si regni potestas & auctoritas non paruam illi nobilitatem affert ; & quod obsecro regnum hoc Christi cellario nobilius reperitur?cuius eā est auctoritas,& potestas,tā spiritualis quàm corporalis,vt hac spirituali saltem dominatione omnibus ac singulis huius mūdi Principibus,Ducibus,Regibus, ipsis quoque Imperatoribus dominetur, & imperet, vt inquit Dauid in Psal.71. *Et dedit ei potestatem,honorem,& regnum, omnes gentes,populi,tribus,*
 & lin-

& linguæ seruient ei: Quinimmo non solum in terris, sed in cœlo etiam, & aliqua saltem ex parte hoc est per modum suffragii, nō dominii, apud inferos suam exercet virtutem: quandoquidem Christus Dominus noster D. Matthæi cap. 16. Apostolum Petrum alloquens, quem suo loco Ecclesiastici regni principem constituebat, inquit. *Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis:* Habet enim potestatem dimittendi peccata, gratiā conferendi, corpus Christi consecrandi, leges & decreta condendi, excommunicandi contumaces, animas ligandi ac soluendi, & deniq; cœlum aperiendi & claudendi. Et quis vestrum auditores ignorat diuitiis copiosisq; Thesauris regnū q̄ maximè illustrari? perillustre igitur est Ecclesiæ Christi cellariū, in quo sunt veri diuinarū gratiarum Thesauri, verèq; Sacramentorum diuitiæ, vt cecinit Dauid in Psal. 111. *Gloria & diuitiæ in domo eius;* Regnum insuper nō parum vtilitatis accipit, ex ciuiū, & incolarū præstantia, quò digniores.n. sunt regni habitatores, eò præstantius est regnum, at Ecclesiæ ciues, & incolæ sunt Heroes, Reges, Sacerdotes, sancti, & electi, vt ait Apostolus Petrus in sua priori epist. c. 2. *Vos estis Genus electū, Regale Sacerdotium, Gens sancta, Populus acquisitionis.* Nobilissimū igitur est ecclesiæ Dei cellarium. Neq; prætermittā eò magis regnū ęstimari, quo maiorib. præsidiis, robustioribusq; militibus ac profundiorib. altioribusq; uallis & propugnaculis est munitū, at huius Christi cellarii præsidia, milites, & propugnacula, sūt Angeli Dei, & Deus ipse, vt inq̄t Regius Propheta in Psal. 32. *Angelis suis Deus mandauit de te, ut in omnib. uijs suis* & in Psal. 126. *Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eā.* Necnō pax & trāq̄llitas regni illud maximè gloriosū reddit, cū .s. nec internis ciuiū dissidiis, nec externis hostiū bellis affligit̄, & oppugnat̄. Proh Deū immortalē, & istud regis nostri cellariū q̄q̄ externis Tyrānorū, hæreticorūq; bellis, & internis ipsorū Christianorū dissidiis, tētet̄, & cōcutiat̄, nunq̄ tñ subuertit̄, aut superat̄, at deleto peccato p̱ Christū, victo mūdo, debellatis Dęmonib. necnon Deo ipso placato, in eadē semp̱ trāquillitate paceq; iucūdè quiescit, vt legimus Isaiæ c. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* & D. Ioānis c. 14. *Pacē meā do vobis, pacē meā relinquo vobis;* Prætereo nūc illud in mediū p̱ponere, q̄d omnib. satis superq; manifestū est, legib. nēpè bonis, & sāctis regnū magnoperè nobilitari, nam regale Christi cellariū optimis regit̄ ac sāctissimis legib. vt ait Dauid ī Ps. 18. *Lex domini immaculata cōuertēs animas.* & ipsemet Christus D. Ioā. c. 15. *Hoc est p̄ceptū meū, vt diligatis inuicē;* & tādē vt illud absoluā q̄d terminū hr̄e neq̄t, ex finis quoq; excellētia regni nobilitatem perpendimus, quo excellētior.n. est finis, eò nobilius est re-

est regnũ; at Christi regium cellarium non ad terrenũ & temporariũ sed ad cœlestem & sempiternum finem dirigitur, & ordinatur quis igitur illud nobilissimum esse negabit? hæc namque mundi regna ad hunc constituta sunt finem, vt corporis fortunæque bona, quæ sunt mortalia & caduca, conseruentur, Christi verò cellarium eò refertur, vt nos introducat in Celũ; vt nos beatos efficiat, vt nos vita donet æterna, vt inquit Iesus Christus tùm D. Lucæ cap. duodecimo. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum*; tùm D. Matthæi cap. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, ò celeberrimum Regis nostri cellarium, immò verò ò fœlicissimum Christi regnum, neque enim est Monarchia, non Aristocratia, non Democratia, non Oligarchia, non Timocratia; quæ sunt corpora politica, & humana, at Ecclesia Dei mysticum est Christi corpus supernaturale, & diuinum, quod vnum est, & indistinctum, sicut vnus est dominus, vna fides, vnum Baptisma, ex D. Pauli auctoritate Ephesiorum ca. 4. *Introduxit me rex in cellaria sua*; Bone Deus, & quàm variis, illisque præclaris donis & gratiis Ecclesiæ suæ cellarium Deus Opt. Max. ditauit? nam vt pulchrè docet Apostolus cap. 12. prioris epistolæ ad Corinthios, *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum*; quinimmo varios ibidem, & illos quidem egregios dignitatum gradus, & ordines concinnè distinguens, ait, *Et quosdam posuit Deus in Ecclesia, primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes &c.* quod Ephesiorum etiam cap. quarto asserit; & certè vt eiusdem Apostoli iisdem in locis vtar exemplo: sicut in corpore naturali varia membra certum habent situm distinctumque ordinem, ita & in hoc mystico Christi corpore diuersi sunt gradus, ac distincti ordines, quibus ipsum; quod est Ecclesiæ cellarium, concinnè constituitur: hinc D. Dionysius libro de Ecclesiastica Hierarchia inquit. *Ecclesiam in terris militantem, vt decentissimo consistat ordine, cum superna ac triumphanti Hierusalem conformari*, & ibidem ipsemet Doctor, ecclesiæ primitiuæ ordinem ac dispositionem describens ait, *In Ecclesiastico principatu, Pontificem maximum supremum obtinere locum, sub illo constitui sacerdotes, ijs verò subijci ministros, quos Diaconos nuncupant, & subdiaconos, & postremam denique sedem dicit assignari Plebi sanctæ*. Cui assentiuntur etiam D. Ignatius Ecclesiæ Antiochenæ tertius à D. Petro episcopus, in epistola quam scri-

 bit ad

bit ad Trallianos,& D. Cyprianus nona epistola tertii libri quam mittit Rogatiano episcopo, & D. Hieronymus, & Theophilactus ambo super epistolæ ad Ephesios caput quartum,& D. Augustinus in explicatione Psalm. 39.& D. Ioannes Chrysostomus,& Thomas Caietanus ambo in commentar. prioris epistolæ ad Corinthios cap. 12. Et mehercule, qui dignitatum gradus in ciuitate rectè constituta reperiuntur, qui in hoc ecclesiæ Dei cellario non habeantur? vbi ciuitatis princeps est summus Pontifex, totius ecclesiæ Hierarcha, Senatores sunt Cardinales, Consules Patriarchæ, Primates Archiepiscopi, Perfecti Episcopi, Tribuni militũ Archipresbyteri, Prætores Archidiaconi, Centuriones Decani, Decuriones Parochi, Tribunus plebis est quilibet Sacerdos, Aediles Diaconi, Quaterniones Subdiaconi, Quæstores Ostiarii, Scriptores Accolythi, Cantores Lectores: tot denique & tàm varia populorum genera in ciuitate, sunt in Christi cellario, quod est Ecclesia, tàm varia virorum ac mulierum Cęnobia sub variis sanctorum patrum Basilii, Benedicti, Bernardi, Antonii, Augustini, Dominici, & Francisci regulis, optimè constituta. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* ò nobile, & illustre Ecclesiæ militantis cellarium, cuius Architectus est Deus, cuius fundamentum est Christus, cuius lapides sunt Prophetæ & Apostoli, cuius parietes erecti sunt maiores prælati, cuius quatuor anguli (cum in quadro positum sit) sunt quatuor Euangelistæ, cuius Ostium est humanitas Christi, cuius fenestræ sunt homines iusti, cuius mensa, seu nuptiæ sunt scripturæ sacræ, cuius epulæ sunt Dei eloquia, cuius epularum præfecti singuli sunt Sacerdotes, cuius sponsus est Christus, cuius sponsa est ipsamet ecclesia, cuius conuiuæ sunt omnes amici Dei, audite obsecro, *Ipse fundauit eam altissimus*, Psalmo 86. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, Christus Iesus*, cap. 3. prioris Epistolæ ad Corinthios, *Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*; Ephesiorum cap. secundo; *Lapides pretiosi omnes muri eius*; Apocalypsis cap. 21. *Et vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ*, ibidem cap. septimo, *Ego sum Ostium, per me si quis introierit saluabitur*, Diui Ioannis cap. 11. *Vos estis lux mundi*: D. Matthæi cap. 5. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me*, Psalmo 22. *Eloquia Domini dulcia super mel & fauum*, Psalmo 118. *Facite omnes discumbere*, D. Ioannis cap. 6. *Egredietur sponsus de cubili suo*, Iohelis cap. secundo, *Veni sponsa mea, veni de Lybano, & coronaberis*, Canticorum cap. 3. *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi*, ibidem cap. 5. & quid illustrius, quid præclarius de te dici potest, ò Christi cellarium, immò verò ò Christi Domus, dicam etiam ò Christi Ciuitas? *Gloriosa dicta sunt de*

te Ci-

te, *Ciuitas Dei*, verùm pulcherrimis etiam, ac nobilissimis titulis hoc ecclesiæ militantis cellarium, à sanctis Patribus illustrari legimus; etenim (vt taceam ipsum à Dauide Propheta Psalmo 8. Sanctorum Concilium appellari, cùm inquit, *Deus qui glorificatur in Concilio Sanctorum*) ab Origine cap. 6. super Genesim, à D. Augustino 15. libro de Ciuitate Dei cap. 26. & à D. Gregorio hom. 16. super Ezechielem prophetam, vocatur Arca, quia sicut arca aquarum diluuio cessante, in monte quieuit, ita huius vitæ cessante corruptione, cùm malorum fluctus transierint, in Empyreo cœlo quasi in excelso monte requiescet. Vocatur etiam Arca sanctificationis à regio Propheta in psalmo 131. *Tu es Arca sanctificationis tua.* Vocatur Tabernaculum Moisis à D. Paulo Hebræorum cap. 9. inquiente. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius Tabernaculum non manu factum introuit semel in sancta*; Vocatur etiam Mons Syon à Dauide Rege Psalmo 47. *Mons Syon latera Aquilonis*. Vocatur nauis Simonis à D. Marco cap. 6. & à Diuo Luca cap. 5. *Erat nauis in medio mari, & Iesus solus in terra, & ascendens in unam nauem quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum*. Vocatur sponsa ornata à Diuo Ioanne Apocalypsis ca. 21. *Vidi Ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo*. Vocatur domus Domini à Christo Iesu, D. Matthæi cap. 21. *Domus mea domus orationis vocabitur*. Vocatur Ciuitas Dei à Psalmographo, Psalmo 8. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei*. Vocatur Paradisus Terrestris à D. Augustino 13. de Ciuitate Dei & à Ruperto Abbate super Genesim ca. secundo; sicuti namque Terrestrem Paradisum Deus plantauit, ita & ecclesiæ cellarium fundauit altissimus. Vocatur Luna à doctissimo Origene, & à Diuo Ambrosio super Genesim cap. 3. iuxta illud quod dicitur à Salomone Canticorum cap. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur pulchra vt Luna?* Vocatur sydus cœleste, quod Latini Virgilias, & Græci Pleiades appellant, à D. Gregorio libro 39. Moralium cap. 39. Vocatur firmamentum Cœli tot tantisque luminibus illustratum, quòd diuidat aquas quæ super Cœlum sunt, ab aquis quæ sub cœlo sunt, sicuti Ecclesiæ Dei cellarium fideles distinguit ab infidelibus 3. libro Regum cap. 8. *In firmamento habitaculi tui*; quinimmo vocatur totum cœleste regnum à Domino nostro D. Matthæi cap. 22. cùm inquit, *Simile est regnum cœlorum homini Regi qui fecit nuptias filio suo*; Nec desunt alia ferè innumera nomina, & illa quidem illustria, quibus Ecclesiæ militantis cellarium in scripturis sanctis nuncupatur: dicitur enim Thesaurus, terra, ager, hortus, fons, puteus, sagena, margarita pretiosa, fortis exercitus, regnum, soror Christi, & Dei fi-

lia; audite; Dicitur Thesaurus, D. Matthæi cap. 13. *Simile est regnum cœlorum Thesauro abscondito in agro*. Terra, Psalmo 103. *Fundasti terram super stabilitatem suam*. Ager, D. Matthæi cap. 13. *Simile factum est Regnum cœlorum homini qui seminat bonum semen in agro suo*. Hortus, Canticorum cap. quarto. *Hortus conclusus soror mea sponsa*. Puteus, ibidem. *Puteus aquarum uiuentium, quæ fluunt de Lybano*. Fons, Zachariæ cap. decimotertio. *Erit fons patens domui Iacob, & habitantibus Hierusalem*. Sagena, Diui Matthæi cap. decimotertio. *Simile est regnum cœlorum Sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti*. Margarita pretiosa ab eodem ibidem, *Simile est Regnum cœlorum homini quærenti bonas Margaritas*. Fortis exercitus, Canticorum capite sexto. *Terribilis vt castrorum acies ordinata*. Regnum & domus Iacob, Diui Lucæ capite primo. *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis*. Vocatur Soror & sponsa Christi, Canticorum capite quinto. *Veni in hortum meum soror mea sponsa*, Vocatur demum Filia Dei, Psalmo quadragesimoquarto. *Audi filia & vide, quia concupiuit Rex speciem tuam*. Thesaurus profectò ingens est Ecclesiæ cellarium, Terra fœcunda, Ager pinguis, Hortus amœnus, Fons patens, Puteus altus, Sagena latissima, Margarita pretiosa, Fortis exercitus, Regnum florentissimum, Vnica Christi soror, chara sponsa, & dilecta filia Dei. *Introduxit me Rex in cellaria sua*. Cedant igitur huic Regio Christi cellario, cedant inquàm illius magnificentiæ, ac splendori omnia Regna, omnes Monarchiæ, & Chaldæorum, & Assyriorum, & Persarum, & Medorum, & Macedonum, & Latinorum, & Iudæorum, & Romanorum; huic enim principes omnes, Duces, Reges, Imperatores subiiciuntur, & huic obediunt, huius Regem adorant, genuaque huic submittunt, ita cecinit Dauid Psalmo septuagesimoprimo. *Dedit ei potestatem, honorem, & Regnum, omnes populi & tribus seruient ei*; Quare non est vt miremur si plebs Gentium in hoc ecclesię militantis cellarium, per sacrosanctam Christi fidem, atque Baptismum, se introduci tàm vehementer exposcit, inquiens. *Introduxit*, hoc est, *vtinam me introducat Rex in cellarium suum*, seu potius si omnium Christi fidelium tàm Iudæorum quàm Gentium vnio se in ipsum iàm introductam fuisse lætatur, idque suis nuncians adolescentulis ait, *Introduxit me Rex in cellaria sua*, & hactenus de hoc secundo Christi cellario.

LECTIO

LECTIO XXXVII.

Introduxit me Rex in Cellaria sua.

TRiplex cellarium, vt in præteritis sermonibus satis superque explicauimus, summus ille Architectus Deus Opti: Max. homini præparauit, hunc mundum videlicet, Ecclesiam, & Paradisum, quorum tanta est consonantia, vt ex uno aliud conijcere possimus, si cuiuslibet cellarij naturam, ornatum, ac dispositionem plenè intelligamus; nam sicuti in Ecclesiæ cellarium ingredi nequimus, nisi huius mundi ambitu contineamur, ita necessum est, vt in ecclesiæ sinu primum foueamur, si cœleste cellarium, ac supernum conscendere velimus: Cùm igitur sponsa Regis in vinum & alterum iàm fuerit introducta, in hunc mundum nimirum, & in ecclesiam, in tertium omnium supremum, quod beatorum spirituum sedes est, à sponso Rege se introduci potissimum exposcit inquiens. *Introduxit me Rex in cellarium gloriæ suæ*, ac si dicat, ò mi charissime sponse, iàm satis per tot annorum sæcula, tua sequens vestigia, ego sponte, tua tamen diuina gratiá tracta, vnà cum meis adolescentulis, quæ sunt iustorum animæ in tuorum vnguentorum odorem cucurri, bonum certamen certaui, fidem seruaui, & cursum ferè consummaui, nunc verò cursus præmium, laboris palmam, & Iustitiæ coronam à te iusto Iudice consequi desiderans, te summopere rogo, & obsecro, vt in cœlestis paradisus cellarium aliquando me introducas. *Introducat me Rex in cellaria sua*, & quidem si pulchrú est, & augustum huius mundi hospitium, in quo natura bona recipimus, si pulchrius adhuc est, & augustius Ecclesiæ militaris domicilium, in quo gratiæ Thesauris donamur; proculdubio vtriusque comparatione pulcherrimum est & augustissimum supernum beatarum mentium receptaculum, in quo gloriæ diuitias perpetuò possidemus.

Introducat me Rex in cellaria sua: Multa sunt, & illa quidem illustria nomina, quibus in scripturis sanctis, cœlestis beatitudo Tropicè appellari solet; Etenim vocatur Atrium, Brauium, Domus, Cœna, Ciuitas, Cœlum, Claritas, Corona, Fons, Flumen, Futurum sæculum, Gaudium, Gratia, Gloria, Hortus, Lux, Libertas, Mons, Mensa, Nuptiæ, Pax, Paradisus, Regnú, Requies, Torrés, Tabernaculú, Terra, Vinea, & Vita. Audite domini Atrium nuncupatur à Dauide in Psalmo 83. *Concupiscit anima mea in atria Domini.* Brauium à D. Paulo cap. 6. prioris epistolæ ad Cor. *Omnes quidem currunt, sed unus accipit Brauium.* Domus à Christo Domino D. Ioannis cap. 24. *In domo Patris mei mansiones*

multæ sunt. Cœna à D. Luca cap. 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos*. Ciuitas à D. Ioanne Apocalypsis ca. 21. *Vidi Ciuitatem sanctam Hierusalem nouam, descendentem de cælo*. Cœlum ab eodem ibidem, *Vidi cælum nouum.* Claritas ab Apostolo ad Philippenses cap. tertio. *Configuratum corpori claritatis suæ*. Corona à Salomone Canticorum cap. quarto. *Veni de Lybano, & coronaberis*. Fons à Dauide, Psalmo 35. *Domine apud te est fons vitæ.* Flumen ab eodem, Psalmo 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*. Futurum sæculum ab Isaia cap. nono. *Pater futuri sæculi, & princeps pacis.* Gaudium à D. Matthæo cap. 25. *Intra in gaudium Domini tui*. Gratia à D. Paulo ad Romanos cap. sexto. *Gratia Dei vita æterna*. Gloria à D. Petro cap. quinto suæ prioris epistolæ. *Qui vocauit nos in æternam suam gloriam.* Hortus à Salomone Canticorum cap. quinto. *Veni in hortum meum soror mea*. Lux ab eodem Sapientiæ capite 18. *Sanctis tuis magna erit Lux.* Libertas ab Apostolo ad Romanos cap. octauo. *Transtulit nos in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Mons à Regio Propheta, Psalmo 14. *Domine quis requiescet in monte sancto tuo?* Mensa à Christo Domino nostro, D. Lucæ cap. 22. *Ego disposui vobis mensam, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo*. Merces ab eodem D. Matthæi cap. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Nuptiæ à Diuo Ioanne Apocalypsis ca. 19. *Venerunt nuptiæ Agni*. Pax à Dauide, Psalmo quarto. *In pace in idipsum dormiam & requiescam*. Paradisus à Domino nostro D. Lucæ cap. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Requies à D. Ioanne Apocalypsis cap. 14. *Vt requiescant à laboribus suis.* Regnum à Iesu Christo D. Ioannis cap. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Torrens voluptatis à Propheta, Psalmo 35. *Torrente voluptatis suæ potabit eos Dominus*. Tabernaculum ab eodem, Psalmo 83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum*. Terra ab eodem, Psalmo 141. *Portio mea sit in terra viuentium*. Vinea à Salomone Canticorum cap. octauo. *Vinea mea coram me est*. Vita demum à Diuo Ioanne cap. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum.* At præter hæc illustria nomina, quibus beatitudo cœlestis figuratè exprimitur, Christi quoque cellarium nuncupatur, quòd in eo ingentes Dei diuitiæ sacræque diuinorum mysteriorum arcana, quasi recondita asseruantur; Verum rem admirandam audite, D. Ioannes Apocalypsis cap. 21. hanc cellarii Christi fęlicitatem se vidisse astruit, sicut sponsam ornatam viro suo, *Vidi Ciuitatem sanctam Hierusalem, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo*, paratam vtique, & constructam à prima mundi constitutione, vt in Euangelio D. Matthæi cap. 25. legimus. *Venite benedicti patris mei, possidete Regnum vobis paratum à constitutione mundi:* Huius

autem

autem superni cellarii structuram ipsemet Euangelista ibidem describit, & ait. In Quadro positam esse, ad illius soliditatem ostendendam atque concinnitatem, quæ per figuram quadratam, & per quaternarium numerum, à quo huiusmodi figura deducitur, mirificè designatur; in hoc enim quadrato numero solido, & concinno, omnis rerum firmitas, omnisque harmonica consonantia continetur, cùm in quaternario proportio dupla, tripla, sesquialtera, & sesquitertia reperiatur, vnde firmatur Diapason, bisdiapason, diapente, & diatessaron, vt igitur firmum esset, atq; concinnum hoc sacrum beatarum mentium cellarium, illud in Quadro posuit Deus, muroque magno & alto cinxit, ita vt tanta eius sit longitudo, quanta & altitudo, & latitudo, & sicut materia ex qua hoc supernum Dei cellarium conflatum est, aurum mundum esse dicitur, simile vitro mundo, ita muri structura est ex lapide Iaspide, muri verò fundamenta duodena describit Euangelista, omni lapide pretioso ornata, & in ipsis duodecim nomina ponit, duodecim Apostolorum Agni; fundamentum Primum Iaspis, Secundum Saphirus, Tertium Calcedonius, Quartum Smaragdus, Quintum Sardonix, Sextum Sardius, Septimum Chrisolitus, Octauum Beryllus, Nonum Topatius, Decimum Chrysoprasus, Vndecimum Hyacinthus, Duodecimum Amethistus; quibus sanè duodecim fundamentis totidem etiam portæ apponuntur, & in portis Angeli duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuū filiorum Israhel, quæ duodecim portæ sunt duodecim Margaritæ; & singulæ portæ ex singulis Margaritis ornantur; ex his autem tres sunt ab Oriente, tres ab Aquilone, tres ab Austro, & tres ab Occasu; & licet viri sapientes eos homines dementes existiment, qui cellarium istud dimetiri opinantur, Diuus tamen Ioannes diuino lumine illustratus, cùm arundine aurea illud Angelum mensum fuisse dicit, per Stadia duodecim millia, ex quolibet quadrilatere, ita vt totum cellarii spacium, stadiis quadraginta, & octo millibus consumatur, quæ sunt sex millia milliariorum, muros autem cellarii dimensus est Angelus per centum quadraginta quatuor cubitos. Quamobrèm magnum est, & ingens hoc cœleste cellarium, de quo Baruch cap. tertio exclamabat, *O Israel quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius*. Verùm si ad ea, quæ interiora sunt, accedamus, Templum in hoc cellario se non vidisse inquit Diuus Euangelista, at plateam vidit ex auro mundo tanquàm ex vitro perlucido constructam, in cuius medio lignum vitæ collocatum erat, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni gentium sanitati sunt destinata; ex vtraque verò parte ipsius ligni, Fluuius vitæ perenni cursu fluit, totumque cœlestem paradisum salutaribus Aquis irrigat, & demum tot tantisque cel-

larium

larium istud coruscat splendoribus, vt non egeat Sole neque Luna, qui luceant in illo; Quid igitur præclarius, non dicam re ipsa inueniri, sed mente concipi potest hoc sacro Dei cellario? attamen audite adhuc maiora, & augustiora; Hucusque enim extrinsecum vt ita dicam, huius cellarii corticem tetigimus; nunc verò mysteria quæ sub cortice latent, denudare oportet: Primum verò D. Ioannes astruit, in Quadro positum esse hoc Dei cellarium, quoniam tanta concinnitate atque soliditate firmatum est à Deo Opt. Max. vt quàmquàm ab ipsa mundi origine, exordium sumpsit, nunquàm tamen deficere debeat, at stabile manens duraturum sit in æternum, vt ibi perpetuò astra matutina, & omnes filii Dei summum illius opificem collaudent, prætorquàm quòd si virtute magni Dei nominis, quod est quadriliterum, constructum est hoc cellarium, nonnè in quadro ædificari debuit? cui tamen rotunditas non deest, sicuti quælibet litera eiusdem nominis Dei numerum circularem designat, nam prima litera denarium continet, secunda & quarta quinarium, tertia verò senarium, quorumlibet numerus est circularis; Ex auro insuper mundo simili vitro mundo vidit Euagelista illud conflatum, quandoquidem aurum omnium metallorum pulcherrimum, maximeque decorum, auream charitatis vestem cæterarum omnium virtutum excellentissimæ, qua beati spiritus induti sunt, mysticè designat; aurum quoque suaptè natura solidum est, vt in tenuissimas etiam bracteolas extentum minimè frangatur, & charitas constans est in sanctis omnibus, qui propter Deum, etsi mortificantur tota die, & sub malleo afflictionum premantur, in his tamen omnibus constantes perseuerant, & in eius sperant amore, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo; & tandem aurum tenacissimum est, licet enim percutienti cedat, consumenti tamen igni nequaquam, non rubigini, non ærugini, non aceti, & salis succis omnium rerum domitoribus: & Sanctorum charitas cedit quidem percutienti, torquenti, dilanianti, vt D. Paulus asserit, 1 nca. 2. epist. ad Cor. *Sustinetis si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cedit*, at tenacissima est horum charitas, quoniam nec confricatione, nec percussione coalescit, non corroditur à rubigine peccati, non ab ærugine malitiæ, non demum à succis salis, & aceti, hoc est humanæ, ac diabolicæ astutiæ; quis enim inquiunt ipsi, *Quis nos separabit à charitate Christi? an tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an persecutio? an gladius? certi sumus, quod neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, nec aliquid huiusmodi, poterit nos separare à charitate, quæ est in Christo Iesu*; Sed accedamus ad cellarii murum, qui magnus est, & altus, cuiusque structura est ex lapide Iaspide; O rem pulchram,

chram, nihil altius est cœlo Empyreo, nihilque maius, vt per multos etiam labores, multasque afflictiones, illuc ingrediendi aditus nobis patefiat, vt in Euangelio D. Matthæi cap. 5. habemus; *Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et si Iaspis à Sapientibus viris summoperè celebratur, quòd vtroque se xu gaudet, decoro lætatur aspectu, multigena præstat virtute, variis generib. ac nominibus gloriatur, quinimmo, (vt tradit Albertus magnus) sanguinem sistit, castum reddit ipsum gestantem, nos hominibus gratos efficit, phantasmatibus aduersatur, & concinentibus fauet, nonnè hæc omnia si mysticè accipiantur, cum beatis illis mentibus mirificè quadrant? Angeli quidem, hominesque beati sunt tot mystici ipsius cœli Iaspides, ipsum exornantes, quandoquidem ex vtroque sexu viro rum, ac mulierum coaceruantur, decoro ipsius Dei aspectu lætantur, rerum pretiosarũ varietate sunt circumamicti, dicam etiam varia sunt san ctorum genera, & varia nomina, cum inter Angelos varii sunt ordines. Seraphin, Cherubin, Throni, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli, Angeli, & inter homines varii sunt beatorum gradus, Prophetarum scilicet, Patriarcharum, Sacerdotum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Pontificum, Confessorum, Virginum, Viduarum; nonnè hi mystici Paradisus Iaspides sanguinem sistunt, si caro & sanguis ab illo regno mundissimo perpetuò exulant? nonnè casti sunt si sine macula sunt ante Thronum Dei? si virgines sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati? nonnè Principi Deo grati existũt, si Dei gratia est vita æterna? nonnè phantasmatibus aduersantur, si cunctis phantasmatum occursationibus deuictis, Dæmonumque insidiis superatis, perpetua pace, fęlicitateque fruuntur? nonnè demum concinentibus fauent, si non cessant clamare quotidie vnà voce dicentes, sanctus, sanctus, sanctus, &c. Neque mysterio vacant duodecim illa muri cęlestis fundamenta, ex duodecim pretiosis lapidibus circumornata, sunt enim duodecim Iesu Christi Apostoli, & sunt illius superni cellarii fundamen ta, non quidem primaria, cum *nemo*, vt ait Apostolus capite 3. prioris epistolæ ad Corinthios, *Aliud fundamentum ponere possit, præter id quod positum est, Christus Iesus*, at secundaria, de quibus idem Apostolus inquit ad Ephesios c. 2. *Fratres iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati suprà fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Declaro rem manifestius, nam Iaspis rubris guttulis conspersus D. Petri fidem charitate conspersam mysticè designat, de qua dominus noster aiebat. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua;* Sapphyrus qui cerulei coloris est, D. Iacobi minoris cognomento Iusti, contempla

tionem

tionem præmonstrat, qua totus Sapphyrinus, & cœlestis semper fereb tur in cœlũ, & ita assiduus in orationibus erat, vt eius genua in Cameli duritiam venerint; In Chalcedonio quamplurimis, vel omnibus etiam conspersо coloribus, D. Ioannis charitas denotatur, quæ omnium virtu tum princeps, & forma, complementum est Legis, & Prophetarum. In Smaragdo qui lapis est tantæ viriditatis, vt omnem cuiuslibet rei viro rem superet, ostenditur D. Andræas, qui ita viridis fuit, & viuax in Mysterio Crucis, vt nec facundis Achiuis, nec strenuo Romanorum Proconsuli Egeo vnquàm cesserit, quinimmo libentissimè moriens pretiosę Crucis uirtutem, tàm longè latèque diffudit, vt totam Achaiam suo virore complerit; Per Sardonium D. Matthiam significari posse existimo, quandoquidem si lapis iste ex Sardo & Onice compactus nonnunquàm tribus coloribus subterricio scilicet, nigro, & medio affectus esse videtur, & D. Matthias gemina decoratus dignitate, primò discipulus, mox verò Christi Apostolus fuit, & tribus excellnit priuilegiis, cum prudens consilio, sapiens animo, & sermone facundus esset. Per Sardium (qui acuit ingenium, mitem hominem reddit, animumque gestantis exhilarat) satis commodè D. Thadæus intelligi potest, quippe qui cum in partibus inferioribus Ponti, Christi Euangelium prædicaret, illarum gentium ingenia ad Euangelicę doctrinæ mysteria capessenda ex citauit, earum animos belluinis moribus sęuientes leniuit, sanctoque Euangelii dogmate exhilarauit; Chrysolitus, qui ex Aethiopia venit, au roque persimilis, ardentibus fulget scintillis. D. Matthæi figuram gerit, cuius sors in Aethiopia fuit, vbi Christi Euangelium veluti aurum, ardentibus diuinorum mysteriorum scintillis, immò verò fulgoribus micans conscripsit. Berillus qui aduersus hostes, horumque insidias homi nem tutum facit, & omnem sedat sæuitiam D. Bartholomęum indicat, qui in Armeniæ maioris prouincia, non solùm Dæmones humani gene ris hostes adeò terrefecit, vt eius vincti catenis, nullum deinceps respon sum darent, sed Bactrianos indomitos etiam mites effecit, cultiorisque in genii ad Euangelica Dei mysteria percipienda. In Topatio auri fulgore splendente, & in aquam feruidam misso, illam tepefaciente, D. Simon Zelotes designatur, qui aureæ charitatis fulgore resplendens, Aegyptios in Diaboli cultu feruentes, irrigua Euangelii prędicatione madefaciens temperauit; At per Chrysoprasum ab Indiæ prouincia venientem, & rarò ab hominibus repertum, nonnè D. Thomas mirificè demonstratur, qui Christi fidem in India prædicauit, quo ipse solus, & nullus alius Apostolorum accessit? Hyacintus indicat D. Iacobum Maiorem, nam si cuti lapis iste vim habet, atque efficacitatem, vt ipsum gestantes cuiuslibet, quam expostulant gratię voti compotes fiant, ita & Apostolus San

ctus

ctus tantam à principe Deo, quicquid in eius nomine petunt, impetrat. di gratiam hominibus præstat, vt ad sacras ipsius reliquias inuisendas, ac venerandas, Compostellam vsque ex omnibus Christiani orbis partibus quàmplurimi semper confluant. Et tádem Amethystus, cui datum est steriles homines fęcundare, ebrietatem restinguere, & veneni detrimenta cohibere, D. Philippum ostendit, quippe qui sterilem Eunuchum in vinea domini fęcundum effecit, Scytharum ebrietatem extinxit, atque Ebionitarum venenum per totam ferè Asiam propinatum cohibuit.
Hæc igitur sunt 12. illius superni Cellarii fundamenta, ex 12. pretiosis lapidibus constructa, qui sunt duodecim Iesu Christi Apostoli; per quos tanquàm per aliquas cœli portas, cum nobis illuc ingrediendi aditus patefiat, ideò & 12. portæ ex iisdem lapidibus erectæ dicuntur, vt Apostoli sancti, tanquam numina quædam & in fundamentis, & in portis fulgerent, quorum etiam nomina scripta sunt in portis, & figuratè respondēt 12. Tribubus filiorum Israhel, quorum nomina in eisdem quoque portis sculpta conspiciuntur. Verum quoniam hoc supernum beatorum spirituum cellarium in quadro positum est, in singulis etiam quatuor lateribus, tres portas positas esse inquit D. Ioannes, vt ternarius illius sanctissimæ Trinitatis personarum numerus, in quaternario sacri nominis Tetragrammaton, quod est Ieouha', contentus intelligatur, quorum quilibet per alterū multiplicatus, duodenarium numerum complet; A quacunque igitur plaga, siue ab Oriente Adolescentiæ, siue à Meridie Iuuentutis, siue ab Aquilone virilitatis, siue ab Occasu Senectutis, illuc ingrediamur, semper in hoc cellarium quadratum, per ternarias portas transeuntes introducimur, quibus 12. portis 12. Angeli prę sidere dicuntur, quoniam in hoc cœleste regnum, sine Angelorum ministerio nullus ingredi potest, vt D. Lucæ cap. 26. habemus, vbi de Lazaro illo mendico, Christus Dominus noster verba faciens inquit. *Et factum est vt moreretur mendicus Lazarus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ;* & hanc certè caussam fuisse puto, vt Apostolorum nomina, & tribuū Israhel in fundamētis, nomina verò Angelorum in portis inscripta legantur, quòd scilicet Angelorum intersit, nos in aulam regiam introducere, sicuti Apostoli & Prophetæ 12. fundamenta sunt, quæ super illud fundamentum primarium iacta, quod est Christus Iesus, sustinent hoc cœlestis cellarii ædificium. Si verò tàm magnum est, & ingens hoc cellarium, vt totum illius spacium quadraginta & octo millibus stadiis in latitudine, & centum quadraginta quatuor cubitis in altitudine consumatur, nullam sanè nobis admirationem afferre debet, quandoquidem tot sunt electorum millia, vt turbam magnam ex omni tribu, & gente congregatam quam dinumerare nemo poterat, D. Ioannes

…es se vidisse astruat;quinimmo paruus adhùc esset huius cellarii ambi…s, nisi sacramenta potius huius numeri stadiorum, & cubitorum, quàm ipsummet numerum perpenderemus;nam centenarius numerus, ac Millenarius,qui cubus est,& solidus numeri completi;hoc est denarii vltra quem nō datur vlterior numerus, at præcedentium semper numerorum fit repetitio,ad vltimum spectat complementum, vt completam ipsius cellarii perfectionem designet, & hac de caussa per centenaria,ac millenaria stadiorum, & cubitorum illud dimetitur Euāgelista Ioannes. Cur autem existimatis auditores Apostolum sanctum in hoc cellario templum non vidisse?certè quoniam ipse Deus templum est; at plateam vidit in medio Ciuitatis,ex auro mundo constructam, sicut enim plateam ciues,& populi sæpe frequentant, ita cellarium istud sanctorum ciues,& domestici Dei incolentes,ipsius Dei, & proximi charitate resplendent;& vt intelligamus illius supernæ ciuitatis Ciues non solum charitate,quæ per aurum,verum etiam sapientia, quæ per Aquam symbolicè designatur,præditos esse,quemadmodum Ecclef.ca.15.legitur, *Aqua sapientiæ salutaris potauit illos Dominus*; In ipsius plateæ medio lignum vitæ non solum collocatum esse inquit, sed ex vtraque ē parte ligni,fluuium perennem circumfluere,totumque paradisum salutaribus suis aquis irrigare dicit, de quo fortasse Dauid in Psalmo quarto canebat. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei:* Et quid si dixerimus hunc vitæ fluuium omnium bonorum affluentiam esse ab illo fonte perenni, ac sempiterno,qui Deus est,emanantem?lignum profectò vitæ est vnigenitus Dei Filius, in quo viuimus, mouemur, & sumus, & de quo D.Ioannes c. 17. aiebat. *Hæc est vita æterna,vt cognoscant te Deum verum,& quem misisti Iesum Christum.* Qui verò sint hi 12. fructus,qui singulis mensibus produci dicuntur,Tu bone Iesu,qui Arborem plantasti, nos doceas; neque enim duodecim illi spiritus sancti fructus hi mihi videntur,de quibus Apostolus Galatum cap.5.aiebat. *Fructus spiritus est Charitas,Gaudium,Pax,Patientia,Benignitas,Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo,Fides,Modestia,Continentia, Castitas.* Hi namque viatorum sunt fructus in hac vita militantium, illi verò beatorum in cœlo triumphantium,hi spiritus fructus à Diuo Paulo appellantur,illi verò filii fructus à D.Ioanne nuncupantur;Et si arbor est filius, quem Deus in hac carne plantauit,hi 12.fructus,qui numerus est apud Arithmeticos plus quàm perfectus,cuius partes aliquotę ipsum excedunt,omnimodum fructum,quem Christus in hac vita produxit, symbolicè nobis designant, enumerantur autem duodecim tantum, & per singulos duodecim menses produci dicuntur,quoniam beati omnes,tùm Angeli,tùm Prophetæ,tùm etiam Apostoli,qui huiusmodi fructibus in illa mensa vescuntur,

tur,quinimmo,& fundamenta cellarii,& fundamentorum lapides pretiosi, & portæ, & stadiorum, cubitorumque millia, per hunc duodenarium numerum partiuntur, quippe qui summam beatorum fœlicitatem, & perfectionem indicat; rursus adsunt folia ligni; quæ gentium sanitati destinata sunt, & Christi sunt sacramenta, quæ veluti quædam tegmenta delinquentium nuditatem tegentia, in omnium vulneratorum sanitatem, à Christo Redemptore hominibus hic vitam degentibus data sunt, vt ait Psalmographus Psalmo 106. *Misit verbum suum & sanauit eos*, demum hoc cœleste Christi Regis cellarium, tot tantisque coruscat splendoribus, vt non egeat Sole neque Luna qui luceant in eo, nam claritas Dei illud illustrat, & lucerna eius est Agnus, qui lux mundi est, & Solis instar in medio planetarum, in omnium nostrum medio residens, inferiùs, superiusque resplendet, & omnia sua luce illuminat; O præclarum & admirabile Dei, ac beatorum cellarium, & quid dico cellarium? immo verò domus, Ciuitas, Regnum, Monarchia, vbi primum & excelsum tribunal est ipsius Imperatoris Dei Optimi Maximi, vt ipsemet Isaiæ capite 66. ait, *Cœlum sedes mea est*, cui præcipuus astat Thronus, in quo Christi humanitas residet, vt inquit Isaias capite sexto. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum*; mox verò omnium Angelorum hominumque regina amicta Sole, stellis duodecim coronata, & Lunam sub pedibus habens, Christo filio assidet vt cecinit Dauid Psalmo 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate*. Hinc tot Angelorum millia, veluti apparitores Dei, ipsius astant regio tribunali, quorum quidam illi sunt assistentes, alii verò ministrantes, & primum septem spiritus adsunt, quibus totius regni cœlestis, & elementaris dispensatio credita est, de quibus ait Diuus Ioannes Apocalypsis cap. 4. *Et septem lampades ardentes ante Thronum Dei, qui sunt septem Dei spiritus*, per quos, tanquàm per aliquos suos ministros, Deus omnia regit, & gubernat, tùm superiora quæ numero ternario gaudent, tùm inferiora quæ ex numero quaternario, hoc est, ex quatuor elementis componuntur, ex quibus sanè numeris septenarius ministrantium Angelorum numerus completur. Insuper Patriarchæ sunt in illa regali aula, veluti Regis nostri Barones, Prophetæ sunt illius serui à secretis, Ioannes Baptista nuptiarum Christi est paranimphus, Apostoli totius mundi Iudices Christo regi sunt assessores, Martyres sunt militię cœlestis Equites, & Duces. Confessores, & Pontifices sunt illius ecclesiæ triumphantis Prælati; Virgines sunt ipsius Regis sponsæ, & demum tot ibi sunt Angelorum, hominumque Sanctorum agmina, vt à nobis diffiniri nequeant, Diuo Ioan

ne Apocalypsis cap. 7. inquiente. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.* Illud sanè certum est, oẽs ante Thronum Dei, & Agni alternantibus vocibus hymnos in eius laudem, & honorem, & gloriam perpetuò canere, sicuti illud quoque verum esse non ambigimus, multas in hoc superno cellario beatarum mentium mansiones esse, variosque gradus, & ordines, quemadmodum Diui Ioannis capite decimoquarto ipse dominus asseuerat inquiens. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*; Neque enim has multas, ac varias mansiones, de variis ecclesiæ militantis gradibus interpretari debemus, ut impiè voluit Iouinianus hæreticus, quippe qui anno Domini 360. (ut Diuus Hieronymus refert, libro secundo contra eundem) ne cogeretur fateri diuersos esse beatorum spirituum gradus, neque omnes æquali beatitudine frui, quod tamen verissimum est, hæc Redemptoris nostri verba, de ecclesiæ militantis domo interpretatus fuit, in qua varios reperiri credentium gradus Catholicè confitetur, vt Diuus Apostolus ait Ephesiorum cap. quarto. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores*; at in Ecclesia Triumphanti, non varios reperiri putat beatorum gradus, at æqualem prorsus omnium esse beatitudinem existimauit; verum decipitur homo iste: nam de regni cœlestis mansionibus Christum loqui, & diuersos esse beatorum ordines, & inæqualem eorum fœlicitatem, quàmplures catholici patres astruunt, vt Irenæus libro tertio, cap. 21. Diuus Basilius Magnus libro de spiritu sancto capite decimosexto, Diuus Cyrillus libro nono super Diuum Ioannem cap 31. Diuus Hilarius in Psalmum 64. Diuus Ambrosius libro de bono mortis cap. 12. Diuus Augustinus in libro de Virginitate cap. 26. Diuus Gregorius Papa libro nono Moralium cap. 39. & Diuus Hieronymus loco citato contra Iouinianum, qui vnanimi omnes consensu hunc locum interpretantes, asserunt multas dici mansiones in domo Dei, non solùm quia sunt plures, verùm etiam quia sunt inæquales, sicut in hoc mundo terreno inæqualis extitit iustorum vita, & inæqualia ipsorum operum merita; præterquàm quòd Apostolus cap. 15. prioris epistolæ ad Corinthios scriptæ, perpulchro stellarum exemplo dilucidè nobis hoc ostendit, inquiens. *Sicut stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum*, & certè de illa domo Christum suis cum Apostolis tunc loquutum fuisse credendum est, ad quam ire properabat, cùm aiebat, *Vado vobis parare locum*: at ad cœlestem patriam & triumphantem ibat, de hac igitur huiusque mansionibus loquebatur; cùm potissimum ipse Christus ibidem subiungat. *Veniam ad vos, & assumam ad me ipsum*. In hoc ergo cœleste cellarium sponsa Christi Ecclesia à spon-

ſponſo Rege ſe introduci expoſcit, dicens. *Introducat me Rex in cellarium gloriæ ſuæ*, vt ibi veram ſpiritalis coniugii perfectamque confirmationem ſuſcipiat, nullumque in poſterum diuortium timeat, at ſanctiſſimo Hymeneo, qui ſpiritus eſt & nexus Dei, ſuo ſponſo colligata, ab eius conſortio nunquàm ſeparetur: tunc enim in ſempiterna illius tabernacula introducta, & pretioſæ ſui ſponſi menſæ accumbens, cœleſtem illam Ambroſiam, diuinumque Nectar omni ſuauitate repletum lætiſſima manducabit, & bibet, quemadmodum Diui Lucæ capite vigeſimoſecundo ipſemet Chriſtus Apoſtolis pollicetur, & ait. *Ego diſpoſui vobis menſam, vt edatis, & bibatis in regno meo:* quod quidam etiam Poeta lepidè cecinit, dicens.

Fœlix qui potuit cæleſtium accumbere menſæ.

Et adhuc manifeſtius illud idem aſtruit Redemptor noſter in Euangelio Diui Lucæ capite decimoquarto. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei:* Fœlices profectò ſunt, & ter, & quater, immo millies, & ſemper beati, qui menſæ illi cœleſti accumbunt, vbi menſa rotunda eſt, quam ipſemet Deus pretioſiſſimam effecit atque ornauit, quinimmo, nec Deus illam effecit, at eſt æterna, ſicuti Deus, & eſt ipſemet Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, qui ſphæra intelligibilis eſt, cuius centrum vbique, & circumferentia nuſquàm exiſtens, omni caret principio, omnique fine; ſed omnium rerum Alpha eſt & Omega, principium videlicet & finis; & quid ſi dixerimus hanc Dei menſam, nō ſolum rotundam ratione diuinitatis, ſed Triangularem etiam eſſe ratione trium perſonarum, Patris, Filii, & Spiritus ſancti? illud quidem procul dubio verum eſt Domini, Ezechielem prophetam capite 16. Typicum Ciuitatis Hieruſalem ornatum deſcribentem, aſſeuerare, Deum Optimum, Maximum, tres ciborum delitias ſuæ ſponſæ Eccleſiæ in cœlo paraſſe, nimirum, ſimilam, mel, & oleum, vbi vt Diuo Hieronymo in ſuis commentariis ibidem placet, ſub tribus ciborum nominibus, ex quibus commixtis vnus panis efficitur, diuinarum perſonarum Trinitas, ſub vna diuinæ naturæ ſubſtantia ſymbolicè præmonſtratur, nam ſimila quæ tritici medulla eſt, in antiquæ legis ſacrificiis iuſſa offerri, Chriſtum vnigenitum Dei filium figuratè deſignat, qui pro nobis omnibus in ara Crucis ſeipſum obtulit Immaculatum Deo, vt ait, Diuus Ioannes cap. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Mel autem quo cuncta dulceſcunt, Spiritus ſancti ſymbolum eſt, qui gratiæ ſuæ dulcedine omnium dolorum noſtrorum amaritudinem & acerbitatem edulcat, & lenit, iuxta illud Dauidis dictum in Pſalmo 80. *De petra melle ſaturauit eos.* Oleum tandem quod lumini

nutrimentum præbet, ad Patrem luminum aptari poteſt, de quo legimus Pſalmo 35. *In lumine tuo videbimus lumen:* His tribus igitur ciborum delitiis, ſimila, melle, & oleo, hoc eſt Patre, Filio, & Spiritu ſancto omnis creatura intellectu & ratione prædita, hoc eſt Angelica, & humana paſcitur & nutritur; neque enim patre abſque filio, neque filio abſque patre, neque ſpiritu ſancto abſque patre & filio frui poſſumus; at qui fruitur patre, neceſſum eſt vt fruatur & filio, & qui fruitur patre, & filio, illum quoque ſpiritu ſancto frui oportet, ſicuti docet Dominus noſter Diui Ioannis cap. 14. Cum inquit, *Philippe, qui videt me, videt & patrem meum.* Etenim cùm eadem ſit natura, & ſubſtantia Patris, Filii, & Spiritus ſancti, non poteſt videri pater quin ſimul videatur filius, & ſpiritus ſanctus; nec ob id ſequitur eandem eſſe patris, filii, & ſpiritus ſancti perſonam, quod impiè putauit Praxeas hæreticus, quippe qui vt refert Tertullianus in libro aduerſus eundem, ita argumentabatur, ſi ex Chriſti verbis qui videt filium, videt & patrem, ergo eadem eſt vtriuſque perſona, nequaquàm Domini hoc ſequitur, quandoquidem in his verbis, perſonarum diſtinctio non confunditur, at diuinæ naturæ vnitas demonſtratur; ſi enim qui videt filium, videt & patrem, ergo eadem eſt vtriuſque natura, & duarum perſonarum diſtinctio, quoniam niſi duæ eſſent perſonæ, non dixiſſet Chriſtus, *Qui videt me, videt & patrem,* cui enim dubium foret, ſi perſona patris, & filii eadem eſſet, ſicuti eadem eſt natura, illum videre patrem, qui videt filium? at illud eſt mirabile, vt licèt alia ſit perſona patris, & alia perſona filii, ob ſummam tamen eiuſdem naturæ vnitatem, cum qua (vt Scolaſtici aiunt) identificantur perſonæ, vna perſona videri non poſſit, quin videatur & alia, ita inquiunt, Baſilius Magnus in homel. 27. contra Sabellianos; & in libro de Spiritu ſancto capite 23. Diuus Athanaſius in oratione contra Arrianos, Diuus Cyrillus Alexandrinus, & Diuus Ioannes Chryſoſtomus in eorum commentariis ſuper Diuum Ioannem capite decimoquarto, & Diuus Hilarius libro ſeptimo de Trinitate; Et ſanè, hæc eſt illa menſa, quam diſpoſuit nobis Deus à prima mundi conſtitutione, videre Deum, frui Deo, poſsidere Deum, in quo eſt omnium diuitiarum affluentia, omnium delitiarum influentia, omniumque bonorum confluentia, hoc eſt, vera vita, vitalis iucunditas, iucunda fœlicitas, fœlix æternitas, æterna poſſeſsio; & quæ certè vita iucundior, quæ iucunditas fœlicior, quæ fœlicitas beatior, & quæ poſſeſsio ſecurior ipſo Deo Optimo Maximo reperiri poteſt, qui eſt vita noſtra, iucunditas noſtra, beatitudo noſtra, & poſſeſsio noſtra? Audite Domini, ipſe Deus eſt vita noſtra,

D. Ioan-

D. Ioannis cap. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum*, Ipse est iocunditas nostra, Apocalypsis cap. 19. *Gaudeamus, & exultemus, quia venerunt nuptiæ Agni*, Ipse est beatitudo nostra, D. Lucæ cap. 14. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*. Ipse est possessio nostra, D. Matthæi cap. 25. *Venite benedicti patris mei, possidete regnum vobis paratum ab origine mundi*; Verum audite adhuc rem omni admiratione diguissimam, ipsemet Christus factus homo, veluti cœlestium nuptiarum paranimphus, suæ sponsæ ministrat, ipse fert regias dapes, ipse vasa aurea vino delicato redundantia propinat, ipse est panis viuus, quem qui manducat viuit in æternum, ipse est vitis vera, & vinum nouum quod bibunt beati in regno Dei, ipse est caro, quæ verè est cibus, ipse est sanguis, qui verè est potus, ipse est lignum vitæ in medio paradisi plantatum, ipse est fructus suauissimus virginei ventris, ipse demum sanctos omnes, vt edant, & bibant iocundè inuitat, & ait. *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi*: Hinc in sempiterno illo cellario, quod Domus est iocunditatis, & lætitiæ, omnia læta sunt, omnia iocunda, omnia harmonico, suauissimoque concentu resonant, nam omnium beatorum mentes non solùm, at eorum quoque corporeæ voces, post generalem omnium resurrectionem, perpetuò decantant summi opificis laudes, vt ait psalmographus in Psalmo 149. *Exultationes Dei in gutture eorum*; Concinunt inquàm omnes Angelici, humaniq́ue spiritus ante Thronum Dei, & Agni epithalamium, hoc est, sacros hymnos in nuptiis decantatos, multis modulis, variis concentibus, ac suauissimis Instrumentis, in sono Tubę, in Psalterio, in Tympano, & Choro, in Chordis, & organo, in Cymbalis benè sonantibus, in Cythara, & aliis quàmpluribus instrumentis, quæ D. Augustinus ad modum decantandi laudes diuinas referri existimauit, dicens. *Sancti in omnibus musicis Instrumentis diuinas laudes decantare dicuntur*. in Tuba enim summam Dei charitatem concinunt, in Psalterio quod à superiori parte, & in Cythara quæ ab inferiori resonat, Deum qui fecit cœlum, & terram collaudant, in Tympano, quod fit ex corio firmo, diuinæ firmitatis gloriam ostendunt, in Chordis, & organo quod flantibus follibus per Fistulas sonat, multigeni sanctorum concentus præmonstrantur, & demum in Cymbalis benè sonantibus, quæ solo tactu sonant, mutui beatorum spirituum hymni designantur; O quàm dulcia in æterno regis nostri cellario epithalamia, quot sacri Hymni, quot suauia Carmina, quod iocundæ cantiones decantantur, *Et cantabant canticum nouum*, inquit D. Ioannes in Apocalypsi cap. 14. Nouas quidem cantiones concinunt, & nouis modis, hoc est, sæculum æternitatis,
 om-

omnium rerum productionem, temporis cursum, perpetuos globorum cœlestium motus, mundi pulchritudinem, hominis præstantiam, dicam etiam Christi redemptoris nostri Incarnationem, Deiparæ virginis Castitatem, humani generis salutem, Dæmonum oppugnationem, gloriosum de peccato triumphum adeptum, & tandem ipsius Dei Opt. Max. gloriam sempiternam; Canant quantum velint antiqui Iudæi fœlicem Israhelitici populi per mare Rubrum transitum, Pharaonis exercitum ibi submersum, & illustres ipsius Mosis triumphos: concinant Græci excidium Troiæ, Achillis fortitudinem, Priami miseriam, Vlyssis sagacitatem, & prudentiam; decantent Romani suorum regum excellentiam, Imperatorum gesta egregia; Pompei magni robur, & Cæsaris fœlicitatem; Hæc cantica nimis consueta sunt, nimisque vsu recepta, at beatarum mentium cantiones nouæ sunt, & nunquam à nobis auditæ; *Et cantabant canticum nouum*. Quamobrem sponsa Christi Ecclesia postquàm in hoc supernum cellarium à sponso Rege se introduci expostulauit inquiens. *Introducat me Rex in cellaria sua*, statim subintulit. *Exultabimus, & lætabimur in te*, ac si dicat, tunc enim ego & adolescentulæ, quæ sunt animæ instę, & sanctæ in illas beatas sedes introductæ, exultabimus corpore, & lætabimur animo, exultabimus voce, & lætabimur spiritu, exultabimus extra, & lætabimur intra, & exultabimus simul, & lætabimur in te, non in nobis, in te inquiunt, qui es vita, & consolatio nostra. Hoc idem cecinit Dauid in Psalmo 31. *Lætamini in domino, & exultate iusti*. & in Psalmo 149. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis*. Hoc idem asseruit Diuus Ioannes in Apocalypsi cap. 19. *Gaudeamus, & exultemus, quia venerunt Nuptiæ Agni*. Hoc idem denique dixit dominus noster in Euangelio Diui Matthæi cap. quinto. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo*. Hæc sunt auditores huius tertii cellarii decora, & ornamenta, quæ tot, tantaque sunt, vt nec humanus oculus in terris hæc vnquam viderit, nec auris audierit, nec cor aut mens excogitauerit; celebrent igitur quantum velint priscæ, Ethnicorum sanctorumque patrum historiæ, & summis in cœlum laudibus extollant regis Latini domum, Marci Aemilii Theatrum, Publii Clodii ædes, Magni Pompeci Amphiteatrum, Aureum Neronis palatium, Alexandri Magni tabernaculum, & famosum Salomonis templum: sumptuosa profectò fuerunt, & magnifica hæc clarissimorum virorum ædificia, at tria Christi cellaria his omnibus eò sumptuosiora sunt, & magnificentiora, quò maior est Sol, cæteris cęli syderibus, & illustrior; etenim si regis Latini domus celebris erat, quòd centum columnis maximè sublimis sustineretur, & huius mundi cellarium celeberrimum est, quod

duobus

duobus duntaxat polis, artico scilicet, & antartico, firmum sanè, ac stabile, sempiterno motu oritur. Si M. Aemilii theatrū in hæc vsq; tempora ob mirandam ædificii altitudinem, qua cęlum tangere videbatur, tantopere commendatur, & Ecclesiæ militantis cellarium, perpetuò commendandum celebratur, quòd ita sublime erigatur, vt non dicam ad cęlestium globorum astra, at ad beatorum spirituum sedes vsque extollatur. Si Publii Clodii ædes ita laudantur, quod sestertiis CXLVII. millibus emptę fuerint, & cœli empyrei cellarium maximis laudibus est efferendum, quandoquidem nec omnibus etiam totius mundi thesauris, at solo Christi filii Dei merito infinito emi potuit. Si magni Pompei amphytheatrum illustri commendatione ornatur, quòd tantæ amplitudinis esset, vt caperet XL. millia hominum, & huius mundi cellarium illustrius, & honorificentius est prædicandum, intra cuius ambitus amplissimā magnitudinem omnia continentur. Si aureum Neronis palatium adhuc celebre est, quòd tanto sumptu, & tanto rerum omnium apparatu constructum esset, vt ad illud ædificandum duodecies cētena & quinquaginta millia aureorum nostrorum fuerint expensa, & Ecclesiæ militantis cellarium tot pretiosis lapidibus, & gemmis, hoc est, tot diuinarum gratiarum beneficiis exornatum, splendidissimè fulget, vt ad hoc construendum, non maxima nummorum copia, sed diuino Iesu Christi sanguine opus fuerit. Si Alexandri Magni Tabernaculum tanta nominis famositate cōmendatur, in cuius medio aurea sella fulgebat, super quàm variis textam ornamentis, mille seruis Persis astantibus, mille Sagittariis Macedonicis, & quingentis militibus cum scutis Argenteis septus sedebat Alexander, & cœli Empyrei cellarium miris, & sempiternis præconiis est illustrandum, in cuius medio magnificentissimum Dei solium fulget, super quod ditissimis ornamentis contextū innumeris ferè, ac sempiternis Angelorum, hominumque spiritibus circumdata, diuina sedet Maiestas.
Si demum magnificum illud templum quod anno regni sui quarto ædificare cœpit Salomon Dauidis filius, eximia prædicatione apud omnes Gentium populos effertur, quòd à Iudæorum Rege, & omnium hominum sapientissimo ædificatum fuerit, quis non ingenuè fateatur, hęc tria Christi cellaria. Cœlum Empyreum, Ecclesiam Militantem, & totum hunc mundum, cùm fabricæ structura, tùm ornamentorum apparatu, tùm etiam rerum omnium gloria, Salomonis templo plurimum præstare? neque enim à rege solum, & à viro omnium hominum sapientissimo constructa sunt, verùm à rege, qui rex regum est, & Dominus dominantium, in quo omnes Thesauri absconditi sunt sapientiæ, & scientiæ Dei.
O pulcherrima, & præclarissima Christi regis nostri cellaria, in quorum vnum, & alterum illius sponsa iàm introducta, in tertium & postremum,

immo verò supremum se introduci expostulat dicens. *Introducat me Rex in cellaria sua*: Cedant profectò his tribus Christi cellariis, cedant & hæc pauca, & cætera omnia totius orbis terrarum ædificia, cedant inquàm & septem illa opera toto terrarum orbe cantatissima, quæ propter fabricę magnitudinem, & incredibilem sumptum, quasi septem mundi miracula celebrauit antiquitas, vt Pyramides Nili, Turris Pharia, Muri Babylonis, Templum Dianæ Ephesiæ, Sepulchrū Mausoli, Colossus Solis apud Rhodios, & Simulachrum Iouis Olympici. Hæc enim sunt opera manuum hominum: at cellaria ista Christi sunt ædificia, qui verus homo est, ac verus Deus. *Introduxit me Rex in cellaria sua*; Et hactenus de Cellariis.

LECTIO XXXVIII.

Nigra sum, sed formosa, Filiæ Hierusalem,
Sicut Tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

SEPTEM (si memoria hæc retinetis) sunt postulata, quorum in hoc primo Cantico peculiari, sponsa Ecclesia à sponso Christo se voti compotem fieri flagitat: Cumque ex his iàm satis in tribus sibi factum esse conspexerit, quarto loco sub Gentium plebis persona in sponsi Regis aduentu tàm diu desiderato, vnà cum plebe Israhelitica, & fideli se sociari expostulat, inquiens. *Nigra sum, sed formosa, &c.* Hic autem, & Dramatis ordinem mutari, & nouam effici Scenam proculdubio censendum est, tùm quòd sponsæ loquentis persona variatur, tùm quòd ipsius sponsæ Adolescentulis discedentibus, earum loco filiæ Hierusalem inducuntur: in prima namque postulatione sola Iudæorum Synagoga æternum sponsi patrem compellauit, dicens, *Osculetur me osculo oris sui*. In secunda verò, & tertia omnium Christi fidelium tàm Iudæorum, quàm Gentium congregatio, ipsummet sponsum Christum iàm hominem factum est allocuta, cum ait. *Trahe me post te, &c. Introducat me Rex in cellaria sua*. Hic verò (quod est quartum postulatum) Plebs gentium duntaxat Filias Hierusalem compellans, à Salomone Propheta inducitur, quæ inquit, *Nigra sum, sed formosa, &c.* Quamobrem illorum sententiam haud probandam censeo, qui cum Lyrano hæc verba Iudæorum tantum Sinagogæ tribuunt, quippe quæ in Aegypto sub crudeli seruitute Pharaonis cùm ageret, imperfectiores suæ gentis populos, per filias Hierusalem hic mysticè designatos, in tot tantisque calamitatibus, & afflictionibus, ita consoletur atque confir-

confirmet. *Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem, &c.* Non est inquam huiusmodi sententia approbanda, quoniam hæc sponsæ verba Iudæorum tantum Synagogæ parum quadrare videntur, dum esset in Aegypto captiua, quandoquidem Israhelitici populi miseria, sub Pharaone Aegyptiorum Rege, per multa annorum sæcula contigit ante Christi aduentum, post quem à Salomone Propheta qui futura æquè ac præsentia, atque præterita præuidit, sponsa cum filiabus Hierusalem verba faciens, hic inducitur, præterquàm quòd in Aegypto non solùm sub Pharaone, verum etiam in Babylonia sub Nabuchodonosor, & aliis quàmpluribus in locis centum ac mille passa est incommoda. Neque ipsius etiam Glossæ ordinariæ Auctoris, & nonnullorum huius Cantici recentiorum interpretum explicationem laudo, qui Ecclesiam tàm ex Iudæis obscuro loco natis, qui sunt Apostoli, & ii pauci, qui Christum in terris viuentem sequebantur, quàm ex Gentibus collectam, quæ paulò ante venerabantur Idola, hoc est, Ecclesiam Noui Testamenti, vt inquiunt Primitiuam, in his verbis à Salomone induci opinantur, compellantem (vt his recentioribus placet) primarios Iudæos, vt legis peritos, qui per filias Hierusalem indicantur, aut (vt astruit Glossæ ordinariæ auctor) illos præoccupantem, qui propenso cum sint animo ad Christi fidem suscipiendam, & societatem cum Dei Ecclesia ineundam, illius tamen incommodis & perturbationibus, quibus ferè semper affligitur offensi, adhùc suspensi hęrent; putat enim vir iste, nascentem Christi ecclesiam ex Iudæis Gentibusque collectam, animos hominum de Christi fide suscipienda tunc temporis ex variis quas ipsa patiebatur calamitatibus suspensos, talibus verbis præuenire. O filiæ Hierusalem, quarum nomina scripta sunt in libro vitæ, ne vos quæso offendat, aut à me alienet hæc mea exterior facies fusca, hoc est erumnæ, & afflictiones quas ab hostibus mihi illatas sustineo, ne vos perturbent, sed alliciant potius, atque in data fide interioris faciei pulchritudo insignis vos detineat; *Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem.* Recentiores verò interpretes hæc verba ita explicanda esse credunt, vt cum primarii illi Iudæi, qui per filias Hierusalem hoc loco designantur, Ecclesiam tùm ex Iudæis obscuro loco natis, tùm ex Gentibus Idololatriæ vitio denigratis collectam, eò honoris & dignitatis prouectam esse vidissent, vt & ad Dei cognitionem, regnique Euangelici præstantiam fuerit vocata, & à Christo Rege in sui regni cœlestis consortem cooptata, cumque magno supercilio eam contemnerent, & acerbissimis persequerentur maledictis, ipsa de obiectis sibi criminibus, hac non minus modesta quàm breui Apologia se excuset, ac purget, inquiens, *Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem*: qua quidem defensione, etsi fatetur Ecclesia sponsa, se

nigram

nigram esse, aut humilium natalium suorum obscuritate, aut humanæ literaturæ imperitia, aut anteactę vitæ ignominia, veruntamen satis habet huius nigroris labem nihil sibi obesse, quin pulchra sit, & venusta ex fide, & charitate, aliisque virtutibus, quibus tanquàm honorificis ornamentis interior ipsius facies splendet. *Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem*: quod certè asserere nimis durum existimo, quandoquidem huiusmodi horum virorum interpretationes, aut nihil aut parum ad iam dicta aptari possunt; hucusque enim, hæc Iudæorum, & Gentium Christi fidelium vnio, si in sponsi Regis cellaria se introduci expostulauit, aut se illuc introductam fuisse, suis nunciauit Adolescentulis, qui fieri potest, vt hæc eadem ecclesia, ex iisdem Iudęis ac Gentibus congregata, se esse nigram affirmet, aut ob suorum natalium obscuritatem, & anteactę vitæ ignominiam, vt recentioribus placet, aut ob miserias, & calamitates, quas à Christiani nominis hostibus quotidiè patiebatur, vt astruit Glossæ ordinariæ auctor. Optimè igitur hæc sponsæ verba interpretantur Origenes, Diuus Hieronymus, Beda venerabilis, Hugo Cardinalis, Diuus Bernardus, Diuus Thomas, Haymon, & Iacobus Valentinus, nimirum vt plebs gentium duntaxat, extra Christi regnum deuia itinera ad Tartara currens, in temporis plenitudine cùm misit Deus filium suum in mundum, vt omnem hominem suæ lucis radio illustraret, huius diuinæ lucis splendore, & ipsa plebs gentium, ex Christi gratia tunc temporis illustrata, sub his verbis populos in Christum credentes, & in Ecclesiæ sinum iàm diù receptos alloquatur, & dicat. *Nigra sum sed formosa ò filiæ Hierusalem*. illius videlicet supernę Hierusalem, de qua inquit Apostolus Galatum cap. 4. *Illa quæ sursum est Hierusalem, quæ est mater nostra*, & quanquàm inter has aliquæ fuerunt, & sunt adhùc filiæ, hoc est, credentium animæ variis erratorum sordibus deturpatæ, omnes tamen filias Hierusalem appellat plebs gentium, tùm propter eorundem sacramentorum receptionem, tùm propter eiusdem fidei confessionem, quæ bonis communis est, atque malis in Ecclesiæ Christi cellario congregatis; Verum quid in his verbis plebs gentium sibi velit, non omnes huius libelli explicatores idem sentiunt, sed alii alia dicunt; etenim doctus Origenes ita exponit. *Quoniam sponsa nondum omnium peccatorum sorde purgata, necdum lota est in salute, nigram se quidem esse filiabus Hierusalem nunciat, at quoniam ad meliora conuersa suorum se peccatorum pœnitere cœperat, pulchram, ac venustam se prædicat, inquiens: Nigra sum sed formosa filiæ Hierusalem*. D. Hieronymus ita explicat. *Loquitur sponsa, quæ est ecclesia ex gentibus congregata, non ad illas adolescentulas, quæ cum ipsa currere solent, sed ad filias Hierusalem, hoc est, ad Iudaicæ Sinagogæ populos, quibus tanquàm iis qui ipsius gentium*

plebis

plebis fœditati derogauerant, respondere videtur. Nigra sum quidem ò filiæ Hierusalem, quæ nec ex nobili clarorum virorum stirpe descendi, nec Mosaicæ legis lumen recepi, attamen sum formosa, tùm quòd ad Imaginem Dei creata sum, tùm quòd cęlestis pulchritudinis speciem, aliqua ex parte iam habeo. Diuus Gregorius etsi non allegoricè de Ecclesia hæc verba explanat, Tropologicè tamen de cuiuslibet Christi fidelis anima illa interpretans, inquit. *Nigra est anima, quia peccatorum turpitudinem habet, at formosa iustitia decore.* Beda Venerabilis inquit, *Sponsam Christi ecclesiam, filias Hierusalem, quæ sunt animæ cœlestibus sacramentis imbutæ, & ad cœlestem patriam properantes, hic consolari, ne tot tantisque ærumnarum incommodis, quas ab hostibus patiuntur, ipsæ adhuc tenellæ perturbentur, ac si dicat, vilis quidem nimis in oculis persequentium appareo, sed ante Deum veritatis, vt aiunt, confessione gloriosa refulgeo. Vos igitur ò animæ sanctæ in huius laboris exilio, non contristari oportet, quæ supernæ patriæ ciues esse desideratis:* quamobrem iste vir sanctus, non propter peccata Ecclesiæ, at propter eius miserias, & incommoda, quibus semper affligitur, ipsam se nigram esse fateri existimat, D. Bernardus his verbis hanc sententiam subiectam esse asserit, *Nigram se dicit Ecclesia, ob tetram conuersationem, quàm prius habuit sub principe huius mundi, imaginem terrestris hominis adhuc portans, at formosam se esse gloriatur, ob cœlestis hominis similitudinem, quam postea per Christum in vitæ nouitate ambulans assecuta est: aut nigram se esse fatetur, quia quotidie affligitur in fame, & siti, in frigore & nuditate, in plagis supra modum, & in laboribus plurimis, ac formosa est, quoniam gloriatur in tribulationibus, sciens quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes non confundit.* Diuus Thomas, & Haymon ita interpretantur; *Hic rursus loquitur gentium Ecclesia, ad sanctas animas; & ait; Nigra sanè sum, quoniam afflictiones, & angustias à filijs tenebrarum mihi illatas patior, sed formosa sum decore virtutum, fidei scilicet, spei, & charitatis.* Hugo verò Cardinalis varias horum verborum intelligentias adducit, inquiens; *Vox est sponsæ ad adolescentulas, eas cohortantis ad perseuerantiam & tolerantiã passionum, & murmur blasphemantium compescentes, quasi dicat, O adolescentulæ vos vultis in Christi cellaria introduci, & mecum currere prætermittitis; sed non deterreant vos afflictiones, quas ab hostibus mihi illatas quotidie fero: Nigra etenim sum, quia foris affligor, at sum formosa quia intus glorior in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi, seu Nigram se dicit Ecclesia in pœnitentibus, & formosam in iustis, Nigram in actiuis, et formosam in contemplatiuis, Nigram in quibusdam vestrum, ò filiæ Hierusalem quæ peccatorum sordibus denigratæ estis, &*

formo-

formosam in alijs quæ diuina gratia sunt dealbata. Nigram secundum nigredinem propriæ conditionis, & formosam ex munere ipsius Dei. Nigrã iudicio mundi, & formosam arbitrio Dei. Nigram in conspectu impiorum hominum, & formosam Angelorum iudicio. Nigram propter corporis ignobilitatem, & formosam propter animæ sanctitatem. Nigram mala temporalia patiendo, & formosam æterna gaudia sperando. Nigram denique secundum statum præteritum, & formosam secundum statum præsentem, quo lota est in Baptismo. Iacobus denique Valentinus cuius potissimum opinionem comprobo, hanc verbis istis notionẽ tribuit, vt plebs Gentiũ hic se sociari expostulet vnà cum plebe Israhelitica, & fideli, seq; cum sponso Christo sacro connubio vniri, vt ex vtroque Gentium, ac Iudæorum populo vnà constituatur Ecclesia Christi sponsa, & quamquã in veteri testamento nonnulli ex gentibus cum populo Dei sociati fuere, paucos tamen hos extitisse legimus, & præcipuè tres famosæ commemorantur mulieres. Thamar nimirum, Raab, & Ruth, quæ aut matrimonii vinculo, aut meretricii amoris copula, cùm viris Israheliticis cõiunctæ, vt Thamar cum Iuda, Raab cum Salomone, & Ruth cum Booz, ex quibus Christus Dominus noster secundum carnem natus est, spontaneæ gentium conuersionis ad Christi fidem in statu gratiæ suscipiendam, typus extitere; Salomon igitur Propheta diuino lumine illustratus, gentium plebem Idolorum cultu neglecto, omniq; superstitiosæ religionis ritu contempto, Christi, qui verus homo est, ac verus Deus, fidem, & doctrinam in temporis plenitudine recepturam præuidens, eam in his verbis hoc expostulantem inducit, & inquientem, *Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem*, ac si dicat, ô plebs fidelium filiarum Dei, quæ iam Christum animorum vestrorum sponsum recepistis, Idololatriæ quidem macula, & variorum scelerum sordibus, in hæc vsque tempora inquinata, nigra sum, & fusca, in tenebris sedeo, & lumen cęli videre nequeo, quippe quæ praua & adultera, vnius veriq; Dei cultu, à prima ferè mundi origine, per Cham, Nembroth, & Ninum, posthabito, ad prosanam Idolorum, & Dæmonum venerationem impiè me conuerti; Verum tamen hæc nigredinis labes non tollit, quin pulchra sim, & formosa, in his quæ ad naturam spectant, nam ego quoque, ô filiæ Hierusalem, ad imaginem Dei creata, eiusdem fidei sicuti vos, eiusdemq; gratiæ & gloriæ capax existo, me igitur non despicite, & in vestram me societatem ascribere non grauemini, vt me quoque sponsus vester Christus, oris sui osculo osculetur, me quoque suæ legis Euangelicæ lacte pascat, & nutriat, me quoque in suorum vnguentorum odorem currentem post se trahat, me denique in Ecclesiæ suæ, regniq; cœlestis introducat cellaria, & ita sub vno sponso ac domino Christo, vna fide, vnoq; baptismo,

simul

simul omnes beatè viuamus. *Nigra sum, sed formosa, ò filiæ Hierusalem.* Nigra inquam sum peccatorum nebulis obtenebrata, at formosa naturæ decore exornata. Nigra sum extra, sicut tabernacula Cedar, at intra formosa, sicut pelles Salomonis, tenebræ enim (vt vult Origenes) aut obscuritas (vt Diuo Hieronymo placet) interpretatur Cedar, cuius tabernacula, etsi foris propter Solis ardorem, ac reliquas cęli iniurias fusca sunt, & horrida, intus tamen Salomonis pelles, hoc est, ipsius tabernaculi cortinæ, variis pulcherrimisque coloribus, gemmis, lapillis, auro, & argento, omnique ornatu Regio sunt conspicuæ; nam per tabernacula Cedar, castrensia tecta, quæ huc & illuc transferuntur, à Propheta significari arbitror, quæ & tentoria, & pelles interdum, quòd fierent ex pellibus, appellari solent, cum potissimum Cedar secundus fuerit Ismahelis filius, qui sicut Genesis cap. 16. legitur, Filius Agar ancillæ Aegyptiæ, paternæ hæreditatis cum Isaac filio liberæ, capax non fuit, ac de domo Abrahami cum ancilla matre eiectus, sub tentoriis in solitudine degens, incertis vagabatur sedibus, vt commodius greges pascere, & latrocinia exercere posset. Quamquam alii ex recentioribus, vt Gilbertus Geneb. ex authoritate Rabbinorũ dicant, hæc esse tabernacula Cedarenorũ, qui sunt Arabiæ populi, quæ quidem tabernacula nullam habent pulchritudinem propter populi incuriam, paupertatem, & inelegantiam, & quia perpetuò sub diò versantur. Verum quid per Salomonis pelles ipsemet Salomon intelligere hic velit, nihil certi habemus, sed alii alia dicunt, & primum Origenes, cui D. Hieronymus aliqua ex parte assentiri videtur, inquit. Salomonis pelles eas esse cortinas, quas insigni elegantia & regia magnificẽtia nitẽtes in Tabernaculi ornamentũ ipse composuit, cùm celeberrimum illud templum ex Dei imperio fabrefecit. D. tamen Hieronymus illud addit, alio modo Salomonis pelles accipiendas esse, si gentium plebis pulchritudo illis assimiletur, cuius nigredo tabernaculis Cedar comparatur, in hoc sensu. *Nigra sum sicut tabernacula Cedar, & formosa sicut pelles Salomonis.* Et ita volunt Rabbini, vt refert Gilb. Geneb. alio vero modo explicandas esse, si sponsæ tantum nigredo, tum tabernaculis Cedar, tum pellibus Salomonis comparetur in hoc sensu. *Nigra sum sicut tabernacula Cedar, & sicut pelles Salomonis, at sum quoque formosa;* in priori namque sensu mystici Salomonis pelles designantur, quæ illud operiunt Tabernaculum quod fixit Deus, & non homo, hoc est, vt manifestius loquar, quod fundauit non terrenus Salomon Dauidis filius, at cœlestis, & mysticus Salomon Christus, qui D. Matthæi cap. 12. de seipso loquens aiebat. *Et ecce plus quàm Salomon hic.* In posteriori autem sensu terreni Salomonis pelles significantur, quæ templi Tabernaculum cooperientes, & ipsæ quidem foris ni-

græ erant, vtpote caprarum pilis contextæ, & solis ardori, & frequentium iniuriis pluuiarum expositæ, intus tamen regium diuino illi Tabernaculo exhibebant ornatum; D. Bernardus ser. 27. super Cant. alterum proponens sensum mysticum ait. *Noli respicere ad istum Salomonem tertium Iudæorum Regem, cum indagare cupis, quibus se pellibus similem in decore sponsa gloriatur, sed mysticum considera Salomonem Christum, cuius pellis est cœlum quo nihil est formosius, nihilque pulchrius*, nam in Psalmo 103. de Christo Dauid sermonem habens, inquit: *Extendit cœlum sicut pellem*. Non ille profectò Salomō qui regnauit in Israhel, et si sapiens, potensque cœlum sicut pellem extendit, sed is potius, qui non tam sapiens, & potens, quam ipsamet sapientia & potentia est, Prouerbiorum cap. 8. dicens. *Quando præparabat cœlos ego aderam*. Christus igitur mysticus Salomon, & æterni sapientia patris: extendit cęlum sicut pellem, cuius pulchritudini, ac decori plebs gentium se similem facit, dum inquit. *Nigra sum sicut Tabernacula Cedar, sed formosa sicut pelles Salomonis*. Nigra videlicet propter corpus, quod de terra est, & formosa propter animam, quæ est de cœlo. Nonnulli verò iuniores per Salomonis pelles Tabernaculum, quod Moses in deserto extruxit domino, intelligi posse opinantur, quòd totum pellibus contectum fuerit. Rursus alii candidas Cortinas omnique ornatu regio conspicuas, per has Salomonis pelles intelligunt, quibus in Palatii sui penetralibus, ad regium splendorem Salomon vtebatur. Quidam eandem per Salomonis pelles illius explanant Tentoria, sub quibus ipse degebat, quoties in agro sub diò ageret, non gerendi bellum (neque enim Salomonem in militia versatum fuisse legimus) at animum relaxandi gratia, quemadmodum etiam Abacuc Propheta cap. 3. Madianitarum Tentoria pelles terræ Madian appellauit: Verum quicquid alii dicant, opinor ego, gentium plebem dum se nigram fatetur, & formosam, figuratè per Tabernacula Cedar Idololatriæ suorumque erratorum nigredinem designare, naturæ verò diuinæque Imaginis pulchritudinem Salomonis pelles mysticè nuncupare. Cedar enim quod tenebræ, vel obscuritas interpretatur, scelerum, ac maleficii Typum gerit, vt ait Dauid in Psalmo 119. *Habitaui cum habitantibus Cedar*, hoc est, vt Diuus Thomas exponit. *Conuersatus sum inter peccatores infidelitatis nebulis denigratos*, & Salomon qui pacificum designat, rei pulchritudinem præmonstrat, vt Isaias capite trigesimosecundo asseuerat dicens. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*. Optimè igitur inquit plebs gentium. O filiæ Hierusalem Nigra equidem sum sicut Tabernacula Cedar, sed formosa sicut pelles Salomonis, ita vt si me nigram horrescitis, miremini formosam, si despicitis humilem, suspiciatis sublimem, si reiicitis neglectam, recipiatis

charam

charam, vt formositas nigredinem operiat, sublimitas humilitatem eri-gat, & charitas neglectionem extollat.

LECTIO XXXIX.

Nigra sum sed formosa, &c.

QVAMVIS tota Dei Ecclesia, quæ in Adam, & Eua a prima mundi origine incepit esse, à Deo Optimo Maximo valde bona & formosa effecta, statim à suæ creationis exordio peccarit, & originalis iustitiæ, diuinæque gratiæ candore amisso, delictorum tenebris denigrata, fusca euaserit & squalida; quoniam tamen ex his nonnulli Christi fidei lumen recipientes, vt Iudæorum populus, vni Deo, ac verò pium cultum, tribuerunt; alii verò Dæmonum insidiis, ac erratorũ nebulis obcæcati, ab huius sacræ religionis sanctitate abhorrentes, vt plebs gentium, profanum Idolorum cultum suscepere, ideò plebs tantum gentium ad Christi aduentum vsque in tenebris sedisse, in regione vmbræ mortis habitasse, & nigra fuisse dicitur, & horrida. *Nigra sum ò Filiæ Hierusalem, sicut Tabernacula Cedar*. Et sanè, si gentes à Christi fidei candore, qui mundi Sol est splendidissimus, discedentes, sub tenebrarum Principis Imperium, ac ditionem ceciderunt, quid mirum si in obscura noctis caligine, tetrisque mortis tenebris miserrimè iacent? *Nigra sum sicut Tabernacula Cedar*; verùm audite rem pulchram, & admirandam, Cœlum, auditores ingeniosi, (si quæ Genesis capite primo dicuntur memoria retinetis,) obscurum à Deo Optimo Maximo primum creatum, nec insigni aliquo lumine illustratum fuisse legimus, at die quarta, quæ dierum plenitudo est, sicuti numerus quaternarius numerorum est plenitudo, Sole, Luna, & Stellis decoratum, ad perpetuam huius mundi vitam elucescere cœpit; qua ratione factum fuisse arbitror, vt ante hunc primarium Solis ortum, cùm aquæ steriles essent, nihil quod esset bonum producentes, tùm terra, licet ferax, exiguos tamen fructus, hoc est, herbas, & olera ferret, at post diem quartam, qua Sol in Cœlo creatus nobis illuxit, tunc aquas, pisces, & aues, terram verò non solum frutices, & arbores, sed pecora etiam & iumenta produxisse legimus, quinimmo, ò rem mirabilem, & admirabilem, aquæ ante solis ortum steriles erant, maiori etiam, quàm terra fœcunditate post Solis creationem, duo genera protulerunt animantium, Aues nimirum, & Pisces, tertium quod est iumentorum terrestrium genus, terræ reli-

ctum facientes. O rem pulchram, & omni admiratione dignam, etenim si per sex generalis omnium rerum creationis dies, sex annorum millia, quibus vt antiquioribus placet Iudæis, hic mundus est duraturus, mysticè designantur, vt scilicet quæ prima Genesis die, à Deo Optimo Maximo effecta sunt, eorum essent vaticinium, quæ primo an norum cursu millenario futura erant in mundo, quæ verò secunda die creata sunt, eorum essent indicium, quæ in secundo millenario contingere debebant, & sic deinceps, eodem dierum ac millenariorum ordine seruato, ita vt cuique illorum sex dierum, vnus annorum millenarius respondeat, quandoquidem vt Dauid in Psalmo octogesimonono, & Diuus Petrus capite tertio prioris epistolæ asseuerant, *Vnus dies apud Deum sunt tanquam mille anni*; proculdubio ipsum Cœlum, quod hic generis humani Typum habet, primum Idololatriæ, ac variorum erratorum caligine obscuratum, qua per quatuor ferè annorum millia caligauerat, quarta die, hoc est, in calce quarti millenarii, cum venit plenitudo temporis, splendidissimo iustitiæ, ac misericordiæ Sole, qui est Christus Dominus noster, illustratum fuit, quàmquàm enim duo annorum millia statui naturæ, duo Mosaicæ legi, & duo tempori gratiæ ab antiquioribus Cronographis assignantur, Christi tamen mystici Solis ortum, non in quinti millenarii exordio, sed in quarti potius fine, apud celebres Hebræorum annalium scriptores extitisse comperimus: nec me latet Iesum Dominum nostrum, qui patri coęternus est, ante omnia sæcula absque vllo aut temporis, aut naturæ exordio semper fuisse, at in homine quem Hypostatica vnione sibi coniunxit, non nisi in temporis plenitudine, hoc est, in calce quarti millenarii esse cępit, sicuti lux, etsi prima die creata fuit à Deo, in Sole tamen, Luna, & Stellis, non nisi quarta die cœlum illustrauit. Quarta igitur die, qua Christus Sol refulsit, qui prius erat sub nubilo, Aquę sub cœlo in vnum locum collectæ, primum steriles, & nihil quod esset bonum ferentes, gentes nimirum, quæ per has aquas mysticè demonstrantur, vt Diuus Ioannes Apocalypsis capite decimoseptimo ait. *Aquæ multæ, populi multi*, & terra ab aquarum diluuio immunis facta, ferax quidem, at exiguos fructus producens, nempè, plebs Israhelitica, cuius Typus est terra, vt cecinit Dauid in Psalmo octuagesimoquarto. *Et terra nostra dabit fructum suum*. Quarta inquam die quæ fuit temporis plenitudo, cùm Christus Sol refulsit, qui prius erat sub nubilo, tunc gentium, ac Iudęorum populus, at pręcipuè gentes, vberrimos variosque bonorum operum fructus producere cæperunt; nonnè auditores ita se res habet? nonnè sanctorum patrum oracula in hoc quarto mundi annorum millenario impleta fuere? & Simeonis in suo Cantico

canentis, *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuę Israhel.* & Zachariæ, cùm ait; *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent. &c.* & Malachiæ capite quarto dicentis; *Orietur vobis Sol Iustitiæ.* & Isaiæ capite nono; *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* & Salomonis Ecclesiastici capite trigesimo sexto. *Ostende nobis lumen miserationum tuarum.* & Dauidis in Psalmo centesimo vndecimo. *Exortum est in tenebris lumen rectis.* & Hester capite octauo. *Iudæis noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium.* Etenim cum venit plenitudo temporis, quo misit Deus filium suum in mundum, vt lux vera omnem hominem in hunc mundum venientem illuminaret, tunc plebs gentium diuinis tantæ lucis radiis mundum illustrari conspiciens, suæque Idololatriæ nigrorem, quo per tot, tantaque annorum sæcula, hoc est per quatuor ferè annorum millia caligauerat, agnoscens, protinus, vt ipsa quoque vnà cum plebe Israhelitica, huius solis fulgore collustraretur, se nigram fatetur, & squalidam, inquiens; *Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* vt innuat se quoque huius cœlestis luminis splendore, & candore illuminari posse, ac dealbari; proh Deum immortalem, & in quantos, & quàm varios plebs gentium, impia & blasphema, tetris Idololatriæ tenebris obcæcata, lapsa est errores? illud sanè ad hoc comprobandum satis esset, innumeros ferè Deos, & falsos, pro vno, ac vero Deo, gentes Idololatras veneratas fuisse, cùm mares, tùm fœminas, cælestes, & terrestres, superos, & inferiores, marium, & nemorum, vt Demogorgones, Saturnos, Ioues, Apollines, Bacchos, Mercurios, Martes, Hercules, & Vulcanos, dicam etiam Cybeles, Iunones, Veneres, Mineruas, & Dianas, qui sunt Dei superni. Rursus Plutones, Cerberos, Charontes, Minoes, Aeacos, Rhadamanthos, Proserpinas, Megæras, Chimeras, Thisiphones, Clothos, Lacheses, Atropos, qui sunt Dei inferni; adhuc Oceanos, Neptunos, Palæmones, Polluces, Castores, Nereos, Protheos, Phorbantes, Melicertas, & Glaucos, Amphitrites, Tethydes, Dorides, & Nereides, qui sunt Dei marini; & tandem, Faunos, Panes, Satyros, & Syluanos qui sunt Dei nemorum, & pastorum; verùm & quot gentium nationes à Dæmone delusæ, probos non solum, at deterrimos etiam homines in summa veneratione habuerunt? nam Mauri Iubam coluere, Macedones Cabirum, Phœni Vranum, Latini Faunum, Romani Quirinum, Athenienses Mineruam, Samii Iunonem, Paphii Venerem, Lemnos Vulcanum, Naros Liberum, & Delphos Apollinem. Mitto nunc cœlestia corpora, & quàmplura alia rerum genera, quæ

gentium antiquitas veluti quædam numina diuina adorauit, aduersus quas inuehitur Lactantius Firmianus libro secundo Diuinarum institutionum capite quinto, dicens, quidam hebetis obtusique cordis, cœlestia corpora, sydera, & elementa, quæ facta sunt & sensu carent, tanquam Deos venerantur, qui cùm hæc Dei Optimi Maximi opera conspiciunt, cœlum cùm luminibus, terram cùm campis, & montibus, maria cùm fontibus, & fluminibus, lacubus, & stagnis, harum rerum admiratione detenti, & ipsius artificis obliti, quem videre non poterant, eius opera venerantur, & colunt; immò verò ad tantam deuenerunt stultitiam, vt fera etiam animalia, serpentes, crocodillos, leones, hircos, dicam etiam arbores, fructus, flores, herbas, & lapides adorarent, harum autem vanitatum, ac superstitionum auctores varii, apud varios gentium populos extitere, apud Romanos enim, vt placet Lactantio Firmiano in primo libro de falsa Religione capite 22. fuit Numa Pompilius ille Rex, qui animos hominum rudes, & imperitos, vanis harum superstitionum deliramentis quammaximè implicauit. Apud Græcos autem, vt refert Didymus in libris narrationis Pindaricæ, Melissea Cretensium Rex, primus omnium Diis sacrificasse, & ritus nouos, sacrorumque pompas introduxisse dicitur, at apud Hebræos prima gens quæ vnum, ac verum Deum cognoscere negligens, multos, falsosque Deos coluit, Chananæa fuisse legitur in Scripturis sanctis, quippe quæ à Cham filio Noe originem traxit, qui à patre expulsus, quòd eius nuditatem, ac pudenda non texerit, in eam terræ partem conscendit, quæ nunc Arabia nuncupatur, vbi primus Idolorum cultus auctor, & constitutor, omnium etiam vanarum superstitionum fuit origo, quæ per quatuor ferè annorum millia, ad Christi Domini nostri aduentum vsque totum terrarum orbem inficientes, perdurarunt; at vera luce, quæ prius nobis inuisibilis erat, mundo oborta, & omnes homines suis radiis collustrante, tunc nefariorum Deorum cultu neglecto, oculos eò tendere plebs gentium cœpit, vbi veri Dei est habitatio, tunc inquam huius diuini Solis clarissimum lumen mundi tenebras depulsit, dæmones exterminauit, & caligantibus gentium populis, sua luce fulgentissima occurrens, eos monuit, vt quò tanta lux duceret, omni studio, omnique diligentia eò pergerent, dicebat enim, vt videre est apud Diuum Ioannem capite octauo; *Ego sum lux mundi*. quod sanè antea per multa annorum sæcula sancti Dei prophetæ euenturum prædixerant, vt Isaias capite decimonono, inquiens; *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur simulachra Aegypti à facie*

cie eius; vt Ezechiel capite vigesimo, cum ait; *Dispergam simulachra &c essare faciam Idola de Memphi*; vt demum Zacharias capite decimotertio, dicens; *Exterminabo nomina simulachrorum à terra, et non erit eorum memoria*. Huius igitur diuinæ lucis splendore plebs gentium se illustrari conspiciens, ob suorum erratorum, ac præcipuè Idololatriæ sordes, & nigrorem, fuscam se esse fatetur & horridam, dicens; *Nigra sum sicut tabernacula Cedar, ò filia Hierusalem*, vt vnà cum iis filiabus Hierusalem, quæ sunt Christi fideles, in Ecclesiæ gremium iam receptæ sociaretur; & nè sibi illud obiicerent quod Diuus Paulus capite sexto posterioris Epistolæ ad Corinth. inquit, nimirum, *Et quæ participatio est iustitiæ cum iniquitate? quę societas lucis ad tenebras? quę conuentio Christi ad Belial? quis denique consensus templo Dei cum Idolis?* ob hanc caussam statim subinfert, *sed formosa sum, sicut pelles Salomonis*; ac si dicat, delictorum quidem, vanarumque superstitionum nebulis sum denigrata, at Christi quoque fidei, diuinæ gratiæ, ac cœlestium donorum sum capax. Et certè auditores, magna fuisset dementia, splendidissima huius mystici Solis luce non illuminari, lucidissimo diuinæ lucis candore non dealbari. Christi fidei, & Euangelio non credere, cuius veritatem Apostolicæ voces resonant, sanguis martyrum clamat, miracula probant, ratio confirmat, mundus testatur, elementa loquuntur, dæmones ipsi confitentur. Quare iure optimo plebs gentium, Christo Dei verbo iam homine facto, in hoc quarto postulato filias Hierusalem compellat, & cum illis sociari, seque Christo sponso casto connubio vniri exposcit, dicens: *Nigra sum, sed formosa, filię Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles &c.*

LECTIO XL.

Nolite me considerare quòd fusca sim,
Quia decolorauit me Sol.


PERSEVERAT adhuc plebs gentium in eadem sententia, easdemque filias Hierusalem compellans inquit. Non admiremini si me fuscam conspicitis, & horridam, Sol enim decolorem me fecit: quibus in verbis (vt placet Iacobo Valentino., quem in huius loci explicatione præcipuè sequor) quintum ipsius sponsæ postulatum habetur, quippe quæ, post-

quam Idololatriæ, ac variorum erratorum nigrorem, quo per tot, tantaque annorum sæcula caligauerat, coram filiabus Hierusalem humilis fateri minimè neglexit, licet non palam, abscondite saltem ab Idololatriæ, delictorumque suorum sordibus Christianæ fidei, Chrisque Baptismatis candore se dealbari exposcit; quam ob rem neque dramatis ordo mutatur, neque noua efficitur scena, quandoquidem nulla hic personarum fit permutatio, at quæ in quartæ postulationis scenam personæ introductæ fuerant, eædem etiam, modò remanent, eademque plebs gentium, ad easdem filias Hierusalem, ita fatur; *Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol.* Quid autem per Solem intelligatur in his verbis à Salomone, non omnes idem sentiunt, sed alii alia dicunt. Origenes enim Christum iustitiæ Solem, mysticè per Solem hic designari putat, & ita legit; *Ne intueamini me, quia ego denigrata sum, Sol enim despexit me, quæ non, ut decuerat, neque, ut Solis dignitas expostulat, illius lumen in me recepi;* iuxta illud quod Sapientiæ capite octauo legimus; *Errauimus à uia ueritatis, et lumen iustitiæ non luxit nobis.* & Malachiæ capite quarto, inquientis: *Vobis qui timetis nomen Domini, orietur Sol iustitiæ.* Diuus Hieronymus idem astruens ita interpretatur hæc verba: *Se nigram, & fuscam eße cognouit plebs gentium, sui uerò nigroris caussam hic reddit, dicens; Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia despexit me Sol, hoc est, non natura talis, nec ita à conditore creata sum; sed ex accidentibus hoc sum paßa.* Ex quo Salomon ostendit de nigrore animæ, non corporis hic haberi sermonem, quod vtique corpus, Sol obscurare solet, & denigrare, cùm respicit magis quàm cùm despicit, & contrarii ordinis est animæ nigredo, quæ non aspectu sicut corpus, sed despectu Solis obscuratur; non putetis igitur, inquit plebs gentium, huiusmodi nigrorem quem in vultu meo videtis naturalem esse, at despectu Solis mihi accidisse sciatis, Solis nempè iustitiæ, qui est Christus, quippe qui me non rectè stantem inueniens, nec ipse rectos suæ lucis radios in me direxit, ego enim plebs gentium sum, quæ non steti ante Dominum, nec ipsum, vt decebat, aspexi, & ideò nec ille me inobedientem, & incredulam respexit, sed despexit; *Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia me despexit Sol*, ita legunt, & interpretantur hæc verba antiquus Origenes, & Diuus Hieronymus: Diuus Gregorius qui tropologicè de hominis anima hæc verba interpretatur, asserit etiam: Per Solem Christum Saluatorem nostrum significari, & inquit: *Sol ergo Christus, animam iusti decolorauit, quoniam quantumlibet ipsa*

fulgeat, in Christi tamen comparatione fulgorem amittit; At Beda Venerabilis per Solem æstum tribulationum, quibus sponsa Dei Ecclesia affligitur, mysticè interpretatur dicens, *Nolite mirari ò filiæ Hierusalem, videlicet ò animæ Deo deuotæ, quòd hominibus sim despectui, nam tentationum æstus, quas pro interna mea pulchritudine sustinere non cesso, foris me reddidit obscuram, quam tamen gratia cœlestis interius venustam effecit*; hoc autem Solis symbolo pro afflictionibus, & ærumnis quas patimur ab aduersariis accepto, vtitur quoq; Dauid in Psal. 120. cũ dicit, *Per diem Sol non vret te.* & D. Ioannes Apocalypsis capite 7. inquiens, *Non cadet super illos Sol, neque vllus æstus:* Diuus Bernardus sermone 28. quadrifariam hæc verba exponit. Primò enim sponsam ita loquentem introducit. *Nolite me notare, ò Filiæ Hierusalem, quasi deformem, nam feruor persecutionis, non conuersationis pudor, nigredinem inuexit*, Rursus inquit, *Per Solem intelligi posse iustitiæ zelum, quo accenditur sponsa, & accingitur aduersus malignantes.* Adhuc ita explicat. *Decoloratur sponsa à Sole hoc est à charitatis ardore, qui est flere cum flentibus, & cùm infirmantibus infirmari*, & tandem hoc alio modo interpretatur. *Sol iustitiæ Christus decolorauit me, cuius amore langueo, etenim languor iste coloris est exterminatio, & defectus in animæ desiderio, quæ in hoc corpore peregrinans, decoloratur à Christo, quoniam illius sancto amore ita ardet, vt desiderio videndi Christum omnem colorem præsentis gloriæ fastidiat, & deponat.* Hugo Cardinalis vnam, & alteram ex his quatuor, primam scilicet, & postremam interpretationem recipiens, Solis appellatione tùm tribulationum ardorem, tùm iustitiæ Solem Christum hic designari posse opinatur: Diuus Thomas, & Haymon vnicam tantum, & primam quidem explicationem proponunt, inquientes; *O animæ fideles deuotæ Deo, nolite me considerare, quòd fusca sim, hoc est, quòd tribulationibus afficiar, & persecutionibus opprimar, quia decolorauit me Sol, id est persecutionis feruor meum splendorem quodammodo obfuscauit*, ac si dicat, Interiorem pulchritudinem meam cogitate, & illam attendite, non illam quam foris pati videor persecutionem. At nonnulli recentiores interpretes, per Solem Christi sponsam decolorantem, cùm Iesum Christum, tùm etiam graues afflictiones hic accipi posse existimant, & aiunt. *Porrò per Solem intellige Iesum Christum crucifixum, & graues quæ inde in Ecclesiam excitatæ fuerunt per vniuersum orbem à Iudeis, & Gentibus persecutiones, quibus veluti radijs à Sole in meridie versante, ad perpendiculum directis, Christi sponsa aduritur, & denigratur*; Et tandem alii ex iunioribus per Solem aut Solis æstum immodicum concupiscentiæ ardorem exponunt, qui vniuersum hominum genus inuasit, suoque

calore quotidie spiritales etiam homines denigrat, & infestat, vt in Psalmo decimooctauo legimus. *Non est qui se abscondat à calore eius*; Verùm dicant alii quicquid velint, Ego vnà cùm Iacobo Valentino, nec Christum Iesum, nec æstum persecutionum, nec zelum Iustitiæ, nec Charitatis ardorem, sed æstum Idololatriæ, ac variorum scelerum ardorem per Solem hic intelligi posse arbitror, ita vt accipiatur hic caussa pro effectu, Sol videlicet, pro Solis æstu & ardore, hominum corpora denigrante: quapropter horum verborum huiusmodi sensus est, *Nolite, ò Filiæ Hierusalem, me plebem gentium considerare, quòd fusca sim, nam Sol, id est, delictorum meorum æstus, & ardor Idololatriæ me decolorauit*, quæ à prima ferè mundi origine, sub vmbra & fide vnius, ac veri Dei non vixi; & certè si fides candoris symbolo, apud antiquiores Romanos designabatur, qua de caussa Numa Pompilius Rex Romanorum secundus constituit, vt illud velamen, quo fidei simulachrum, & ipsius Sacerdotis manus quæ fidei sacra facerent, obtegebantur, candidum esset, vnde Maro Latinorum poetarum celeberrimus *Fidem canam* appellauit, non cànam, hoc est antiquam, vt aliqui opinantur ad fidei templi antiquitatem præmonstrandam, quod omnium primum à Roma Aeneæ filia Romæ conditum fuisse legimus, sed canam, hoc est candidam, ad animi sinceritatem indicandam, quæ in fide, hominéque fideli requiritur, cùm à fide fucus omnis abesse debeat, quæ nullo insidiarum colore est violanda, quod & in Euangelio Diui Lucæ cap. 15. luce clarius nobis ostenditur, dum filium illum adolescentiorem parabolicè nobis proponit Diuus Euangelista, quippe qui à patre cùm recessisset, & viuendo luxuriosè suam substantiam dissipasset, in seipsum tandem reuersus, & in domum rediens paternam, tunc maxima benignitate à patre receptus, statim induitur stola candida, & datur annulus in manu eius. O rem admirandam, hic iunior patris filius, est gentium populus (nam senior est Synagoga) qui in regionem longinquam profectus, tunc domum patremque reliquit, cum ab æterni patris vnius ac veri Dei cultu recedens, Idola venerari incępit, tunc inquam luxuriosè viuendo substantiam suam consumpsit, cum turpissima scelerum fœditate denigratus, vniuersa animi ornamenta amisit, in tenebris sedens, & in vmbra mortis; verùm postea in quarti annorum mundi millenarii fine, luce illa diuina, quæ Christus est, mundo oborta, gentium populus in seipsum reuersus, seque idololatrię variorumque scelerum nigrore fœdatum cònspiciens, redit ad patrem Deum Optimum Maximum, & candida fidei veste, quæ est donum Dei, se dealbari exposcit, dicens. *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol.* Si res igitur ita se habet, vt candor sit fidei symbolum,
cui

cui dubium & nigrorem infidelitatis inditium esse? sicut enim candor nigrori, ita fides infidelitati tanquàm contraria contrariis opponuntur: Quamobrem si Sol pro Solis effectu, hoc est pro Solis æstu hominum corpora denigrante, tropicè hic accipitur, quid mirum, si suæ infidelitatis nigrorem plebs gentium in his verbis Solem appellat, dicens. *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia Sol idololatriæ uidelicet æstus*, infidelitatisque nigror, quo per quatuor annorum ferè millia, quasi obscurissimis tenebris tecta, caligaueram *me decolorauit*. non est profectò quòd admiremini auditores, quando quidem Diuus Augustinus sermone 200. de Tempore, ostendens Heliam Prophetam Typum habuisse Saluatoris nostri Iesu Christi, coruos qui nigri sunt, ipsum pascentes, gentium populum figurasse asseuerat, sub his verbis. *Helias in deserto coruis ministrantibus pascebatur, & Christus in deserto mundi huius gentium fide reficitur, corui etenim illi qui beato Heliæ, iubente domino, ministrabant, gentium populum figurabant, & propterea de gentium Ecclesia dicitur in Cantico canticorum, Nigra sum, sed formosa Filiæ Hierusalem*, & subinfert *vnde nigra? ecce in iniquitatibus concepta sum, & in delictis peperit me mater mea; sed vnde formosa? Asperges me domine hysopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor;* hinc in Actis Apostolicis cap. 15. habemus, *Fide purificari hominum corda*, vt infidelitate eâ fœdari discamus. Gentium igitur populus infidelis, & Idololatra, atq; ob hanc caussam variorum scelerum nigrore denigratus, in his verbis, quæ sunt Quintum postulatum, Christianæ fidei, Christique Baptismatis candore se dealbari exposcit, dicens. *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol.* Et quid si dixerimus, Christum etiam per Solem, non ineptè hic intelligi posse. Sol enim etsi Deũ Opt. Max. absolutè, vt inquiunt, acceptum, Patrem scilicet, filium, & spiritum sanctum vnum Deum mysticè designat, quod placet D. Augustino libro 18. de Ciuita. Dei cap. 32. & super Psalm. 142. vel etiam Deum patrem figuratè significat, vt aiunt D. Hieronymus, & D. Augustinus super Psal. 71. propriè tamen Christi vnigeniti Dei Filii diuinitatem præmonstrat, vt quàmplures patres sancti affirmant, & Origenes super D. Ioannem hom. 1. & super D. Matthæum hom. 3. & Arnobius super Psalmum 18. & D. Hilarius super Psalmum 57. & D. Ambrosius secundo libro de Iacob ca. 5. & in epistola 62. & D. Hieronymus super Isaiam ca. 6. & super Hieremiam ca. 15. & tandem D. Augustinus in serm. 1. domini in monte, & super Psalmum 120. & certè si Sol omnium cœli sydenum pulcherrimus, Cœlum, terramque illustrat, rebus omnibus vitam largitur, omnia virtute continet, quæ sibi sunt propinquiora pulchriora etiam efficit, & clariora, Nonne Christus Iustitiæ Sol & misericordiæ,

speciosus est forma præ filiis hominum? nonnè vera mundi lux est, quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem? nonnè in ipso viuimus, mouemur, & sumus? nonnè ex ipso omnia, per ipsum omnia, & in ipso sunt omnia? nonnè virginem matrem, & Apostolos sanctos, qui sunt in cęlesti gloria ipsi viciniores, cæteris etiam beatis mentibus pulchriores efficit, & clariores, si de his dicitur D. Matthęi c. 19. *Sedebitis & vos super sedes duodecim, &c.* & de illa canitur in Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis, &c.* preterquàm quòd si multiplicis virtutis est Sol iste, quem oculis cernimus, vt illuminet, & denigret, vt liquefaciat, & obduret, Christus quoque iustitiæ Sol illuminat iustos, & denigrat impios, sanctos liquefacit, & iniquos obdurat. Verum audite rem admirandam, septem sunt huius sensilis Solis effectus admirabiles, nam incendit, illuminat, temperat, corroborat, moderatur, liquefacit, & siccat, septem etiã sunt spiritus sancti dona, quæ Iesus Christus in cœlum ascendens, in Apostolos suos & in omnes Apostolicos viros benignissimè cõtulit, vt veluti Sol huius cœli terreni, quod est Ecclesia militantium, horum septẽ effectuum participes nos efficeret, nam dono sapientiæ animos nostros incendit, dono intellectus illuminat, dono consilii temperat, dono fortitudinis corroborat, dono scientiæ moderatur, dono pietatis liquefacit, & dono timoris siccat. Sol igitur iustitiæ Christus despexit, seu decolorauit gentium plebem, propterea quòd vanos deos, atque nefarios colens, ab ipso Christo discesserat, at qui fugit à Sole obscurus euadit, & in tenebris ambulat: quare non mirum si plebs gentium fusca euasit, & nigra, quæ à Christo discedens, suorum erratorum caligine obscurata fuit: & hac de caussa diuinæ gratiæ lumine se illustrari expostulans, ait. *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me Sol,* cum potissimum alterius naturæ sit, atque efficacitatis Sol Iustitiæ Christus, ab hoc sensili Sole, qui planetarum medius fertur in Cœlo, hic enim quos aspicit denigrat, & quos despicit reddit candidos: ille verò, quos aspicit facit albescere, & quos despicit nigrescere. Accedat itaque Sol, inquit plebs gentium, qui scelerum meorum nebulis tectus, sese ab oculis meis abscondit, qui à me neglectus, me despexit, qui Idololatriæ sordibus fędatam, me decolorauit, accedat inquàm propius, & suæ fidei candore, sui Baptismatis lauacro, suæque diuinę gratiæ radio, me nigram, sordidam, cęcam, dealbet, tergat, illuminet.



LECTIO

LECTIO XXXXI.

Filij matris meæ pugnauerunt contra me.



VONIAM cuiuslibet rei euentus suam requirit caussam, sicut omnis caussa suum indicat effectum, ex Aristotelis auctoritate 2. libro de Physica auscultatione tex. 37. ideò factum esse puto, vt postquàm plebs gentium, nigram se esse cognoscens, coram filiabus Hierusalem id confessa est, & Solem, hoc est, Idololatriæ, ac variorum peccatorum æstum se decolorasse ostēdit, hic tantæ nigredinis, & obscuritatis effectricem caussam iisdem filiabus Hierusalem patefaciens, dicat, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*, siue vt Græci volunt interpretes, *Filij matris meæ dimicauerunt in me*; quapropter neque Dramatis ordo mutatur, neq; noua constituitur Scena, cùm eędem personæ hic colloquantur, & circa idem postulatum, quod est quintum in ordine, versentur; at inquiramus, quæ sit huius spōsæ mater, vt qui sint filii aduersus eam dimicantes, manifestius intelligamus; & primùm Origenes, Beda Venerabilis, Diuus Bernardus, Hugo Cardinalis, D. Thomas, Doctus Haymon, & recentiores nonnulli, vnanimi omnes consensu, Ecclesiam, vt aiunt, primitiuam, ex Gētibus, & Iudæis obscuro loco natis congregatam hic loqui existimantes, huius matrem Iudaicam Synagogam esse dicunt, cuius filii sunt nobiliores Iudæi, scribæ videlicet, & pharisæi, qui sicut Acta Apostolorum plenisimè docent, aduersus nascentem Christi Ecclesiam pugnam susceperunt, ex quo ipsis repulsis, in regis penetralia hæc introducta fuit, tunc enim Iudæi hostes crucis Christi, Apostolos sanctos, omnesque in eum credentes, persequi, in seruitutem redigere, ad varios ritus, paternasque traditiones custodiendas cogere cœperunt; *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* & vt eruditè animaduertit Diuus Bernardus, cui assentitur etiam Hugo Cardinalis, signanter Ecclesia primitiua filios matris suæ appellat Iudæos, & non patris sui, neque enim ex Deo, sed ex patre Diabolo erāt homicidæ illi, sicut *ipse fuit homicida ab initio*, D. Ioannis cap. 8. & ob hanc caussam non inquit *fratres mei*, aut *filij patris mei*, sed *filij matris meæ pugnauerunt contra me, & posuerunt me custodem in uineis, uineam meam non custodiui*; hoc est, vt ait Beda Venerabilis, vna erat Christi vinea Hierosolymis, ipsa nimirum Ecclesia primitiua, quæ in die Pentecostes Spiritussancti aduentu dedicata est, cuius eo tempore custodes fuerunt Apostoli, Christiq; discipuli: at sub temporibus Beati Protomar

tyris


tyris Stephani, persecutione facta, dispersi sunt omnes per regiones Iudææ, & Samariæ, & ita Ecclesiæ Hierosolymitanæ dispersio occasio fuit, vt plures in vniuerso mundo construerentur Ecclesiæ; quamobrem Iudæi persecutores, ipsius Synagogæ filii, posuerunt Ecclesiam Gentium, & Iudæorum obscuro loco natorum, tunc temporis nascentem, custodem in variis vineis, vnamque Ecclesiam Hierosolymis persequendo, multas etiam nolentes, Ecclesias particulares fieri fecerunt; etenim qui nocere intendebant, profuerunt etiam nolentes; & hac de caussa ex his quæ ab æmulis Iudæis passa est Ecclesia, adeò se profecisse gloriatur, vt pro vna vinea Hierosolymitana, quam sibi nobiliores Iudæi abstulisse visi sunt, super multas se constitutam fuisse gaudeat, quod in Actis Apostolorum cap. 18. Diuis Paulo, & Barnabæ euenisse legimus, qui Iudæis hæc dicere coacti sunt. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis uitæ æternæ, ecce conuertimur ad Gentes:* sicuti Deus Optimus Maximus tùm per Isaiam Prophetam cap. 49. hoc præceperat, dicens. *Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ,* tùm per vnigenitum filium suum Dominum nostrum D. Matthæi cap. 28. inquientem. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* At D. Hieronymus quàmquàm cum Origene, & aliis patribus, sponsam Christi, filias Hierusalem hic compellantem, gentium ecclesiam esse putat, illius tamen matrem non Synagogam Iudæorum, sed illam, quæ omnium nostrum mater sursum est, Hierusalem Cęlestem esse opinatur, cuius liberos et filios inquit esse Apostolos sanctos, qui à Christo Domino nostro missi in vniuersum mundum, vt eius fidem, & Euangelium omni creaturæ prædicarent, dimicarunt in ipsam gentium plebem, sororem suam, vt impios quos prius habebat infidelitatis, & inobedientiæ sensus, reiicerent, ac sedarent: fuit ergo Apostolis Christi grande bellum, ut ait Diuus Hieronymus in Ecclesia Christi, ex gentibus cogreganda, donec ex ea turres mendacii, muros peruersæ doctrinæ, & Dæmones hanc ipsis gentibus persuadentes, subruerent, euerterent, debellarent, & ipsi quoque Apostoli eam gentium plebem in vineis posuerunt custodem, cùm post expugnatos & deuictos varios sensus, & impia gentium studia, sacra vtriusque Testamenti volumina, quæ hic loco vinearum mysticè designantur, ipsi Ecclesię ex gentibus ad Christi fidem conuersæ, tradiderunt custodienda: per vineam verò quam ipsa non custodiuit, impia gentilitatis eruditio, & nefaria Idolorum superstitio intelligi debet, in qua vnusquisque ex gentibus ante Christi fidem promulgatam exercebatur: Diuus Gregorius Diuo Hieronymo assentiens, per filios intelligit Apostolos sanctos, qui, vt gen-
tium

tium populum ex falso Idolorum cultu, ad veram Christi fidem traducerent, tàm verbis quàm miraculis contra ipsum, seu potius pro ipso dimicarunt; verum in hoc altero à Diuo Hieronymo dissentit, quòd horum filiorum matrem, non cœlestem Hierusalem, at Ecclesiam militantem esse astruit, cuius certè filii sunt Apostoli, & omnes Apostolici viri, de quibus in Psalmo quadragesimo quarto cecinit Dauid. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Ego verò etsi Iacobi Christopolitani Episcopi interpretationem satis approbo, populi tamen gentilis matrem, non Aeuam communem omnium genitricem, vt ipse existimat, esse arbitror, inquit enim ipse. *Filii matris meæ*, hoc est, Cham, Nembroth, Ninus, & quàmplures alii Idololatræ, vt Moabitæ, Ismahelitæ, & Idumæi, qui fuerunt filii Aeuæ matris meæ, à qua omnes originem trahimus, *pugnauerunt contra me*, decipientes animam meam, eamque Idololatriæ sordibus denigrantes; Verùm hæc doctissimi huius viri interpretatio, etsi vna ex parte mihi satisfacit, nequaquam tamen approbanda est omnino, quippe quæ nimis generalis est, omnesque homines qui ab vnius matris Aeuæ generatione ortum ducunt, tùm gentes, tùm Iudæos complectitur, & ita nullus superesset homo, cui verba hęc tribui possent, *Filii matris meæ pugnauerunt contra me*; quandoquidem omnes homines, nullo prorsus excepto, vnius Aeuæ filii nuncupantur, & sunt; quare Iudaicam Synagogam per hanc plebis gentium matrem intelligendam esse censeo, cuius sanè Synagogæ filii sunt, non Iudæi nobiliores, neque Apostoli sancti, at ipsius Idololatriæ auctores, & principes, qui ante generalem totius terrarum orbis inundationem, fuerunt Cain, & eius posteritas, quæ absorpta est in diluuio, seu vt alii volunt post ipsum diluuium, Cham, Nembroth, & Ninus, quem (teste Eusebio) Deum nũcuparunt Assyrii; plebs igitur gentium (secundum carnem Synagogæ filia, at non secundum spiritum, quoniam non habet ecclesiam matrem, qui non habet Deum patrem, vt optimè astruit D. Cyprianus in libro de simplicitate pręlatorum) conqueritur suos in se fratres Idololatras dimicasse, cùm nefarium Idolorum cultum, variasque superstitiones, sibi persuasissent, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, & posuerunt me custodem in vineis Idololatriæ*, nam falsos Idolorum ritus me docentes, Dæmones colere coegerunt, quam ob caussam vineam meam, quæ aut naturæ lex est, quam tradidit Deus Adæ, Noe, Melchisedech, Abrahę, Iob, & quàmpluribus aliis, aut tempore Mosis lex est in tabulis lapideis scripta, non custodiui, sed hac vinea Dei relicta, in falsis Idolorum vineis me posuerunt custodem. Bone Deus & quot vineas coluit plebs gentium, & custodiuit? innumeras quidem, cum innumeræ falsorum Deorum religiones, quinimmo vanæ superstitiones

tiones fuisse legantur apud varios,tùm profanos, tùm sacros auctores, præcipuè verò apud D. Augustinum,qui quarto lib. de Ciui. Dei,refert, Scæuolam virum doctissimum tria genera Deorũ tradidisse,vnum à Poetis,alterum à Philosophis,& postremum à Principibus ciuitatis inuentum,de quo quidem triplici Deorum genere,Varro in libris Antiquitat. verba faciens,primum Mythicon,hoc est fabulosum vocat,secundũ Physicon,hoc est naturale,& tertium Polyticon,hoc est ciuile,imò verò subiungit,primum ad Theatra pertinere,alterum ad Mundum, postremum ad Vrbes;at erant omnes falsi Dei,Idola,Dęmonia,& ob id vanę eorum religiones,vineæ steriles,ac desertæ,vineæ inquàm Seon, Aegypti, & Sodomorum,de quibus Deuteron.c.32.dicitur,de vinea Sodomorum:*Vinea eorum*,& de suburbanis Gomorrę, *vua eorum vua fellis, & Botrus amarissimus,fel Draconum,vinum eorum,& venenum aspidum insanabile*;neque est,quòd admiremini,si vanas Idololatrarum superstitiones vineas appellemus,nam vineæ sunt,quas non plantauit diuinus ille Agricola,at teterrimus harum tenebrarum princeps,de quibus D. Matthęi ç. 15. dicitur à Domino nostro. *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis,eradicabitur*: Et quamuis sancta Dei Ecclesia,aut olim Iudæorum Synagoga,vinea Domini allegoricè dici solet, vt Isaiæ ca. 5. *Vinea Domini domus Israhel est*,& D.Matthæi c.20. *Ite & vos in vineam meam,& quod iustum fuerit dabo vobis*,veruntamen nefarias etiam gentium superstitiones,vanas huius sæculi scientias, & impias hæreticorum doctrinas,vinearum appellatione mysticè designamus, quemadmodum ex variis sanctorum patrum testimoniis satis superq; colligimus,vt Deuter.ca.32.Num.ca.21.primi libri Regum ca.8.Psal.77. Iudicum ca.15. Isaiæ ca.16.& Amos ca.5.quod idem astruunt Origenes hom.12. super Numeros,& hom.9.super Hierem.& super Cantica hom.4.D.Hieronymus super Isaiam ca.24.& super Amos ca.5.D. Ambrosius in lib. de Helia c.14.& tandem D. Gregorius in suis commen.super primum librum Regum cap.8. Quapropter inquit plebs gentium, *Filij matris meę*, qui sunt Idololatriæ auctores,& principes,non religione, sed carne Synagogæ filii,*pugnauerunt contra me*,& me gentium populum Dæmonum cultorem effecerunt,& vera vnius Dei vinea,quæ vinea mea est,neglecta,in falsis Idolorum vineis me posuerunt custodem,ex qua re factum esse putetis,ò Filiæ Hierusalem, quod Sol, hoc est,Idololatriæ ęstus me decolorarit,& tantam ex eo nigredinem contraxerim, & squalorem, vt nigra sicut Tabernacula Cedar euaserim,atque horrida, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me,&c.*

LECTIO XXXXII.

Filij matris meæ pugnauerunt contra me, &c.



SI Prophetia (vt placet Ruperto Abbati libro 4. super Diuum Ioannem cap. 4.) rerum non solum futurarum præsicientia, sed præteritarum etiam, & præsentium reuelatio rectè appellari solet, Salomonem certè Prophetam in hoc loco, crebras, & multas afflictiones, quas à variis populorum generibus sponsa Christi Ecclesia hactenus passa est, & hucusque patitur, & quod deterius est, in posterum maximè verò sub extremis Antichristi temporibus passura est, præuidere, nobisque significare existimo, dum inquit. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me,* Etenim sancta Dei Ecclesia Nauis instar in huius sęculi mari, fluctuare cępit in prima noctis vigilia, seu ab ipsa mundi origine, quando corruperat viam suam omnis caro; & variis succedentibus temporibus, in omnibus, ac singulis huius vitæ ætatibus, cum in eius infantia, quæ fuit ab Adam vsque ad Mosen, & est prima noctis vigilia, tùm in eius adolescentia, quæ fuit à Mose vsque ad Christum, & est secunda noctis vigilia, tùm in eius iuuentute seu potius virili ætate quæ fuit in temporis plenitudine, cùm misit Deus filium suum in mundum, & est tertia noctis vigilia, diuersis ærumnis, & miseriis, velut imbribus, & tempestatibus eam concuti semper, & perturbari legimus vsque ad mundi consumptionem, quæ est quarta noctis vigilia & postrema, in qua Dominus præbiturus est ei auxilium, dicens. *Confidite, ego sum, nolite timere, & cessauit uentus, qui erat illis contrarius.* Qua ratione factum esse arbitror, vt Ecclesia Dei inter plura, & illa quidem symbolica nomina, quibus in scripturis sanctis appellatur, Nauis etiam à Diuo Marco cap. 6. mysticè nuncupetur, *Cum serò esset factum, erat nauis in medio mari, & Iesus solus in terra, & vidit discipulos laborantes in remigando, erat enim uentus contrarius eis.* Quæ verba libro secundo cap. 28. super Diuum Marcum Beda Venerabilis interpretans, aiebat, *Labor discipulorum in remigando, & contrarius eis uentus, labores sanctæ Ecclesiæ uarios designat, quæ inter undas sæculi aduersantis, & immundorum flatus spirituum, ad quietem patriæ cælestis, quasi ad fidam littoris stationem peruenire conatur.* cuius opinioni assentitur Diuus Hieronymus libro secundo super Diuum Matthæum cap. 14. Diuus Augustinus sermone 10. ad fratres in heremo. Diuus Ioannes Chrysostomus hom. 51. super Diuum Matthęum, D. Ber-

Diuus Bernardus in sermone de Dauide & Goliath, & Diuus Leo Papa in Dialogo inter tristitiam & gaudium spirituale, & certè nauis, & nauis Petri, est Ecclesia Dei, quandoquidem si in naui qualibet optimè instructa, hæc omnia reperiuntur, Nauta, seu primarius nauis gubernator, Temonis moderator, Procuratores, Rerum omnium Annona, Tormenta, Anthena, Malus, Vela, Funes, Remi, Nauigantes, Carchesia, Anchora, Temon, Sentina, Merces, Ventorum flatus, Vndarum fluctus, Scopuli, Piratæ, & demum tutissimus Portus; & in Ecclesia sancta Dei hæc omnia adsunt, cuius Nauta est Christus, Ecclesiæ caput, Temonis moderator est Petrus, & quilibet Summus Pontifex, Procuratores sunt Episcopi, Rerum omnium Annona, sunt Sacramenta, Tormenta sunt proborum hominum orationes, Antenna est Ecclesiæ firmitas, Malus est crux Christi, Vela sunt eius charitas, Funes sunt Dei præcepta, Remi sunt opera nostra, Nauigantes nos viatores sumus; Carchesia est prudentia, Anchora est spes, Temon est fides Catholica, Sentina sunt homines impii, Merces sunt Christi & sanctorum merita, Ventorum flatus sunt auræ diuinæ gratiæ, Vndarum fluctus sunt hæreticorum maledicta, Scopuli sunt Tyrannorum persecutiones, Pyratæ sunt Dæmones, & Portus est gloria cœlestis, in quem qui peruenire cupit, aduersis calamitatibus ab inimicis illatis nauigare debet: Cum igitur serò esset factum, erat Ecclesiæ nauis in medio mari, hoc est, postquam primus homo peccauit, tenebræ factæ sunt, & à prima mundi constitutione, ventorum impetu, hoc est aduersariorum afflictionibus Ecclesia Dei perturbari cępit; proh dolor, & quàm graues calamitates, quàm intolerabilia incommoda, quàm crudelia bella, in ecclesiæ Dei pernitiem semper illata sunt, & quotidie inferuntur à matris eius filiis? quot insidiis, quot perturbationibus, quot angustiis angitur, affligitur, concutitur? Iactatur sanè persecutionibus infidelium, terrore Tyrannorum, insidiis hæreticorum, improbitateque Hypocritarum, & Christianorum peruersè viuentium, qui sunt quatuor venti præcipui, à quatuor mundi partibus Oriente scilicet, Septentrione, Meridie, & Occasu flantes, Eurus videlicet, Boreas, Auster, Zephyrus, quorum meminit Plinius libro secundo de naturali Historia cap. 49. imo verò Daniel Propheta cap. 7. inquiens. *Vidi in visione mea, & ecce quatuor venti pugnabant in mari magno*, quod est hic mundus, vt cecinit Dauid in Psalmo 103. *Hoc mare magnum, et spaciosum, illic reptilia quorum non est numerus*; Nam Eurus, est infidelium persecutio efflans ab Oriente, Boreas est Tyrannorum terror reflans à Septentrione, Auster sunt hæreticorum insidiæ flantes à Meridie, Zephirus est Hypocritarum, & Christianorum peruersè viuentium improbitas, spirans

rans ab Occasu, & hæ sunt quatuor Ecclesiæ Dei afflictiones præcipuę, à Daniele Propheta cap. 7. per quatuor principes mundi ventos designatæ, & per quatuor etiam immanes bestias de mari ascendentes ab eodem Propheta ibidem præuisæ, nimirum per Leænam, Vrsam, Pardum, & Bestiam cæterarum trium crudelissimam, non habentem nomen; immo verò, & Regius Propheta in Psalmo 90. per quatuor alias, & illas quidem belluas immanissimas, has easdem quatuor in Ecclesiam Dei persecutiones nobis indicare voluit, cùm de Christo Domino nostro verba faciens dixit, *Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, et Draconem*. Neque me latet per hos quatuor cœli ventos in mari magno pugnantes, quatuor bonos Angelos, quatuor præcipuis Monarchiis præpositos designari posse, vt Diuo Hieronymo placet super Danielem cap. 7. Communis enim sanctorum patrum sententia est, cuilibet regno Angelum vnum præsidere, seu potius Archangelum, qui illius curam gerat, in omnibus iis quæ ad eius gubernationem spectant, qua etiam ventorum similitudine, pro Angelis acceptorum, vsus est Diuus Dionysius in libro de cœlesti hierarchia, cum inquit. *Ventus diuinam cælestium spirituum speciem præsefert, & diuinę actionis imaginem, secundum naturalem mobilitatem, uimque animandi, & celerem, atque insuperabilem discessum, & mobilium principiorum, ac finium incognitas nobis, atque inuisibiles latebras*: Alii verò interpretes, vt Albertus Magnus, nomine quatuor ventorum intelligi putant quatuor malos Angelos, qui in quatuor Monarchiis maximum habuerunt imperium, cùm in illis non vnus & verus Deus, at multi & falsi Dei venerarentur, & tandem Theodoretus, hos quatuor ventos inter se pugnantes, afflictiones maximas, & perturbationes, quæ in cuiuslibet Monarchiæ exortu extiterunt, nobis significare existimat, & ob id inquit, Danielem Prophetam pugnam ventorum præmisisse, & mox quatuor Monarchiarum originis meminisse, vt maxima orbi terrarum incommoda, has quatuor Monarchias attulisse, ex hac ventorum pugna intelligeremus: & quamquam optimè etiam scio, quatuor illas bestias, quas Daniel de mari ascendentes se vidisse astruit, quatuor mundi principes Monarchias præmonstrare, Chaldæorum scilicet, Persarum, Macedonum, & Romanorum, vt omnes ferè interpretes vnanimi consensu exponunt; Nam per Leænam significatur Chaldæorum Monarchia, propter eorum crudelitatem, & libidinem, vt Diuo Hieronymo placet, cum Leæna ex Aristotelis, & Plinii auctoritate sæuissima sit, & ad coitum semper gestiat, nec vnius Leonis contenta congressu, etiam cùm Pardo, & Hyena misceatur; similitudine verò vrsi Persarum, & Medorum regnum figuratur, ob immanem Vrsi ferocitatem, vt refert

Theo-

Theodoretus,qua Persæ barbaros omnes superarunt; Rursus sub Pardi alas habentis imagine intelligitur Græcorum,seu Macedonum Regnum sub Alexandro Magno, ob huius animalis velocitatem, quod præceps fertur, & saltu ruit in prædam,præmonstrat enim incredibilem Alexandri magni celeritatem, quippe qui (vt ait Diuus Hieronymus)ab Illyrico, & Adriatico mari vsque ad Oceanum Indicum, & Gangem fluuium victoriis, magis quàm præliis, totum ferè orbem percurrit; Demum terribilis illa Bestia, & fortis nimis, nomen non habens, Romanorum Monarchiam figuratè indicat; in prioribus namque regnis vna semper fuit gubernandi ratio, nimirum Regius principatus, vt explicat Theodoretus; apud Romanos autem, varia extitit regendi forma, primò enim fuit Regalis,mox Consularis,postea partim Consularis,partim Tribunitia, nonnunquam etiam Dictatoria, & tandem Imperatoria, qua de caussa reliquæ tres Monarchiæ vni alicui bestiæ singulari comparantur, Romanum verò Imperium,sub illius bestiæ omnium bestiarum sæuissimæ imagine exprimi debuit:Licèt igitur hi quatuor cœli venti præcipui, & hæ quatuor bestiæ de mari ascendentes, ex variis sanctorum patrum interpretationibus, aut quatuor bonos Angelos, aut totidem malos spiritus, aut quatuor mundi principes Monarchias, aut maximos tumultus, & perturbationes, quæ in cuiuslibet Monarchiæ exortu extiterunt, figuratè designent, verùm tamen nullum ex hoc incommodum sequi censeo, si & hos quatuor cœli ventos, & has quatuor bestias, quatuor etiam Ecclesiæ Dei præcipuas persequutiones tropycè significare dicamus: Eurus enim flans ab Oriente Hyberno, latinè vulturnus,à Vulturis volatu(vt aliqui putant)appellatus,quòd altè resonat; nonnè primam Ecclesiæ Dei afflictionem, quam ab infidelibus, & idololatris, dicam etiam à Iudæis, & Saracenis passa est, & quotidie patitur,satis bellè præmonstrat? quippe qui terræ Gigantes superbissimi, in ipsius Ecclesiæ nascentis exordio,nimis altè ascendentes, Turrim illam in Orientis plaga, vbi nunc Babylon est, ędificarunt, vt Deum ipsum de regno suo Cœlesti eiicerent; mox verò in Aegypto tempore Mosis per annos quadringentos suprà triginta à Pharaone, & à variis gentium populis in desertis Arabiæ locis, per annos quadraginta,& tempore Sedechiæ Regis à Nabuchodonosor in Babylonia,per annos septuaginta, & per sex annos Machabæorum tempore ab Antiocho Epiphane Quinto Syriæ Rege, in Iudæa, ante Christi aduentum, centum ac mille, sancta Dei Ecclesia passa est incommoda; & demum Iudæi Christianam religionem opprimere conantes,per annos post Christum natum, 235. variis illam afflictionibus cruciarunt, sicut Apostolorum Acta testantur,nã intestino & implacabili odio in Christi

Ecclesiam dimicantes, primùm verberibus Petrum, & Ioannem affecerunt, Stephanum lapidibus obruerunt, discipulos Christi Hierosolymis expulerunt, Iacobum Minorem interfecerunt, & totam Dei Ecclesiam funditus euertere contenderunt; posteà verò apud Antiochiam non paruam Paulo, & Barnabæ seditionem à Iudæis excitatam fuisse ibidem legimus, quòd illos, qui Christi fidem suscepere, in seruitutem redigere, & ad Iudaicę legis ritus, paternasque traditiones custodiendas inducere conarentur. Boreas autem, qui ventus est habens flatum violentum atque sonorum, frigidum, & siccum, reflans à Septentrione, Tyrannorum terrorem designat, qui post gloriosum Christi ascensum in cœlum, Christianæ pietatis ardore diuinæque gratiæ humore carentes, frigidi homines in Deum Optimum Maximum atque sicci, in variis orbis terrarum regionibus Asiæ, Ponti, & potissimum Italiæ, impetu nimis violento in Apostolos sanctos, & in Christi martyres sęuierunt, quandoquidem per annos 300. sub decem Romanorum Imperatorum principatu, hoc est à Nerone crudelissimo vsque ad Constantinum Magnum acerbissimis Christi Ecclesiam cruciatibus afflixerunt; Et Prima in Christianos persecutiò Romæ à Nerone excitatur, quo tempore duo Ecclesiæ luminaria magna Petrus scilicet, & Paulus extinguuntur, dum iste capitis pęna, & ille crucis patibulo damnatur; Secunda à Domitiano concitatur, sub quo in Asiæ partibus Ioannes & Philippus Christi Apostoli, variis cruciatibus afflicti, obdormierunt in domino: Tertià à Traiano, qui etsi decreuit, vt Christiani non requirerentur, si qui tamen in eius manus incidissent, crudeliter illos puniri iussit; Quarta sub Antonino Vero commota est, quo tempore Polycarpus vitam martyrio finiuit, & apud Lugdunum, & Viennam Galliæ Vrbes, quàmpluribus tormentorum generibus Christiani cruciantur; Quinta excitatur à Seuero Imperatore, apud Alexandriam, quò loci innumeros Christi fideles grauissimis pœnis mulctatos fuisse legimus: Sexta sub Maximino suscitatur, qui eos puniri iussit, qui Christianis, & Euangelicæ doctrinæ præessent; Septima sub Decio extitisse legitur, sub cuius Imperio Fabianus Papa martyrio coronatur; Octaua concitatur à Gallo apud Antiochiam præsertim, & Alexandriam, in qua non pauci Christiani pluribus & maximis supplicis periere. Nona à Valeriano commouetur apud Cæsaream Palestinæ, vbi Christi populus acerbissimos pertulit cruciatus, Decima tandem cæterorum omnium sęuissima excitata fuit à Diocletiano, qui post varia tormentorum genera, quibus de Christianis supplicium sumpsit, per totum Christianum orbem, omnes Ecclesias ad solum vsque destrui, & euerti mandauit, omnesque Ecclesiarum præfectos coniici in vincula, vtque Idolorum

simula-

simulachris sacrificare cogerentur præcepit; Prætereo nunc plerasque aliàs Tyrannorum in Ecclesiam Dei persecutiones, in quibus omnes ferè Christi fideles innumeris & accerbissimis afflictionibus cruciati fuere, nam alii ferro perempti sunt, alii flammis exusti, alii cruciati patibulo, alii vinculis mancipati, alii linguis priuati, alii lapidibus obruti, alii viui decoriati, alii frigore afflicti, alii fame cruciati, alii capitis pœna damnati, alii denique crucis martyrio coronati. O scelestem hominum superbiam, ô immensam Tyrannorum vesaniam, tunc etiam Coniuges temerari vidimus, Virgines profanari, Monasteria demoliri, turbari Clericos, verberari Leuitas, compelli in exilium Sacerdotes, Episcopos à suis Diœcesibus eiici, & denique totam Dei Ecclesiam ferè extirpari, & dilatari paganismum. Postea verò post annos trecentos Auster, qui sunt hæreticorum insidiæ, à Meridie flare cępit, & per annos 236. flatibus validis, & aduersis, inter varios hæresum scopulos positam Ecclesiæ nauim maximis errorum turbinibus perturbauit, & quanquàm in ipso Ecclesiæ nascentis exordio, Auster hæreticorum ventus, à Simone Mago qui hæresum penè omnium primus velut Architectus fuisse videtur, apud Samariam tempore Apostolorum, anno post Christum natum quinquagesimo in Ecclesiæ nauim concitatus fuit, quem postea secuti sunt Cherinthus, Montanus, Ebionitæ, Basilides, Carpocrates, Cerdon, Marcion, Nicolaitæ, Angelici, Nouatiani, & Manichæi, quorum hæreses varias & impias nimis longum esset recensere; Veruntamen anno 315. sub temporibus Constantini Imperatoris, & Syluestri Pontificis maximi, huiusmodi hæreticorum ventus, vehementioribus flatibus, fluctibusque magis furentibus eam exagitauit, cum Arriani præsertim & Donatistæ, sæuissimis blasphemiarum turbinibus, sanctam Dei Ecclesiam perturbare cęperunt, ex quibus deinde diuersæ ac propè innumeræ hæreticorum sectæ exortæ sunt, & in hæc vsque tempora Hussitæ, Lutherani, Caluinistæ, & Hugonotiæ, horrendis facinoribus, & plus quàm Sathanica impietate, in vniuersum Catholicorum cœtum, vix credibiles exercuerunt crudelitates; proh Deum immortalem, & quod scelerum flagitiorumque genus homnines isti nefarii in Ecclesiam Dei edere non ausi sunt? semper etenim non dolo tantum, & insidiis, sed terroribus etiam, minis, ferro, igne, aliisque tormentis propè inauditis scelestè tentarunt Ecclesiam scindere, fidem destruere; pacem turbare, charitatem dissipare, sacramenta profanare, dicam etiam Templa Dei incendere, Altaria destruere, Sanctorum Imagines comminuere, eorum Reliquias, & Ossa contemnere, immò verò concremare, aut in flumina deiicere, ô nefarium scelus Eucha-

cha-

charistiam Sacrosanctam porcis impiè obiicere, Christum Dominum nostrum stultum appellare: Hinc Diuus Clemens Papa Diui Petri discipulus, in libro de Constitutionibus Apostolicis, optimè inquiebat. *Hæreticos magis impios esse, quàm sint Iudæi, & magis sine Deo quàm Gentiles*, vtpotè qui summum Deum vniuersi præsidem blasphemiis insectantur, & filium eius conculcant, & in doctrinam spiritus Spiritus sancti despuunt, qui sermones Dei negant, aut approbare se simulant, in eius contumeliam, & quid iustitia sit ignorant: Hic igitur auditores est furor hæreticorum, hæc est rabies Austri flantis à Meridie, sed quid dico à Meridie? quinimmo ab Ortu, à Septentrione, ab Occasu, & à Meridie, nam ab Ortu est hæresis Mahometana, ab Occasu Hugonotta, à Meridie Africana, à Septentrione Granatina, rem manifestius declaro: ab Ortu Mahometes, Arrius, Manichæus, Marcion, Hebion, Cherinthus, & Simon Magus, ab Occasu Berengarius, Vigilantius, & Pelagius, à Meridiè Nouatianus, & Donatus, & demum à Septentrione Caluinistæ, Lutherani, & Hussitæ. Verùm Zephirus etiam flans ab Occasu æquinoctiali, qui hypocritarum & Christianorum peruersè viuentium improbitatem demonstrat, subtilibus quidem, & aduersis flatibus ecclesiæ nauim agitat, & impellit. Et certè sicut oua sterilia, nullumque partum producentia Zephyria vocantur, quòd vento generari putentur, ita & hypocritarum opera quæ exterius bona apparent, & interius nullius precii sunt, Zephyria nuncupari poterunt: De hac autem hypocritarum in Ecclesiam Dei afflictione, quæ cæteris omnibus periculosior est, clamabat Dominus noster apud Diuum Matthæum capite octauo. *Vbæ generationi huic à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*, quæ vt Diuus Bernardus ait sermone trigesimotertio super Cantica canticorum, *serpit hodie per omne corpus Ecclesiæ, &c. quo interius, eo periculosius, quo latius, eo desperatius, nam si insurgeret apertus inimicus, mitteretur foras, & aresceret, si violentus inimicus Tyrannus, absconderet se forsitan ab eo, nunc verò quem eiiciet? aut à quo se abscondet? si omnes sunt amici, & omnes inimici? omnes necessarij, & omnes aduersarij? omnes domestici, & nulli pacifici? omnes ministri Christi, & omnes seruiunt Antichristo?* hæc ille. Acerba profectò est Ecclesiæ persecutio sub infidelibus Iudæis, & Saracenis, acerbior sub Tyrannis, longè acerbior sub hæreticis, at acerbissima sub hypocritis; intestina mehercule est hæc Ecclesiæ plaga, & insanabilis, nam aliquando pax est à paganis, pax à tyrannis, pax ab hęreticis, at nunquam pax est ab hypocritis filiis matris nostræ, qui quotidie pugnant contra nos,

 loquen-

loquentes pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum, qua de cauſſa Diuus Petrus Chryſologus ſermone ſeptimo hypocriſim nobis deſcribens, aiebat. *Hypocriſis eſt ſubtile malum, ſecretum virus, uenenum latens, virtutum fucus, tinea ſanctitatis*; & tandem nulla grauior eſt, & atrocior Eccleſiæ miſeria, quàm vt ii qui Chriſtiani dicuntur, Chriſtum perſequantur, & qui primatum in Eccleſia diligere videntur, in eius perniciem principatum gerant; Heu heu Domine Deus, amici tui, & proximi tui, aduerſum te appropinquauerunt, & ſteterunt, qui edebant panem tuum, magnificauerunt ſuper te ſupplantationem, molliti ſunt ſermones eorum ſuper oleum, ipſi ſunt iacula, *Filij matris tuæ pugnauerunt contra te.* Hæ igitur auditores ſunt quatuor eccleſiæ Dei afflictiones præcipuæ, per quatuor cœli principes ventos à quatuor mundi cardinibus ſpirantes myſticè deſignatæ, ſicuti per quatuor etiam tùm Danielis, tùm Dauidis Beſtias pulcherrimè præmonſtrantur, quod aliàs, cum opportuniorem huiuſce rei explicandę occaſionem nacti fuerimus, pluribus, & luculenter declarabimus: Nunc verò hæc pauca dicere ſatis ſit, apud Danielem capite ſeptimo per Pardum ſatis aptè infidelium, ac Ethnicorum perſecutionem ſignificari, per Leænam tyrannorum terrorem, per Vrſum hæreticorum inſidias, & per illam Beſtiam cæteris terribiliorum, nomen non habentem, hypocritarum improbitatem; ſicuti apud Dauidem Prophetam in Pſalmo 90. per Aſpidem infidelium afflictio demonſtratur, per Leonem tyrannorum furor, per Baſiliſcum hæreticorum dolus, & per Draconem hypocritarum ſcelus, & Antichriſti, cuius iſti ſunt filii: Illud equidem ſilentio retinere non poſſum, hos omnes, qui Chriſti eccleſiam, variis perſecuti ſunt afflictionibus, ſiue infideles ſint, ſiue Tyranni, ſiue hęretici, ſiue hypocritæ, eſſe filios matris noſtræ, nempè aut Aeuæ, aut Synagogæ, aut etiam Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ, de quibus omnibus ipſa conqueritur, cum inquit, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.*

LECTIO

LECTIO XXXXIII.

Posuerunt me custodem in vineis, Vineam meam non custodiui.



NEMINEM vestrum latere arbitror auditores, vineæ nomen in scripturis sanctis, iuxta varios sensus spiritales, pro multis, & diuersis rebus mysticè vsurpari, aliquando enim Christi corpus in ara Crucis sanguinem fundens vineæ appellatione anagogicè designatur; vt Canticorum cap. 1. *Botrus Cypri, dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* ita astruit Diuus Augustinus in enarratione Psal.8.sub his verbis: *Verbum diuinum potest vua intelligi: dictus est enim & Dominus botrus vuæ, quem ligno suspensum de terra promissionis qui præmissi erant à populo Israhel, tanquam crucifixum attulerunt.* Sæpe vinea cuiuslibet hominis animam siue probus sit, siue prauus tropologicè significat, vt Canticorum c.2. *Videamus si vinea nostra floruit.* Ita opinatur Diuus Bernardus ser.30. super Cant.inquiens; *Vineas quoq; animas interpretamur, fidem vitem, virtutes palmites, botrum opus bonum, deuotionem vinum, & linguam torcular.* Nonnunquam vinea sacrosanctam scripturam allegoricè præmonstrat, vt apud Iob cap.24.inquiẽtem; *Vineam eius, quem vi oppresserũt, vindemiant;* ita Diuus Gregorius asserit libro 16.Moralium cap.13.inquiens: *Potest vineæ nomine scriptura sancta designari, quam peruersi prædicatores demoliuntur.* Et interdum totius mundi fabrica, & structura Dei vinea appellatur, atque plantatio, vt in libro de Plantatione Philo Iudæus affirmat, cum dicit; *Plantator ille maximus, & arte perfectissimus, huius rerum vniuersitatis rector est: Planta verò mundus hic, non vnius stirpis genus in se continens, sed infinitos ceu palmites, ex vna radice progerminans.* Verùmtamen vinea in scripturis sanctis pro quacunque hominum, tàm fidelium, quàm infidelium congregatione, frequentius accipi solet, ita, vt cum quatuor præcipuæ hominum vniones reperiantur, quarum duæ in Christo, reliquæ verò in dæmone factæ sunt, totidem etiam in scripturis sanctis mysticè acceptæ habeantur vineæ, hoc est, Vinea beatorum spirituum in cœlo Empyreo, quæ est Ecclesia triumphans, de qua Canticorum cap.8.ait Christus sponsus: *Vinea mea coram me est.* Vinea fidelium, & catholicorum, quæ est Ecclesia militans, de qua Isaiæ çap. 3. legitur; *Vinea Domini Sabaoth domus Israhel est.* Vinea infidelium, siue idololatræ sint & Ethnici, siue Iudæi, siue Mahometani, siue hæretici, quæ sunt impiorum ho-

minum Synagogæ, de quibus Iohelis capite primo habemus: *Posuit vineam meam in desertum, vinea confusa est, & ficus elanguit, & omnia ligna agri aruerunt*: & demum vinea reprobatorum, vt aiunt, & apud inferos damnatorum, quæ est tormentorum locus, de qua Deuteron. capite 32. dicitur: *Vinea Sodomorum vinea eorum, fel Draconum, uinum eorum.* Salomon autem in his plebis gentium verbis, *Posuerunt me custodem in uineis, uineam meam non custodiui*, sub duplici tantum significatione, vineæ nomen vsurpat, quando enim sub numero plurium vinearum, inquit, *Posuerunt me custodem in uineis*, de vineis infidelium, quæ sunt Ecclesiæ malignantium, & ferè tot, quòt sunt homines impii, verba facit: quando verò sub vnius vineæ numero dicit. *Vineam meam non custodiui*, de fidelium vinea loquitur quæ est Ecclesia militantium Catholica, & Apostolica; quare non opus est, vt in præsentia, de reliquis duabus vineæ acceptionibus sermonem habeamus, de Paradisu scilicet Beatorum, & de damnatorum loco apud inferos; quando quidem nulla de his vineis loquendi occasio nobis sese offert: at illud nunc satis erit, si per vineam, quam plebs gentium se non custodisse quæritur, sacrosanctam Dei Ecclesiam designari, & per vineas, in quibus à filiis matris suæ custodem se positam fuisse dolet, varias infidelium, & hæreticorum sectas, seu malignantium Ecclesias intelligendas esse declarauero; Atque vt hinc sumam exordium, vnica certè est vinea Domini, quam se plantasse Deus Opt. Max. Hieremiæ cap. secundo asseuerat, dicens, *Ego te plantaui uineam electam*, & est omnium fidelium in Christo facta vnio, quam in delitiosissima voluptatis paradisu dextera Dei plantauit, & Ecclesia militantium appellatur, vt videre est in epistola Diui Pauli ad Ephesios scripta cap. 5. vbi Dei verba quæ Genesis cap. secundo leguntur interpretans, nimirum, *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, inquit Apostolus. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & in Ecclesia*; quæ postea variis succedentibus temporibus, tùm per Patriarchas, & Prophetas sanctos, tùm per Apostolos, & Apostolicos viros adeò propagata est, vt extenderit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines suas: Nec mirum auditores, quando quidem vt ait Diuus Bernardus sermone trigesimo super Cantica, *Deus ipsam plantauit, Dei agricultura est, ipse fæcundat, ipse propagat, ipse putat, ut fructum afferat*, & sanè si vinea illa est, quæ multas continet vites, nonnè Ecclesia sancta, quæ multos in Christi nomine vnitos fideles continet, vinea Domini censenda est? ita legimus cap. 49. Genesis, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium, ligans ad uineam pullum*

suum,

suum. Ita legimus in Psalmo 79. *Respice de cælo, & uide, & uisita uineam istam, quam plantauit dextera tua*. Ita legimus Isaiæ cap. 5. *Plantauit uineam electam, & sepiuit eam, & ædificauit Turrim in medio eius, & Torcular extruxit in ea.* Ita legimus Hieremiæ cap. secundo. *Ego te plantaui uineam electam*. Ita legimus Ezechielis cap. 17. *Facta est ergo uinea & fructificauit in palmites, & emisit propagines*. Ita legimus Michęæ cap. 4. *Et sedebit uir subtus uineam suam, et non erit qui deterreat, quia os domini exercituum loquutum est*. Ita legimus Zachariæ cap. 3. *In die illa uocabit uir amicum suum subtus uineam*. Ita legimus apud Diuum Matthæum cap. 20. *Exijt primò mane conducere operarios in uineam suam*. Ita demum legimus ibidem cap. 21. & apud Diuum Lucam cap. 20. *Homo quidam erat paterfamilias, qui plantauit uineam*. Quod patres omnes Græci, & Latini variis in locis confirmant, vt Origenes hom. 17. super Genesim; & hom. 19. super Diuum Matthæum, Diuus Hieronymus super Ezechielem cap. 19. & super Isaiam cap. 27. & super Abacuc cap. 3. Diuus Ambrosius super Psalmum 118. Diuus Gregorius hom. 19. super Diuum Matthæum, Diuus Bernardus sermone 30. super Cantica. Arnobius super Psalmum 79. & omnes huius libri interpretes in hoc loco. Vnum pro omnibus Diuum Thomam audite. *Vineam meam non custodiui*, hoc est, *vnam illam Ecclesiam quæ Hierosolymis fuit, non custodiui*: O Agricultura optima, ò vinea suauissima, cuius Agricola est pater æternus, cuius vitis est Christus, cuius palmites sunt omnes homines Christi fideles, sicut inquit Dominus noster apud Diuum Ioannem cap. 15. *Ego sum uitis, & uos palmites, & pater meus agricola est*. Verùm audite quàm bona sit huius vineæ agricultura, & quàm diligens sit eius agricola, qui primum plantauit vineam, deinde sepem circundedit ei, mox ædificauit Turrim in medio eius, & demum Torcular exstruxit in ea, ita inquiunt Isaias cap. 5. & D. Matthæus cap. 21. At quid sibi volunt hæc quatuor, quæ tanta hic diligentia efficiuntur? Plantare scilicet vineam, Sepem circundare ei, Turrim ædificare, & Torcular exstruere? Audite & attento animo audite, si vinea plurium vitium est congregatio, & homines particulares sunt Domini vites, vt Diuus Gregorius ait. Quid aliud profectò fuit plantare vineam, nisi homines creare, eosque in Christo tanquàm in primaria vite vnire? in cuius radice reliquæ omnium hominum Christi fidelium vites plantantur, in quo vt inquit Apostolus, *Condita sunt in cælo, & in terris uniuersa*, & licèt homines si comparentur cum Christo, non vites, sed palmites sunt, vt ipsemet Diui Ioannis cap. 15. dicit. *Ego sum uitis, & uos palmites*, cùm seipsis tamen si mutuò conferantur, non palmites sunt, at singuli sunt particulares Domini vites. Verùm quo-

nam in loco, hanc mysticam Christi vineam, diuinus ille agricola plantauit? multas profectò huius electæ vineæ, vt ita dicam plantationes effecit, quarum vna æterna est, reliquæ verò omnes temporariæ sunt: etenim primum ante mundi constitutionem, in terra illa omnium rerum effectrice, atq; altrice, quæ est diuinum verbum, illam plantauit, cùm absque vllo temporis, aut naturæ exordio sibi coæternum, & consubstantialem filium vnigenitum generauit, in quo tanquàm in verbo suo, rerum omnium Ideas effinxit, nam *In ipso etiam nos elegit, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, & prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suę*, vt ait Apostolus ad Ephesios cap. primo: & de hac primaria ęternaque huius vineę quę est Ecclesia Dei, plantatione, loquitur Propheta in Psalmo 79. cum dicit. *Perfice Domine vineam istam, quam plantauit dextera tua super filium hominis, quem confirmasti tibi.* Postea verò in temporis exordio eandem in Paradiso voluptatis plantauit, cùm Adamum, & Aeuam sacrosancto coniugii nodo, magnum Christi, & Ecclesię Sacramentum allegoricè pręmonstrante, Deus ipse coniunxit, inquiens, vt habetur Genesis cap. 2. *Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Et de hac temporaria vineæ Dei plantatione, loquitur Isaias cap. 5. *Vinea Domini Sabaoth Domus Israhel est;* Cumque plures ex filiis Israhel, vt Cayn, Cham, Nembroth, & Ninus, hanc Ecclesię Dei vineam colere neglexissent, & in variis nefariarum religionum, imò verò vanarum superstitionum vineis positi custodes, non amplius vnum, & verum Deum, sed plura, & falsa Idola venerarentur, eam de Aegypto transtulit Deus, & rursus in Palęstina Syriæ prouincia plantauit, vt cecinit Dauid in Psalm. 79. *Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam;* at cùm adhùc in malitia, & impietate sua perseuerarent, & putrida ingrati animi labe polluti, tùm priores, tùm posteriores ipsius agricolæ seruos, quos ad illos miserat, vt vineæ fructus, quos edere debuisset, aliquando reciperent, aut occiderunt, vt Hieremiam, Hur, Danielem, Michæam, aut lapidarunt, vt Naboth, & Azariam Sacerdotem, aut occiderunt, vt Isaiam, Zachariam, & Prophetas sub Heliæ temporibus cùm quinquaginta Sacerdotibus; imò verò cùm ad tantam deuenissent perfidiam, & crudelitatem, vt proprium, & vnigenitum ipsius patrisfamiliàs dilectum filium, quem ad illos nouissimè miserat, inquiens, *Fortè verebuntur filium meum*, non quasi ignorans, quod illi fuerat euenturum, cuius oculis omnia nuda sunt, & aperta, sed ut liberam homini relictam voluntatem contestetur, quem reliquit in manu consilii sui, extra vineam apprehensum eiecerint, & occiderint, tunc demum paterfamiliàs malos, malè perdens, in ligno crucis, per filium suũ

Christum

Christum Dominum nostrum vineam suam longè perfectiorem planta uit,eamque aliis locauit agricolis,qui fructum reddant temporibus suis;
Hæ igitur sunt quatuor vineæ Dei plantationes,ex quibus vna est æterna,reliquæ verò tres temporariæ sunt. Reliquum nunc est, vt quid sibi velit sepire vineam,Turrim ædificare,& Torcular cōstruere,declaremus. Sepes,vt interpretantur Origenes,& D.Ambrosius,est diuinæ custodię munitio,aut,vt placet D.Hieronymo,est Angelica custodia,vel vt explicat D.Ioannes Chrysostomus,sunt pii viri,& sancti Tutelares, etiā demortui,vt tunc Prophetæ erant, & nunc sunt Apostoli, qui viuis patrocinantur, suisque se meritis aduersariorum insultibus opponunt, nè in Christi vineam latrones inuisibiles,hoc est infideles,& tyranni, hæretici,& scismatici irrumpant:Turris autem, vt placet Origeni, Basilio Magno,Theophilacto,& Diuo Hieronymo,templum Dei, illius præcepto in medio Iudęæ exstructum,mysticè designat,de quo Michęę cap.4.dicitur. *Et tu Turris nebulosa filiæ Syon*, at D.Hilarius & D.Ambrosius turrim legis eminentiam indicare putant,quæ & in cęlum,ex quo egressa est,nos extollere,& ex qua Christi aduentus tanquàm ex alta specula prospici posset, quàmquàm ecclesiasticam etiam dignitatem omnium supremam, allegoricè per turrim præmonstrari velint antiquus Tertullianus in libro,quem in Marcionem conscripsit,& D.Ioannes Chrysostomus libro 3.de Sacerdotio.Torcular denique vt exponunt Origenes, Diuus Ambrosius,& Diuus Hieronymus, libationum locum significat, seu altare,in quo victimæ ipsi Deo offerebantur, quarum sanguine non minus,quàm vino Torcular,ipsum altare maduit: aut vt interpretatur D. Ioannes Chrysostomus,Torcular est Dei verbum, Christi Euangelium, & lex ipsa,quæ sicut Torcular vinum à botro, ita bonum à malo discernit.Seu Torcular vt vult Diuus Hilarius, sunt Prophetæ & Apostoli sancti,in quos Spiritus sancti feruens vbertas instar musti influxit.Vel tandem vt ego censeo,Christi crucem modò designat,quæ sicut Torcular vino, ita redemptoris nostri sanguine vndique madefacta conspicitur.
O magnificentissimam vineæ Dei plantationem,Sepe,Turri,& Torculari optimè instructam.Sed adhùc longè magnificentiora audite. In fide Christi,qui mysticus Dei Agnus pro nostris erratis occisus est ab Origine mundi,fundata est hæc Ecclesię vinea, in Charitate habet radices, defossa est sarculo disciplinę,pœnitentium lachrymis quasi stercore oblita,prędicantium verbis irrigata,suauique vino,in quo summa lætitia est, & nulla libido,omni ex parte exuberat, quod sanè vinum,vitæ odorem, saporem gratiæ,indulgentiæ gustum, innocentiæ iucunditatem, & perpetui amoris suauitatem habens, lætificat hominum corda,& Angelorum, illud cùm lætitia bibentium,aut hic ex gratia in Ecclesia militante,
aut

aut ibi ex gloria in ecclesia Triumphante; ex hac autem ratione factum esse arbitror, vt tribus, & illis quidem pulcherrimis nominibus, in scripturis sanctis, Dei vinea appelletur, nimirum vinea Sabama, vinea Soreth, vinea Engaddi; Sabama enim interpretatur excelsa, Soreth electa, & Engaddi fons, seu tentationis oculus: & certè Ecclesia Dei excelsa est, ob diuinorum mysteriorum sublimitatem, quæ in ea quotidie contemplamur, electa est ob singularem Christi amorem, quo illam ita dilexit, vt pro ea semetipsum tradiderit, fons denique est omnium gratiarum, & tentationis oculus, ob varias & innumeras afflictiones, quibus à Tyrannis, & Hæreticis, semper affligitur. Audite domini, *Plorabo in fletu Jazer, & vineam Sabama*, ita legimus Isaiæ capite decimosexto; *Dominus plantauit vineam Soreth*, ita inquit Isaias capite quinto, *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi*, ita habetur Canticorum capite primo: Et si vites in vinea circa radicem aperiuntur, deinde putantur, mox scinduntur, postea palis adiunguntur, adhùc ipsarum pampini decerpuntur, & demum fructus vuarum, vinumque ferunt; nonnè in Ecclesiæ vinea Christi fideles, qui sunt aut Christi primariæ vitis palmites, aut vites particulares, nonnè inquàm circa cordis radicem per contritionem aperiuntur? per confessionem putantur? ex Dei timore scinduntur? Crucis palo adiunguntur? superfluis diuitiarum Pampinis denudantur? & fructus bonorum operum ferunt? At impii Gentium, ac Iudæorum populi, quibus tanquam colonis Deus Optimus Maximus vineam suam locauit, ipsi plantatori fructum temporibus suis non solum non reddiderunt, verùm etiam omnes eius seruos, & vnigenitum filium, ceciderunt, lapidarunt, occiderunt; quare vineam non custodientes, à summo illo agricola malè perditi, Idololatriæque sordibus prorsus denigrati, in variis Dæmonis vineis sese posuerunt custodes; ex qua re factum est, vt plebs gentium hic modò fateatur, se vineam suam non custodisse, quòd pluribus in vineis custos à filiis matris suæ posita fuerit, de qua re iure quidem optimo ipsemet plantator Deus quærebatur Deuteronomii capite trigesimosecundo, inquiens, *Vua eorum, vua fellis, & botrus amarissimus, fel Draconum vinum eorum, & venenum insanabile*, quod etiam fecit in Psalmo septuagesimonono, cum dixit, *Vt quid destruxisti maceriam eius, & uindemiant eam omnes qui prætergrediuntur uiam? exterminauit eam Aper de Sylua, & singularis ferus depastus est eam*. Et demum idem repetit, tùm apud Isaiam capite quinto, cum ait, *Quid est quod debui ultrà facere uineæ meæ & non feci ei? expectaui ut faceret uuas, & fecit labruscas*; tùm apud Hieremiam capite secundo, dicens. *Ego plantaui te uineam electam, omne semen uerum*,

rum, quomodo ergo conuersa es mihi in prauum uinea aliena? quoniam (respondet plebs Gentium) *Filij matris meæ*, Idolorum cultores effecti; *pugnauerunt contra me*, & ob hanc caussam in eorum vineis, quæ sunt Ecclesiæ malignantium me posuerunt custodem, & vineam meam, quæ vera est Christi Ecclesia, non custodiui: Bone Deus, & quot quarumque vinearum custos plebs gentium facta est, postquàm Domini vineam custodire neglexit? innumeras quidem, & omnes Dæmoniacas vinea Dei neglecta, custodire cępit, quandoquidem verò Dei cultu ablato, & Idolorum cultrix effecta, primùm infidelium, & Idololatrarum vineam custodiuit, postea verò Hæreticorum, & Scismaticorum sectas, deinde Turcarum, & Saracenorum Synagogas, & demum Hypocritarum & Antichristi malignantium ecclesias, quæ omnes Dæmonis vineæ sunt; & quàmuis quatuor præcipuæ sint, in tot tamen, tamque varias sectas distrahuntur, vt cœli potius sydera, quàm illas enumerare vellem; verùm tamen de his, post veteres illos rerum ecclesiasticarum scriptores, Epiphanium, Irenæum, Tertullianum, Diuum Augustinum, Theodoretum, & alios, ex Neothericis quidam, vt Alphonsus de Castro, Gabriel Pratcolus, & Nicolaus Sanderus doctissimos commentarios conscripsere, vos illos per vos ipsos videatis; ego verò de hac vna re vos admonitos esse volo, eas omnes esse Dæmonis vineas, ecclesias malignantium, & noua impiorum hominum figmenta, à Deo Optimo Maximo per Angelos suos semper abolita, vt in Apocalypsi capite decimoquarto, legimus, *Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum magnum iræ Dei*. & Diui Ioannis capite decimoquinto; *Mittetur foras, & arescet, & in ignem mittet, & ardet*, & Diui Lucæ capite decimotertio, *Succide illam, vt quid enim occupat terram?* & demum Isaiæ capite quinto; *Auferam sepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, non putabitur, non fodietur, ascendent super eam vepres, & spinæ, & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem*: Vna etenim est æterni ac diuini plantatoris vinea, quæ est omnium Christi fidelium vnio, sancta scilicet Ecclesia, Catholica, & Apostolica, extra quam plebs gentium fratrum suorum impietate se esse agnoscens, in eam se introduci expostulat, dicens, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodē in vineis, vineam meam non custodiui.*



LECTIO

LECTIO XLIIII.

Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas.

HVCVSQVE Christus, & Ecclesia Regiis vestibus exornati, sub sponsi, & sponsæ similitudine in pulcherrimam huius primi Cantici scenam prodiere: nunc verò etsi eædem à Salomone Propheta inducuntur personæ; agrestibus tamen pannis indutæ sub Pastoris, & Gregis metaphora comparent, ita vt hoc Canticum Buccolicum, nunc dici possit & pastorale, sicut Epithalamicum, seu nuptiale carmen vsque modò est appellatum, atque vt ego censeo, dramatis ordo mutatur, & noua efficitur scena: quandoquidem non parua hic personarum fit mutatio, & filiabus Hierusalem discedentibus, earum loco sponsus Christus inducitur, quem licet eadem plebs gentium alloquatur, quæ in superioribus sermonibus filias Hierusalem affata est, illum tamen non amplius sicut sponsa sponsum, sed vt Pastorem grex blandè compellat, & ait: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas.* hæc autem à pastoribus, & gregibus sumpta metaphora, nequaquam aliena à Christo Rege, Reginaque Ecclesia videri debet, quòd excelsam Regiarum personarum dignitatem offendat: nam in sacris literis non solùm, sed in profanis etiam scripturis habemus, Reges gentium, Pastores quoque populorum appellatos fuisse, vt ex hoc maximè intelligeremus, eadem cura Reges suos regere populos debere, qua boni Pastores suos gubernare greges soliti sunt; nõne auditores priscis illis temporibus, omnes antiquæ legis Heroes, sanctiq; Patriarchæ, qui alicui populo præfuerunt, nonne inquam gregum pastores primò extiterunt? Iacob vir egregius, & tam præclarus Patriarcha, ex quo tot Principes & Duces prodierunt, nulla vnquam potitus est dignitate, quinimmò nec vxorem ducere illi licuit, nisi postquã perplures annos soceri sui Laban pecudum curam egit. Ioseph etiam ante quam totius Aegypti gubernator foret, primùm cùm fratribus suis ouium custos fuit: & quis vestrum non legit, aut ab aliis non audiuit, Mosem qui totius Iudaicæ gentis Dux constitutus fuit à Deo, numerosum pecudum gregem primùm per annos quadraginta pauisse? Saul quoque primus Rex Iudæorum, dum à Deo Optimo Maximo per Samuelem ad regnum Israheliticum designatur, pascebat armenta, & eo præsertim tempore, quo à Samuele vngitur in Regem super Dei hæreditatem, quærebat asinas Cis patris sui, quæ perierant. Taceo nunc, (quod vobis omnibus manifestum esse puto) Dauidẽ scilicet, ante quam

ad

ad regni fastigium conscenderet, vitam gessisse pastoritiam, & pastorem oues custodisse, & ob id in Psalmo 22. Pastoris munera, & onera perbellè describit, dicens; *In loco pascuæ collocauit me, super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit*. Verùm si à sacris historiis ad profanas descendere licet, Homerus certè Poeta omnium antiquissimus, Agamemnonem Græcorum Regem, populorum pastorem aliquando nuncupauit, vt refert Aristoteles vndecimo capite 8. libri Ethicorum, inquiens; *Siquidem Rex bonus cùm sit, eorum qui sub regno sunt, curam habet, ut benè agant, non secus atque ouium pastor, unde Homerus Agamemnonem pastorem dixit*. Darius etiam cuiusdam sui Pastoris, Obaris nuncupati, calliditate, Persarum regnum adeptus fuit, & Primislaus Bohemorum, nonne à cura gregum ad hominum cętum gubernandum assumptus fuisse legitur? Neque opus est vt Romuli, & Remi fratrum exemplum in medium nunc proponam, quippe qui sicuti prima vrbis Romæ fundamenta iecisse, illique cæterarum omnium clarissimæ monarchiæ omnium primi imperasse dicuntur, ita inter oues, & armenta à Faustulo pastore enutriti fuere: at Sophi qui postea Rex Turcarum euasit, cum puer esset, victum planè sibi suppeditabat, dum mercenarius aliorum Pastorum pecudes, & armenta custodiebat: & magnus ille Tamburlanus prœliorum fulmen, qui maximo sui corporis robore, & incredibili animi fortitudine, in tàm breui annorum, seu potius mensium spatio, totam ferè Asiam, & Barbaros gentium populos, Scythas videlicet, & Tartaros suæ ditioni subiecit, immo verò & Baiazzetum Mahometanorum Regem in prœlio vicit, expugnauit, & in aspera vincula coniecit, nonne pastor armentorum fuit, & pecorum custos? nullus profectò auditores regium sibi nomen, iure optimo vendicare potest, qui non sit etiam pastor, aut certè pastoralis artis peritus, qua pastores in suis ouibus custodiendis, ducendis, & pascendis vtuntur; Deus ipse qui Rex magnus est, & laudabilis nimis, pastoris personam quamsæpè sibi tribuere non dedignatur, vt potissimum videre est, tum apud Dauidem in Psalmo 22. de Deo inquientem; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit*: tum apud Ezechielem cap. 34. vbi de seipso ita loquitur Deus: *Quemadmodum requirit pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum, sic requiram oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerunt in die nubis, & caliginis, & educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram meam, & pascam eas in montibus Israhel*. Cum igitur Christus Ecclesiæ sponsus sit *Rex noster, & legifer noster*, vt ait Isaias cap. 33. quid mirum si a Salomone Propheta sub pastoris persona satis accommodatè inducitur?

tur? quod certè præter regiæ personæ decorem nulli videri debet, qui Christum, & gentium Plebem fidei candore dealbatam, pastoris instar, & gregis seinuicem hic compellare audit, nam regiam decet dignitatem, aut esse pastorem, aut pastoritiam saltem artem callere; ex qua ratione factum esse existimo, vt Christus Dominus noster, ore se proprio, pastorem nuncupare voluerit, Diui Ioannis cap. 10. dicens; *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas.* & D. Petrus cap. 5. suæ prioris Epistolæ, nedum pastorem, sed pastorum principem illum appellat, dicens: *Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcesibilem gloriæ coronam.* tunc enim, si quæ à Diuo Matthæo cap. 25. scribuntur, memoria retinetis, tunc inquam Dominus noster, ceu pastor bonus, *Separabit oues ab hœdis, & statuet quidem oues à dextris suis, hœdos autem à sinistris.* Et licèt non sim nescius, pastores ouium apud Aegyptios, cuiusdam ignominiæ nota, & penè profanos habitos fuisse, quo nomine Appion, vt legitur apud Iosephum Iudæum, Israhelitas appellabat, verum tamen hoc iuniores Aegyptii asseuerarunt, vtpotè qui abolitis antiquioribus illis priscorum Sacerdotum institutionibus, qui sinceram animi puritatem amplectebantur, & ex ocio, & opulentia ad delicias & illecebras prolapsi, pastores pariter aspernari cœperunt; at antiquiores Aegyptii, & pastores extulerunt, & pastoris nomen maximo prosecuti sunt honore: præterquàm quòd patres sancti, & potissimum Diuus Ambrosius, pastorem ouium interpretatur, rationis disceptatorem, doctoremque virtutis: hinc Iesus Christus Ecclesiæ suæ principem, & caput Diuum Petrum Apostolum constituens, pastoris metaphora vtitur, & quasi ouiũ, & agnorum pastorem illum efficeret, ter inquit: *Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oues meas.* Quarè plebs gentium Idololatriæ sordibus primùm denigrata, & Dæmonis concubina, mox verò in tàmdiu desiderato Christi aduentu, fidei dealbata candore, & eius sponsa in sancto baptismatis fonte iamiam effecta, hic suum sponsum non amplius vt Regem, sed vt pastorem gregis instar alloquens, ait: *Indica mihi,* ò tu pastor, *quem diligit anima mea, indica mihi ubi pascas.* ita inquiunt in hoc loco doctus Origenes, & Diuus Hieronymus sub his verbis; *Ostenditur per hæc uerba, quia sponsus etiam pastor sit, in superioribus enim didiceramus eum esse Regem, pro eo sine dubio, quòd homines regat, pastorem uerò pro eo quòd oues pascat, sponsum autem pro eo quòd habeat sponsam, quæ cum eo regnat, sicut scriptum est: Astitit Regina à dextris tuis, in uestitu deaurato.* Quibus sanè in verbis sextum ipsius sponsæ postulatum habetur, quæ suauissimo sacramentorum, ac fidei articulorum pabulo se pasci expostulat, vt in sequenti sermone ostendemus.

LECTIO XLV.

Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas.

IN his verbis ſextum ipſius Chriſti ſponſæ poſtulatum habetur, quo ſuauiſsimo ſacramentorum, ac fidei articulorum pabulo ſe paſci expoſtulat. Poſtquam enim matris ſuæ filios contra ſe dimicaſſe, & Idololatriæ æſtu, & variorum erratorum turpitudine ſe fœdaſſe conqueſta eſt, ita vt vinea ſua, quæ ſancta eſt Eccleſia, neglecta, in Dæmonum vineis cuſtos poſita fuerit: nunc ſponſi Chriſti vineam quam ſub altera parabola paſcua vocat, iterum ſibi oſtendi expoſcit, vt in eius paſcuis, floridis agris, blandisq; collibus, apud gelidos aquarum fontes, virentibus herbis, hoc eſt, ſuauiſsimo ſacramentorum, & fidei articulorum pabulo, præcipuè verò ſacroſancto corporis, & ſanguinis eius nutrimento paſcatur; nam *Caro eius verè eſt cibus, & ſanguis eius verè eſt potus*, vt dicitur Diui Ioannis cap. 6. audite obſecro, quid ipſe dicat. O paſtor, *Quem diligit anima mea, indica mihi vbi paſcas.* Quamquam enim vineam meam, ſeu potius tuam, hucuſque neglexi, & extra florida Eccleſiæ tuæ prata, per incertos Idololatrarum, ac Dæmoniorum agros, gregis inſtar errantis, huc, & illuc vagata ſum, modò tamen, tot ſcelerum meorum dolore affecta, & afflicta, ad tuam ò bone paſtor, opem concurro, tuum peto præſidium, meiſque viribus diffidens, humilis in tuam fidem miſericordiamque confugio; tu igitur ò pientiſsime paſtor, *indica mihi vbi paſcas*, ne iterum atque iterum *vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum*, hoc eſt, poſt nefarias infidelium & hæreticorum ſectas, qui cubare neſcientes in meridie, cum viridantia nemora, & opaca ad meridianum æſtum fugiendum non inueniant, me ſolis ardore iterum denigratam, omni turpitudine fœdent: etenim boni paſtoris munus eſt, & optima ouibus paſcua, & viridantia nemora ad requiem in æſtu meridiano ſuſcipiendam inuenire: Ita libet auditores, huiuſmodi plebis gentium verba, vnà cum Origene, Diuo Hieronymo, Beda Venerabili, Diuo Bernardo, Diuo Thoma, Haymone, & Iacobo Valentino interpretari; ita namque explicata, & cum dictis, & cum dicendis mirificè quadrant. Ita interpretatur Origenes; *Annuncia mihi ò paſtor, quem dilexit anima mea, ubi paſcis, ubi cubas in meridie, niſi enim tu mihi annunciaueris, incipio errabunda uagari, & dum te quæro, in aliorum greges incurro, & ad alios vſque perueniens, incipiam forſitan & eos amare, quos neſcio.* Ita explicat Diuus Hieronymus: *Adhuc ſponſa loquitur, ſed ad ſponſum, & non iam ad filias Hieruſalem, & expoſcit ab*

ipſo

ipso sponso, vt ei locum secreti sui indicet, & quietis, quandoquidem amoris impatiens, etiam per meridiem cupit audire sponsum, eo præcipuè tempore, quo clarior lux, & splendor diei perfectus est, ut assistat ei oues pascenti, uel refrigeranti, ne fortè si non fuerit itineris huius edocta, incurrat in greges sodalium sponsi. Ita exponit Beda Venerabilis: *Quia multifaria aduersantium persecutio, instar meridiani æstus, me afficit, obsecro, ut declares mihi ò redemptor, & protector meus, quibus in locis eos inuenire queam, qui tuæ sint præsentiæ gratia refecti, & quæ sint ex omnibus dogmata, quæ euangelicæ tuæ concinant ueritati, ne te diutius differente subsidium, errantium, hoc est, hæreticorum fortasse conuenticula incurram*. Ita explanat Diuus Bernardus: *Postulat sponsa sibi indicari ubi Christus sponsus pascat, & cubet sub meridiano persecutionum feruore, nec enim tutum arbitratur longè agere gregem à summo pastore Christo, ob incursiones luporum, & eorum maximè qui ueniunt ad nos in uestimentis ouium*.

Quamquam Diuus Bernardus in sermone sequenti qui est 33. super Cãtica, interpretatur etiam per loca pascuæ, in quibus sponsa, ceu grex à Christo pastore se pasci implorat, interpretatur inquam Ecclesiam triũphantem, vbi virentibus diuinæ gloriæ herbis, quinimmo floribus, & fructibus, beati illi spiritus perpetuò pascuntur à Deo: ita inquiunt Diuus Thomas, & doctus Haymon: *Vox Ecclesiæ est, ad sponsum suum Christum ita loquentis, ò sponse quem diligit anima mea, id est, quem tota mentis intentione diligo, indica mihi ubi pascas oues tuas, & ubi cubes in meridie, hoc est, in feruore persecutionis, uel tentationis*. Ita demum ait Iacobus Valentinus: *Petit ista peregrina, id est, plebs gentium, simul pasci cum sponsa Christi Ecclesia, & protegi sub umbra sponsi Christi ueri pastoris*. & quoniam in Christi aduentu plebs Israhelitica venit ad Christum tanquam sponsa, quæ diù antea fuerat ipsi per fidem desponsata, ideo introducitur à Salomone tanquam sponsa; at plebs gentium quoniam venit ad Christum, tanquàm ouis perdita, & peregrina, ideo mutato stylo, inducitur tanquã Christi grex, qui cum pastore Christo verba faciat, & sacramentorum, & Spiritus sancti gratiarum pabulo se pasci flagitet, atque protegi sub umbra eius, vnà cum plebe Israhelitica, in meridie, id est in ardore Solis, & in æstu huius mundi, nè tanquam ouis perdita vagari incipiat, post greges Idolorum, & post deos gentium, qui dii, & Christi sodales apud gentes existimantur. Quamobrem omnes hi patres, quorum nunc interpretationes recensui, eodem ferè modò hęc sponsæ Christi verba explanant, & in hoc duntaxat diuersa sentire videntur, quòd vna ex parte solus episcopus Christopolitanus per Christi sponsam seu gregem, pastorem suum hic compellantem, solam gentium plebem intelligit, Christi fidei lumine in eius aduentu illustratam, ex

altera

altera verò parte, reliqui omnes patres primitiuam, vt aiunt Ecclesiam tùm ex gentibus, tùm ex Iudæis congregatam accipiunt: Ego verò priorem Iacobi Valentini explicationem veriorem existimo, vtpotè quæ cum dictis, & dicendis congruentius quadrare videtur: eam namque puellam, quæ delictorum ardore Idololatriæque sordibus denigratam se esse conquesta est, quòd filii matris suę in illam sic dimicarint, vt propria vinea, quæ est Christi Ecclesia, neglecta, in pluribus Idolorum ac Dæmonum vineis custodem eam posuerint, gentium tantum plebem fuisse ostendimus: at in his verbis quæ nunc explicamus, petitur à sponsa, vt sponsus sua illi pascua indicet, ne iterum post greges sodalium ipsius sponsi, qui sunt filii matris suæ, vagari incipiat, & ait. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas.* Præterquàm quòd, si sponsa sponsum pastorem alloquens, tota esset Ecclesia Dei, cùm ex Gẽtibus, tũ ex Iudęis congregata, hoc est, tùm ex incipientibus, & perfectis, tùm ex ouibus, & pastoribus: qui fieri posset, vt hæc Christi fidelium vnio, in qua veluti in monte domini, totius doctrinæ, sapientiæque diuinæ altitudo reperitur, Christi pascua se ignorare hic fateretur, eaque à sponso pastorum principe sibi indicari flagitaret, sicut verè, gregis instar errantis, hoc flagitat, & fatetur: Etenim vt scribit Apostolus Ephesiorum cap. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, & alios Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Qui igitur Ecclesiæ prælati sunt, & sapientes esse debent, & Christi pascuorum conscii, horum inscii, & ignari erunt? Neque hi Canticorum plures interpretes, suam plenè tutari possunt explicationem, si dicant totius ecclesiæ verba hæc esse: at priora sub prælatorum pastorumque persona enunciari, nempè: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, vbi cubes in meridie*, posteriora verò, sub ouium, subiectorumque persona proferri, nimirum, *nè uagari incipiam post greges sodalium tuorum*, quandoquidem, gregis persona, quæ à summo Pastore Christo ipsius pascua, & vmbracula sibi præmonstrari exposcit, inquiens. *Indica mihi, etc.* eadem etiam huiusce postulationis causam reddens ait. *Ne uagari incipiam, &c.* Quapropter si hanc tot patrum interpretationem omni ex parte, aut satis aptè tueri non possumus, recentiorum etiam quorundam explicatio nihilò secius est reiicienda, quippe qui putant sponsam hic loquentem cum Christo, Ecclesiam esse sub prælatorum tantùm, pastorumque persona, quæ spiritu sancto admonente graues persecutiones præuidens, & difficultates insuperabiles, quas in curando Christi grege, tùm à Iudæis, tùm ab Ethnicis sit passura, tantisque malis superan-

Q dis,


dis, se longè imparem agnoscens, & ob id sibi, ac suo gregi timens, sponsi opem tanquam pastorum omnium principis tempestiuè implorat, vt amęna loca, & opaca vbi ipse pastor prouidentissimus in meridie, cùm maximus feruet diei æstus, gregem suum salubriter pascit, & tutum à Solis ardoribus accubare facit, antequàm se in cœlum recipiat sibi ostendat, nè vagari incipiat post greges sodalium eius, hoc est post nefarias sectas, & falsa dogmata Pseudoprophetarum, & Pseudochristorum, qui Sodales Christi dicuntur, quòd aliquando Christum professi fuerint; Hæc inquàm recentiorum interpretatio non est approbanda, tùm quòd persona quæ loquitur non pastor est, sed grex, à pastore Christo se pasci expostulans, neque enim pastores pascuntur, sed oues, tùm quòd pastores, & episcopi qui gregis, & ouium curam à Christo pastorum principe, adhùc in terris viuente susceperant, quibus, & præsertim Diuo Petro inquit, Diui Ioannis cap. 21. *Pasce agnos, et oues meas:* rationem quoque pascendi gregem, & quæ sint optima pascua, & qui irrigui aquarum fontes, ab ipsomet Christo antequam se in cœlum reciperet, iàm didicerant, cùm D. Ioannis cap. 10. dixit. *Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliundè, ille fur est, & latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.* Quinimmò rem manifestius declarans, inquit: *Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium, omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones, ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet:* Præterquàm quòd oues, non pastores vagari dicuntur post alienos greges: at persona quæ hic loquitur, flagitat se pasci à Christo, eiusdemque pascua sibi indicari, nè instar ouis errantis vagari incipiat post greges sodalium eius; quare non sub prælatorum tantum, & pastorum persona, ecclesia Dei hic Christum alloquitur, vt volunt iuniores interpretes, neque ecclesia primitiua ex omnibus Christi fidelibus, cùm ex gentibus, tùm ex Iudæis, cùm ex prælatis, tùm ex subiectis congregata, vt aliis ferè omnibus interpretibus placet, sed plebs gentiũ tantũ, vt Iacobus Valentinus eruditè exponit, seu nouellus, & tener Christi grex, pastorem principem Christum hic affatur, & postquàm fidei candore in sacrosancta Baptismatis Aqua, iàmiàm dealbata est, vtpote quæ Idololatriæ, ac delictorum sordibus nigra erat, nunc sub pulcherrima Christi pascuorum metaphora; suaui, cæterorum sacramentorum, articulorumque fidei pabulo, se pasci expostulat dicens. *Indica mihi etc.* Huic autem Iacobi Valentini explicationi vir doctissimus Hugo Cardinalis aliquantulum assentiri videtur, inquit enim, si legamus ita: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascat, ubi cubet in meridie,*

esse

esse vocem ecclesię incipientis de gẽtibus ad primitiuam ecclesiam, de iudęis à qua postulat sibi indicari vbi Christus sponsus, quẽ diligit anima eius, pascat & cubet in meridie. At si legamus in secunda persona, vt habemus in textu nostro, hoc pacto, *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, vbi cubes in meridie*, inquit hãc esse vocẽ adolescentularum, hoc est, incipientium Christi fidelium, ad sponsum Christum, & dicentiũ, ô sponse dilecte, indica nobis, vbi pascas perfectos, actiuos, & contẽplatiuos, in quib. delectaris, & quiescis, vt eis conformari possimus, hęc ille. Restat igitur vt ex his omnib. sanctorum patrum interpretationibus solius Valentini explicationem tanquàm cęteris omnibus probabiliorem, magisq; cũ dictis, & cùm dicẽdis quadrantẽ, amplectamur, & tueamur, quippe qui vt audistis, Gentium tantum plebem, & Christum, sub blanda gregis, & pastoris metaphora, hic introducit, vbi plebs gentium nouellus Christi grex, pastorem Christum ita affatur: O pastor bone imò verò ô pastorum omnium princeps optime, quem diligit anima mea, ex toto corde, & ex totis virib. meis, indica mihi, obsecro te, per misericordiã tuam, vbi pascas tuas oues, vbi eos qui in te credunt, & quib. pascuis nutrias, nè fortasse errare cogar, & illos qui sunt inimici tui, eorumque falsa dogmata sequi, & amplecti. O quàm bellè domini, & quàm venustè plebs Gentium à sponso Christo beneuolentiam captat, dùm inquit, *quem diligit anima mea:* non enim qualicunque dilectione, at præcipuo quodam, & ardenti amore Christum diligere debet, qui eius sacramentorum nutrimento se pasci desiderat: at qui fieri potest, vt Christum diligamus, nisi primò illum cognouerimus, si voluntas non fertur nisi in rẽm pręcognitam? si incognita diligere nequimus: si dilectionem antecedit cognitio? Cùm igitur plebs Gentium ex tota anima diligat Christum, vt illum quoque cognoscat necessum est, & eius vocem audiat, & sui gregis sit ouis, quod iure optimo in his verbis expostulat inquiens. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne uagari incipiam post greges etc.*

LECTIO XLVI.

Vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.



SEPTIMVM tandem, & postremum sponsæ Christi ecclesiæ postulatum in his verbis habetur, in quibus eadem plebs Gentium, gregis instar errantis, eundem pastorum principem Christum affatur, & implorat, vt sub vmbra illius recepta, aduersariorumque incommodis superatis, ibi tandem quiescat, inquit igitur: Indica mihi ô pastor bone, quem diligit anima mea, non solum vbi tuas oues pascas, hoc est, vbi eos, qui in te credunt, articulorum fidei, sacramentorum, & Euangelicæ doctrinæ alimento nutrias, verum etiam, *Vbi cubes in meridie,* quod est, vbi ecclesia tua quam militantem vocant, Spiritus sancti nube, & diuinæ gratię vmbraculis tecta, atque defensa quiescat in meridie, in æstu scilicet afflictionum, quas quotidie à filiis matris suæ patitur, vt ibi sub vmbra alarum tuarum protegar, & Idololatrię, ac delictorum æstu denigrata, talem, ac tãtum ardorem aliquando repellam: Aut etiam hoc altero pacto: O Christe pastorum princeps, *Indica mihi vbi cubes in meridie,* ostende mihi illam beatarum mentium mansionem, vbi tu cubas in meridie æternitatis ac perpetuę lucis, absq; vlla tenebrarũ caligine, vt ibi tecum beata, et perẽni tranquillitate fruar: Ita hæc verba in hoc duplici sensu interpretatur episcopus Christopolitanus, cui reliquorum ferè omnium, quos ego viderim, interpretum explicationes assentiri videntur, etsi nõ idem sentiũt, sed alii alia dicunt de sponsę persona, quę à summo pastore Christo hęc impetrare contendit, quemadmodum in pręcedenti sermone satis adnotauimus; ego verò ex his duobus sensibus, quos Iacobus Valẽtinus proponit, priorem duntaxat approbandum, & posteriorem quem D. ẽt Bernar. serm. 33. recipit, reiiciendum censeo: quandoquidem verisimile non est, vt plebs gẽtiũ quę hic Christum affatur, per tot tantaq; annorum sęcula, infidelitatis nigrore sordidata, & vix in Christi aduentu fidei candore in Baptismatis fonte dealbata, & in Ecclesiæ gremiũ recepta, protinus sine vllo bonorum operum merito, ecclesiæ Triumphantis sedẽ, vbi Christus in meridie cubat æternitatis, & ꝑpetuæ lucis sibi indicari exposcat; Neq;.n. sempiterna quiete frui cõcedit, nisi post magnos, ac diuturnos labores, neq; glorię corona præcingit nisi qui legitimè certauerit, ꝑterquã ꝙ in eodẽ sẽsu posteriora hæc verba, *Indica mihi vbi cubes, &c.* sunt accipienda

pienda, in quo priora, *Indica mihi vbi pascas*, ab omnibus ferè interpretibus exponuntur, at in illis prioribus plebs gentium, ecclesiæ militantis pascua sibi ostendi implorat, vt ibi articulorum fidei, & sacramentorum nutrimento pascatur à Christo. In his igitur posterioribus, eadem plebs Gentium, Ecclesiæ quoque militantis vmbracula, sub quibus in afflictionum meridie Christus cubat, sibi præmonstrari postulat, vt ibi cùm Christo sub vmbra Spiritus sancti, diuinarumque gratiarum, aliquando quiescat; licèt enim in Ecclesiæ potissimum triumphantis sedibus, vera quies, & sempiterna, absque vllo labore reperiatur, nec ibi standum sit, nec vigilandum super gregis Christi custodiam, sed cubante quoque pastore (vt ait Diuus Bernardus in hoc loco) Grex liberè discurrat in pascuis, & pro libito ingrediantur oues, atque egrediantur, & non sit ibi qui illas exterreat; verùntamen in huius etiam Ecclesiæ militantis mansione, etsi militiæ locus est, & laboris, aliqua laborantibus, & militantibus requie, & tranquillitate, frui conceditur, vt apud Diuum Matthæum cap. 11. ipsemet Christus nobis pollicetur; inquiens, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*: Quò loci de quiete non solum, quæ nobis seruatur in cœlo fit sermo, at de illa quoque, qua interdum delectamur in terris. Reliquum modò est, vt quid per meridiem, & quid per Christi sodales Propheta Salomon intelligere velit, explicemus: in primis autem Origenes, per meridiem diuinæ maiestatis splendorem significari arbitratur, & ait: *Non quæro ò pastor bone alia tempora, quando vespere, quando diluculo, quando in Solis occasu pascis, & cubas, illud tempus inquiro, quando in florente die, quando plena luce in tuæ maiestatis splendore versaris*. At Diuus Hieronymus per meridiem interpretatur illa cordis arcana, quibus clariorem scientiæ lucem, à verbo Dei, anima consequitur, & inquit: *Meridies tempus est, quò Sol excelsiorem circuitus sui verticem tenet, si quando ergo Sol iustitiæ Christus Ecclesiæ suæ excelsa & ardua virtutum suarum arcana manifestat, amæna illi pascua, cubiliaque meridiana ostendit, vtpotè quæ perfectiora iam quærit, & meridianum scientiæ lumen exposcit*. Adhuc Diuus Gregorius per meridiem vitiorum ardorem intelligi posse existimat, dicens. *In meridie Christus sub vmbra oues suas pascit, & cubat, quia in refrigeratione Spiritus sancti, & sibi; & ouibus suis, quasi requiem, & nutrimentum parat, per meridiem quippe ardor vitiorum exprimitur, & per vmbram spiritalis gratiæ status designatur; meridie ergo feruenti Christus in vmbra requiescit, quoniam dum in reprobis æstus vitiorum flagrat, ipse suæ sponsæ spiritum refrigerij tribuit*: Hugo verò Cardinalis per meridiem generalem, & præcipuè perfectorum Ecclesiam designari putat, in-

 quiens.

quiens. *Cœnaculum vel vmbraculum sponsi Christi meridianum, est vniuersalis Ecclesia, quod nouella Ecclesia gentium poscit sibi indicari: matutinum verò fuit Synagoga, quia tunc incipiebat lumen legis oriri, & tunc modicum luminis, & nihil ferè caloris erat, sicut vespertinum erit tunc Synagoga, quando reliquiæ Israhel saluæ fient;* ac si nouella gentium ecclesia ita dicat; Noui ò pastor bone, vbi pascas, vbi cubes, mane, & vespere, quoniam apud Synagogam, sed indica mihi, vbi pascas, & cubes in meridie. Et demum Beda venerabilis, D. Bernardus, D. Thomas, doctus Haymon, Iacobus Valentinus & aliqui ex recentioribus per meridiem, hic accipi existimant tribulationum æstum, & persecutionum feruorem, aut iram hostium Christiani nominis, à quibus tot tantaq; afflictionum genera passa est ecclesia, & quotidie patitur, quorum sanctorum Patrum interpretatio (etsi Hugonis Card. explicationem quàmmaximè approbo) mihi quoque satisfacit, quoniam Christus suas oues pascit, & inter eas cubat in meridie, dum suorum corda fidelium ne feruore tentationũm intus arescant, memoria supernę fęlicitatis reficit. Verum ad Christi sodales accedamus, per quos Origenes & D. Hieronym. designari putant, aut primarios Philosophos, vti sunt Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles: aut bonos Angelos, qui gentium, quasi pecorum custodes à Deo constituti sunt, nam cum Deus diuideret gentes, & dispergeret filios Adæ, statuit gentium terminos, iuxta numerum Angelorum Dei. Rursus Beda vener. D. Thom. & Haymon, per Christi sodales interpretantur, aut hæreticos, aut quosque falsos Christianos, & hypocritas, vt etiã censuit D. Greg. D. Bernar. & Hugo Card. Alii verò interpretes recẽtiores inquiunt, hos esse Pseudochristos, & Pseudoprophetas; & tandem episcopus Christopolitanus hos putat esse falsos gentium Deos, & Idola. Quamuis autem omnes horum interpretum expositiones, satis aptè sustineri possint, hanc tamen postremam, eò magis approbandam opinor, quò magis antecedentibus verbis hæc subsequentia sic aptari videntur; Etenim plebs gentiũ est, quæ primùm Idololatriæ sordibus denigrata, mox verò fidei dealbata candore, instar gregis errantis, à pastorum principe Christo Sacramentorum pabulo se pasci, & in afflictionum meridie, sub eius diuinæ gratiæ vmbraculis se protegi implorat, ne ipsius pascuis, & tentoriis ignoratis iterum vagari incipiat post greges sodalium Christi, hoc est post nefarias Idolorum, ac Deorum gentium sectas, quæ idola, & qui dii, à vulgari populo Christi veri Dei sodales stultè putãtur: Horum verò dolos, & mendacia, vel etiam Pseudochristorum, hęreticorum, & hypocritarum insidias, mendacem doctrinam, & venenata dogmata, nos cauere præmonuit ipsemet Christus D. Matth. c. 24. inquiens, *Videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo dicentes, ego*

sum

ſum Chriſtus,& multos ſeducent: Audituri enim eſtis prælia,& opiniones præliorum, & paulò inferiùs ſubinfert: *Si quis vobis dixerit, ecce hic eſt Chriſtus,aut illic,nolite credere, ſurgent enim Pſeudochriſti,& Pſeudopro phetæ,& dabunt ſigna magna,& prodigia,ita vt in errorem inducantur ſi fieri poteſt,etiam electi;Si ergo dixerint uobis,ecce in deſerto eſt,nolite exi-re,ecce in penetralibus,nolite credere.* Quamobrē ſi ſunt Chriſti ſodales, & Chriſti ſodales vocātur,aut ob ſolius nominis communitatem,aut ob eandem Sacramentorum communionem, aut quòd aliquando Chriſtū, eiuſq; veram fidem,& doctrinam Euangelicam,profeſsi fuerint,aut denique,vt placet D. Auguſt. in lib. quem de paſtoribus ſcripſit,Chriſti ſodales dicuntur,tanquam vnius eiuſdemque cum Chriſto conuiuii participes,latina .n. lingua,ſic dicti ſunt ſodales,quaſi ſimul edales, eò quòd ſimul edant,cum Chriſti cōuiuiū aliquando acceperint,ſed poſtea Chriſti ſodalitio relicto,impias hęreſes,nefarias ſuperſtitiones, ac dęmoniacam Antichriſti doctrinam latius diſſeminantes, varias idololatrarum, & hereticorum ſectas,quas ob maximam earum multitudinem,& diuerſitatem,in maiori numero greges propheta Salomō appellat,impiè inſtituerunt. Inquit igitur plebs gentium,ſeù grex Chriſti nouellus: ò mi paſtor bone,quem ex toto corde,ex tota mente,& ex tota anima diligo, *Indica mihi ubi paſcas,& cubes in meridie,ne uagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum*,etenim te ſolum ſequi cupio, tuam veram catholicam fidem nuper acceptam retinere, in eccleſiæ militantis paſcua introduci, ſub tuæ diuinæ gratiæ vmbraculis protegi,à tuorum Sacramentorum pabulo paſci,à te ſolo defendi, qui bonus es paſtor, qui cognoſcis oues tuas,eaſque adeò diligis,vt tuam pro illis animam dederis, cùm præſertim cæteri omnes,poſt quorum veſtigia hucuſque vagata ſum, non ſint paſtores,ſed mercenarii,imò verò lupi rapaces,qui paſcunt ſemetipſos, & non domini gregem,qui lac ouium comedunt,& earum lanis operiuntur,ita vt diſpergantur oues, & fiant in deuorationem omnium beſtiarum agri; Ita namque per os Ezechielis ca. 34. conqueritur Deus, & ait, *Væ paſtoribus Iſrahel,qui paſcebant ſemetipſos,gregem autem meum non paſcebant: Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum,& ceſſare faciam eos,vt ultra non paſcant gregem meum,& liberabo eum de ore eorum,& non erit ultrà eis in eſcam.* Tu itaque ò paſtorum Princeps optimè,indica mihi gentium plebi, Eccleſiæ tuæ militantis paſcua,& vmbracula,vbi tu paſcis,& cubas in afflictionum meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum; hoc eſt poſt nefarias tuorum meorumque aduerſariorum ſectas.

LECTIO XXXXVII.

Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in Meridie.

NVLLVM profectò nomen à magnis illis, doctisque Theologis, qui de Deo Optimo Maximo, & vnigenito eius filio Christo Domino nostro symbolicè locuti sunt, nō dicā excellentius, at conuenientius saltem ipsi attributum fuisse censeo, quàm regium, & pientissimum pastoris nomen; neque me latet, pluribus aliis, & illis quidem egregiis nominibus, in scripturis sanctis Christum appellari: nam dicitur lux, sol, stella, thesaurus, margarita, petra, lapis angularis, fundamentum, paries, porta, fons, vermis, agnus, hircus, aries, vitulus, leo, aquila, vitis, via, veritas, virtus, vita, & sapientia. Verum hoc quoque pastoris nomen egregium est, & Regiæ Christi dignitati quàmmaximè conueniens: etenim Christus lux est, quòd omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat; Sol est, quod ipse solus totius vitæ fons est & pater luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum; Stella est, non exerrantibus, at suis infixa sedibus, quòd nunquàm cecidit in culpam, aut cadere potest, immo verò nos qui cecidimus, stratos sublenat, & abiectos extollit; Thesaurus est infinitus, & à paucis inuentus, quòd suarum gratiarum diuitias bonis duntaxat creaturis, quæ rationis participes sunt impartitur. Margarita est pretiosa, quam qui inuenit homo, prę gaudio vadit, & vendit omnia quæ habet, vt emat illam; Petra est firma, quod in fide credentium corda confirmat, infideles autem excęcat, & duriores esse permittit; Lapis est angularis, quòd vtrumque Iudæorum scilicet, ac Gentium populum connectit; Fundamentum est religionis, & salutis nostræ, præter quod nemo fundamentum aliud ponere potest; Paries est, quòd ab hostium, mundi scilicet, carnis, ac dæmonis incursionibus, nos tuetur; Porta est, quòd in Ecclesiæ militantis, ac triumphantis cellaria nos introducit; Fons est aquæ viuę, quòd nos in vitam æternam conscendere facit; Vermis est, quòd in temporaria eius natiuitate seipsum exinaniuit, formā serui accipiens; Agnus est, quòd super crucis altare pro nobis omnibus seipsum obtulit immaculatum Deo, in odorem suauitatis, Hircus est, quòd etsi mundus est, & nullius errati sordibus inquinatus, secundum carnis tamen similitudinem effectus pro nobis omnibus peccatum factus est, et in ara crucis mysticus hircus offerri voluit; Aries est, quòd Christiani gregis princeps est, & totius Ecclesiæ caput; Vitulus

tulus est, quòd pro nostris sceleribus seipsum hostiam ac sacrificium prbuit; Leo est fortissimus, quòd morte deuicta, tertia die gloriosus à mor tuis resurrexit; Aquila est, quòd geminis corporis & animæ immortalitatis alis in cęlum elatus, globos omnes cœlestes, omnesque angelorum choros transcendit; Vitis est, quòd nobis, qui illius palmites sumus, diuinum gratiæ suæ humorem instillat; Via, & via certa est, quòd eos, qui illum sequuntur in paradisum ducit; Veritas est, quòd in eo nullum reperitur mendacium, nec fallere vnquam potest; Virtus est, quòd sine ipso, per quem facta sunt omnia, nihil consistere potest; Vita est, quòd mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit; Sapientia est, & sapientiæ fons irriguus, quòd ex æterni patris cor de prodiens, sua diuina mysteria mundo reuelauit; At Pastor est, & pastorum princeps optimus, quòd totius humani generis creator est, redemptor, & glorificator; Audite obsecro, quàm perbellè à sanctis patribus Christus his nominibus appelletur: Lux est Christus: D. Ioannis cap. 10. *Erat lux uera, quæ illuminat, etc.* Sol est: Malach. cap. 4. *Orietur Sol iustitiæ timentibus nomen Domini*; Stella est: Num. c. 24. *Orietur Stella ex Iacob*; Thesaurus est: Sapien. cap. 7. *Thesaurus infinitus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei*; Margarita est: D. Matth. cap. 13. *Inuenta vna pretiosa margarita abscondita in agro, uadit homo præ gaudio, & uendit omnia quæ habet, & emit agrum illum*; Petra est: prioris epistolæ ad Cor. cap. 10. *Petra autem erat Christus*; Lapis est angularis: Ephes. cap. 2. *Iam non estis hospites, &c. Ipso summo angulari lapide Christo Iesu*; Fundamentum est: prioris epistolæ ad Cor. cap. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, Christus Iesus*; Paries est: Cantic. cap. 2. *Ipse stat post parietem*; Porta est: Ioannis cap. 10. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & pascua inueniet*; Fons est: ibidem cap. 4. *Et fiet in eo fons aquæ saliens, &c.* Vermis est: vt cecinit Dauid in Psalmo 21. *Ego sum uermis, & non homo*; Agnus est: D. Ioann. cap. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; Hircus est: Leuitic. cap. 13. *Facietis & hircum unum pro peccato*; Aries est: Genes. cap. 22. *Et uidi Arietem inter uepres hærentem*; Vitulus est: Leuitic. cap. 8. *Tolle Vitulum pro peccato*; Leo est: D. Ioann. Apocalyp. cap. 5. *Vicit Leo de tribu Iuda*; Aquila est: vt inquit Abdias cap. 1. *Si exaltatus fuero ut Aquila, &c.* Vitis est: D. Ioann. cap. 15. *Ego sum uitis uera, & uos palmites*; Via est ibidem cap. 14. *Ego sum uia*; Virtus est: Roma. cap. 1. *Virtus est in salutem omni credenti*; Vita est: Colossen. cap. 3. *Vita nostra abscondita est cum Christo in gloria*; Veritas est: D. Ioann. cap. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ & ueritatis*; Sapientia est: Roma.

... *Ipse est ... sapientia patris*; & tandem Pastor est, D. ... *pastor bonus*. Et quamquam Angeli quoque, ... populorum, Pontifices maximi, Episcopi, Sacerdotes, & ...natores, immo verò Philosophi, Hæretici, Superbi homines, & Præpositi rapaces, dicam etiam Antichristus, & Dæmon appellantur pastores, vt Isaiæ capite 13. de Angelis dicitur; *Nec pastores requiescent ibi*, vt idem Propheta de Principibus populorum cap. 44. inquit: *Quid dico Ciro pastor meus es, & omnem uoluntatem meam complebis:* Vt D.Ioann. capite postremo habemus, de summo Pontifice: *Pasce agnos & oues meas*; Vt prioris epistolæ D.Petri cap. quinto legimus de Episcopis, de Sacerdotibus, & de Concionatoribus, pascite qui in vobis est gregem Dei; Vt demum Ezechielis cap.34.& Zachariæ cap.11. De reliquis omnibus qui sunt mali pastores, ita scribitur: *O pastor, & Idolum derelinquens gregem, gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius, brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.* Veruntamen, & verius, & significantius pastoris nomen, eiusque notionem Christo Domino nostro conuenire censendum est, quippe qui, non tantum pastor est, sed pastor bonus, & pastorum princeps, reliqui verò aut pastores impii sunt, & rapaces, aut mercenarii, aut saltem à Christo primario pastore illius vicem gerentes, sui gregis pastores constituti, & sunt pastores, & oues Christi, vt ait D.August. in libro de Ouibus. *Duo certè* (inquit ipse) *duo in nobis sunt consideranda: unum, quòd Christiani sumus: alterum, quòd præpositi sumus, quòd ergo præpositi sumus, inter pastores deputamur, si boni sumus, quòd autem Christiani sumus, & nos uobiscum oues sumus.* Christus igitur solus, & iure quidem optimo dicere potest: *Ego sum pastor bonus*, pastor inquàm, in creatione, pastor in redemptione, pastor in glorificatione; Tres etenim sunt Christi greges præcipui: Cœlum empyreum, Ecclesia militans, & Mundus totus, in quibus tria genera ouium reperiuntur: Aut omnes homines, tàm boni, quàm mali, tàm fideles, quàm infideles, vt in huius mundi grege: Aut fideles tantum, vt in Ecclesiæ grege: Aut Beati spiritus siue angeli sint, siue homines, vt in empyrei cœli grege, ibique triplici pabulo, naturæ scilicet, gratiæ, & gloriæ, pastore Christo nutriuntur; Audite Ezechielem prophetam, cap. 44. *In pascuis pinguibus pascuntur oues super montibus Israhel*, en beatorum spirituum grex in Empyreo cœlo, Audite Diuum Petrum cap.5. suæ prioris Epistolæ, *Pascite, qui in uobis est gregem Dei*; en Christi fidelium grex in ecclesia militanti; Audite Dauidem Prophetam in Psalmo 94. *Ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius*, en hominum, & creaturarum

omnium

omnium grex in hoc mundo,& de his tribus Christi gregibus Ezechielem cap.36.locutum fuisse arbitror, cùm dixit; *Multiplicabo eos ut gregem hominum,ut gregem sanctum,ut gregem Hierusalem:* Atque vt hinc exordiar, totus hic mundus, quem oculis cernimus, est primarius Christi grex,cuius oues sunt omnes homines, Iudæi, & Gentes, Catholici,& Hæretici,Turcæ,& Ethnici,quinimmo creaturæ omnes hic viuentes, quæ in pascuis ferè innumeris, in agris,in pratis,in vallibus,in montibus,& non solum in terris, sed in aquis etiam,& aere admirabili naturæ bonorum alimento, à pastorum principe Christo pascuntur, vt cecinit Dauid in Psalmo 144. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno:* In hoc autem mundi grege, vbi Deus ipse est pastor,& omnes homines sunt oues, aries est Imperator, custodes sunt Reges & Principes, pascua sunt agri, colles, & montes, fontes sunt flumina,lacus,& maria, fructus denique qui sunt lac,caseus, & agni,sunt hominum actiones & opera,quæ natura, & arte dictantibus efficiunt. O magnum Christi gregem,& admirabilem,illius sanè potentia dignum, quæ illum ex nihilo in temporis exordio creauit, illius summa sapientia dignum,quæ illum ita pulchrè distinxit, illius immensa bonitate dignum, quæ illum ita prudenter custodit, vt omnes ipsum admirentur, celebrent, exaltent. Ecclesia quoque militantium, Christi grex est, cuius oues, non omnes homines sunt,at fideles duntaxat, & catholici; Aries autem est summus Pontifex Christi Vicarius, custodes sunt Episcopi,pascua,& fontes sunt Sacramenta, & præcipuè sacrosanctum Eucharistiæ pabulum, vbi cibus est Christi corpus, & potus est eius sanguis,vt ipsemet D. Ioann.cap.6.asserit,dicens, *Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus.* Et quid profectò deest huic pulcherrimo Ecclesiæ militantis gregi, quod in ouium grege optimè instituto requiratur? adsunt enim hic montes qui sunt Christi præcones, & concionatores, adsunt colles, qui sunt viri sapientes, adsunt florida prata, plena liliis,quæ sunt pudicæ virgines, adsunt rubri martyrum flores,adsunt diuinarũ gratiarum fontes, dicam etiam,hic adest humilitatis terra,pietatis aqua,honestatis aer,charitatis ignis, & serenum sanctissimorum prælatorum cœlum:ita cecinit Dauid in Psalmo 23. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocauit: super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.* Cęlũ tãdem empyreum tertius Christi grex est,cuius summus pastor est Deus pater, filius,& spiritus sanctus,oues sunt omnes beati, tàm Angeli, quàm homines, Aries est Christi humanitas,custodes sunt Apostoli,& Prophetæ,pascua virentia,& fontes perẽnes sunt Nectar,& Ambrosia,hoc est Deus ipse, & [illegible] genitus eius filius Iesus Christus, vt D. Ioann. cap. 17 habe[illegible]

est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. O Christi gregem præclarum, cœlestem, diuinum, non amplius gregem, at domini domum, palatium, & regnum, vbi non oues, sed homines sumus, sed principes, & reges, sed heroes, & filii Dei, & ipse non amplius est pastor, sed dominus noster & Deus noster, vt inquit Dauid in Psalmo 22. *Vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ.* O Christe, ò Pastor bone, tu bonus es pastor in creatione, cum grege creaturarum omnium; Tu bonus es pastor in redemptione, cum grege fidelium catholicorum; Tu denique bonus es pastor, in glorificatione, cum grege beatorum spirituum: Quare optimo quidem iure, & maxima nominis sui cum gloria se bonum pastorem prædicat Iesus Christus, inquiens: *Ego sum pastor bonus.* Fuit profectò bonus ouium pastor etiam Abel, quem vt Genes. cap. 4. legimus, de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum illi offerentem respexit dominus. Bonus etiam pastor fuit Abraham, cui, vt Genes. cap. 22. dicitur, fuerunt oues, & boues, asini, asinæ, & cameli, & ob id cum plures ex suis gregibus hostias Deo Opt. Max. obtulisset, & proprium quoque filium mactare voluisset, tres angelos videre, & vnum adorare meruit; Necnon Isaac bonus pastor fuit, quinimmo pastor simul & ouis, quandoquidem patri obediens se victimam Deo offerri non recusauit, & velut aries, vt Genes. cap. 16. scribitur, ad immolandum se duci permisit, & ob hanc caussam typus est Christi admirabilis, qui seipsum obtulit Deo immaculatam hostiam; Rursus Iacob bonus pastor fuit, qui Pharaoni Aegyptiorum regi, ipsum quisnam esset interroganti, respondit: *Viri pastores sumus*, & ob id, cum patri Isaac de venatione sua obtulisset, vt comederet ipse pater, vt inquit Moses Genes. cap. 27. benedixit ei, dicens: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Bonus quoque pastor fuit Ioseph, qui cum sexdecim esset annorum, pascebat gregem, mox verò ductus in Aegyptum, populorum princeps euasit, vt scribitur in Genes. cap. 42. Et Mosem pastorem bonum extitisse non ignoramus, qui pascebat oues Ietro soceri sui, & hinc factum fuisse existimo, vt cum ex Dei præcepto populum Israheliticum agnum masculum, anniculum, & sine macula ipsi offerri iussisset, facie ad faciem Deum videre meruerit; Bonus denique pastor fuit Dauid, qui de seipso cum Saule primo Iudæorum Rege sermonem habens, inquit: *Pascebat seruus tuus patris sui gregem*; postquam autem superbum Goliath occidit, regnum Israheliticum adeptus fuit: nam vt habemus secundo libro Regum cap. secundo. *Venerunt uiri Iuda, et unxerunt Dauid, ut regnaret super domum Iuda*: Verum etsi boni pastores in scripturis sanctis, ii septem præcipuè efferuntur, de quibus fortasse Michæas

chæas

chiras cap. 5. loquitur dicens; *Et suscitabimus super eum septem pastores*, si tamen cum Christo conferantur, mercenarii potius sunt, quàm boni pastores, et si pastores sunt, ipse non pastor, sed horum septem, ac cęterorum omnium mundi pastorum est princeps, etenim, quæ diuinæ gratiæ in his septem prophetis dispersæ fuerũt, oẽs in Christo solo collectæ profluxere; & primum, non solum vt Abel Christum Deus respexit, aut illam, quam sibi omnibus gratiorem obtulit hostiam immaculatam suscepit, verum etiam propter hoc *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. vt in nomine Iesu omne genu flectatur, etc.* Philip. cap. 2. Nec solum vt Abraham tres Angelos vidit, & vnum adorauit, hoc est apertam sanctissimæ diuinarum personarum Trinitatis in vna diuinitatis essentia, reuelationem habuit, sed cum sit ipse vna ex illis tribus personis, nimirum persona filii, tùm à patre in nube candida, tùm à Spiritu sancto sub specie columbæ in ipsum descendente clarissimum suæ diuinitatis testimonium habuit D. Matth. cap. 3. & 17. Non solum vt Isaac Christus vnigeniti filii Dei typus extitit, at est ipsemet filius, qui seipsum hominem etiam obtulit Deo patri, in odorem suauitatis, Ephes. cap. 5. Non solum vt Iacob primariam patris, vt inquiunt, benedictionem accipere meruit Christus, verum in ipso quoque benedicuntur à Deo, & benedicentur omnes gentes, Genes. ca. 22. Non solum vt Iosephus ex inuidia fratrum Aegypti Princeps, hoc est ex Iudæorum perfidia totius mundi Rex est, sed Rex regum, & Dominus dominantium, Apocalypsis cap. 19. Non solum vt Moses timoris, ac seruitutis legem, sed amoris, & libertatis Euangelium suo populo dedit, immo verò non breui temporis curriculo vidit Deum, vt Moses facie ad faciem, sed à primo suæ conceptionis momento, in virginis matris vtero, perfectè beatus, vidit semper, nouit et Deum sicuti est; *Nemo enim nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare*, D. Luc. ca. 10. Et tandem, non solum vt Dauid superbum Goliath occidit, & regnauit super domum Iuda, verum etiam mortem, mundum, et Dæmonem superauit, & constitutus hæres vniuersorum, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, vt ait Apostolus Hebræorum capite primo.

Quis igitur auditores, quis negare audeat Christum bonum, imò verò optimum esse pastorem? Bonus pastor debet esse prudens, potens, sapiens, prouidens. Prudens, vt per vias planas, & tutas gregem conducat; Potens, vt illum à luporum, & furum incursionibus tueatur; Sapiens vt pinguia pascua, & virentia seligere sciat; Prouidens, vt magnos, ex ouibus fructus percipiat; & quæ, mehercule, ex his boni pastoris virtutibus, pastori nostro desunt? Nonnè prudens est Christus, si per viam adeò tutam Christianorum gregem ducit, vt per eam deducat illum in

florida

florida prata cœlestis paradisus? Nonnè potens est in opere & sermone, si gregem suum ab omnibus aduersariorum, carnis, scilicet, mundi, ac dæmonis incursibus defendit? Nonnè sapiens est si in pinguibus Euangelicæ doctrinæ pascuis suas oues collocat? Nonnè demum prouidens est, si Apostolos sanctos & Apostolicos viros, vt Christicolarum grex augeatur, in omnes terrarum regiones destinatos misit? Tu, tu solus ò bone Iesu, bonus es pastor, nam bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, quam tu pro totius humani generis salute in ara crucis efflare voluisti: & certè, quis vnquam pastor adeò bonus, & sui gregis amator extitit, vt pro suis ab inimicorum insidiis tuendis ouibus, vitam profundere voluerit, diris flagellis cruciari, asperis spinis sibi caput præcingi, crudeli lancea dexterum sibi latus scindi, clauis crebris ictibus repercussis ligno crucis affigi, & tanta animi immanitate discerpi, dilacerari, occidi? Tu, tu solus ò bone Iesu hoc effecisti, & tu quoque, tu solus bonus es pastor; Dies me deficeret auditores, si tanti pastoris excellentiam omnib. quibus possem rationibus nunc comprobare vellem: at his paucis duntaxat vtar. Bonus pastor suas debet oues cognoscere, illasque amare, & Christus optimè suas cognouit, easq; ita amauit, vt pro illis animam suã posuerit; *Ego cognosco oues meas, & animam meam pono pro ouib. meis,* D. Ioan. cap. 10. Bonus pastor oues vt plurimum numerare, & sigillatim nominare debet, & Christus cui tantæ curę sunt Christiani gregis oues, illas non solum numerat, & nominat, at earum quoque capillos apud ipsum numerari legimus: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt,* D. Lucæ ca. 12. Bonus pastor quarumlibet ouium tàm salubrium, quàm imbecillarum misereri debet; En Christus si omnium tã improborum hominum, quàm proborum misericordia commouetur, nam *Solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, &c.* D. Matth. c. 5. Bonus pastor sæpe suas oues, vel apud irriguas fontiũ aquas, vel in florido prato, simul cubare facit, & Christus suos fideles, tùm apud perennes diuinarum gratiarum aquas, tùm in florido paradisi prato, ad perpetuam inuitat tranquillitatem, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, &c.* D. Matth. cap. 11. Bonus pastor, vt suas oues à luporum insidiantium morsu, & à furum improbissimorum rapacitate tutetur, die, noctuque vigilat, ouile custodit, baculumque pastoricium dextera manu tenens, in lupos irruit & fures, pro suisque ouibus vitam effundere non pertimescit. En Christus, qui vt à mundi lenociniis, à carnis illecebris, & à Dæmonis laqueis nos eriperet, extraheret, & dissolueret, in liguo crucis mori voluit. Bonus pastor ne vnam quidem ex suis ouibus perdat, vel etiam amittat, omni qua potest industria vtitur: & Christus nonnè inquit D. Ioan. c. 10. *Oues meæ non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam*

quam de manu mea? Bonus pastor postquam pecudes in agris satis se pauisse videt, eas reuocat in ouile vt ibi quiescent, & Christus postquam in huius mundi, & Ecclesiæ militantis pascuis, nos satis pastos fuisse cognoscit, in Ecclesiæ triumphantis ouile nos introducit, vt ibi sempiterna diuinæ gloriæ quiete fruamur. *Alias oues habeo, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor*, D.Ioan.c.10. Bonus denique pastor totum gregem aliquando reuisit, vt exoptatum ex ouibus suis fructum recipiat, & ob id oues ab hędis separans, hos velut steriles, macellario mittens, ad necem designat, illas verò fęcundas ad pascua iterum dùcit. O bone Deus, nōnè Christus pastor bonus in die illo nouissimo quādo venerit cum senioribus populi ad iudicium, nōnè inquam omnes homines ante ipsum in valle Iosaphat congregatos, separabit ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hędis? & quòd horribilius est, statuet oues quidem a dextris, hædos autem à sinistris, & his quidem dicet, *Discedite à me maledicti in ignem, &c.* Illis verò dicet, *Venite benedicti patris, &c.* ò pastor bone, ò fœlices greges, ò beata pascua; Pastor, qui non solum est pastor, & pastor bonus, sed omnium quoque pastorum princeps: Greges qui sunt, Paradisus cœlestis, Ecclesia militans, & Mundus totus: Pascua in quibus naturæ, gratiæ, & gloriæ bonis perpetuò fruimur: Verum ò rem mirādam, ipse Christus non solum est pastor, sed agnus, sed ouis, sed ostium, sed ostiarius, sed pascua, & fons aquarum viuentium: Audite: Fons est: *Si quis sitit veniat ad me & bibat.* Pascua est: *Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus*: Ostiarius est: *Qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit:* Ostium est: vt ipsemet inquit: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur:* Ouis est: *Tanquam ouis ad occisionem ductus est:* Agnus est: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit, &c.* Pastor denique est, & pastor bonus, inquiens: *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, &c.* D.Ioan.ca.10. Huic igitur omnes & singuli pastores cedant, ante hunc tanquam pastorum principem genua flectant septē illi celebres pastores Dauid, Moses, Ioseph, Iacob, Isaac, Abraham, & Abel. Hunc veneremur omnes, & colamus qui nobis tam pulchram mundi mandram fabricauit, tàm sanctum Ecclesiæ militantis ouile fundauit, & tàm diuinum cœlestis paradisus cubile præparauit. Quare plebs gentium in unum & alterum Christi ouile in mundum videlicet, & in ecclesiam militantē nuper introducta, a sponso Christo, vbi pascat, & cubet in meridie, sibi indicari implorat, vt hic naturæ, & gratiæ pabulis enutrita, in cęlestis paradisus pascuis, ęterno glorię alimēto aliquando pascatur. *Indica mihi ubi pascas, & cubes in meridie.*

LECTIO

LECTIO XLVIII.

Indica mihi ubi pascas & cubes.



VONIAM satis superque pastoris nomen atque significatum Christo Domino nostro mystica interpretatione cōuenire ostendimus, nunc ouium gregisque symbolo Christi fideles, eiusque sanctam ecclesiam significari nobis præmonstrandum est; Atque, vt hinc exordium sumam, quo nec verius, nec sublimius sumi potest, ipsemet dominus noster de suis fidelibus, & electis verba faciens, illos, non solum oues appellauit D. Ioan. cap. 10. inquiens, *Oues meæ uocem meam audiunt*, sed veluti etiam oues in vberrimis Euangelicæ doctrinæ pascuis enutriendas, Diuo Petro Apostolorum principi, antequàm in cœlum ad patrem ascendisset, eas cōmisit, ter illi dicens, D. Ioan. c. vltimo *Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oues meas*; Per oues, vt sancti patres interpretantur episcopos, & Ecclesiæ viros primarios, per agnos autem inferiores populos, & ipsis subiectos intelligens, quod D. etiam Petrus cap. 5. suæ prioris epistolæ ceu primus Christi vicarius Episcopos adhortans, ad animas eorum curæ commissas optimè custodiendas, & asseruandas, has Dei gregem, illos autem pastores, metaphoricè nuncupauit, cum dixit. *Pascite qui in uobis est gregem Dei*: & cap. 2. adhuc manifestius idem asseuerat, dicens; *Eratis sicut oues errantes, sed conuersi estis ad episcopum, & pastorem animarum uestrarum*. Præterquàm quòd in scripturis sanctis, tàm nouæ quàm veteris legis, innumera ferè loca habētur in quibus in Christum credentes eius oues mysticè nuncupantur, vt Num. cap. 27. *Ne sit populus Domini sicut oues absque pastore*; Vt Iudith. cap. 11. *Habebis omnem populum Israhel sicut oues quibus non est pastor*; Vt in Psalmo 78. *Nos autem populus tuus & oues pascuæ tuæ*; Vt Isaiæ cap. 53. *Nos autem quasi oues errauimus*; Vt Ezech. cap. 34. *Dispersæ sunt oues meæ*; Vt Zachar. cap. 13. *Percutiam pastorem, & dispergentur oues.* Vt D. Matth. cap. 15. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus, etc.* Vt D. Mar. cap. 6. *Misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentem pastorem*; Vt D. Luc. cap. 15. *Si fuerint alicui homini centum oues, et errauit una*; Vt tandem D. Ioann. cap. 10. ferè per totum caput; *Oues meæ uocem meam audiunt. Ego sum pastor bonus et cognosco, etc. Alias oues habeo, etc.* Verum ex sanctorum quoque patrum testimoniis hoc comprobatur, qui variis in locis, vt D. Cyprian. in

libro

libro de duplici martyrio ad Fortunatum, & in Epistola 96. Origenes homilia 3. super Leuit. & super Isaiam homil. 8. Gregorius Nazianzen. in oratione 6. Basilius Magnus homilia 26. de martyre Mamante, & in libro de Spiritu sancto, cap. octauo. Cyrillus Alexandrinus libro septimo in Diuum Ioannem cap. 1. & 5. D. Ioan. Chrysostom. homilia 58. super D. Ioan. cap. 10. D. Hieronym. in suis commentar. super Ezechiel. cap. 34. & super D. Matth. libro 3. cap. 18. D. Ambros. libro 7. super D. Lucam cap. 15. D. August. in tractatu 45. super D. Ioan. Diuus Gregor. Papa libro 12. Moralium cap. 10. D. Hilar. super D. Matth. cap. 18. D. Bernar. in epistola 248. Beda Venerab. super D. Ioan. cap. 10. Hugo Cardin. ibidem, & super D. Lucam cap. 15. & tandem Arnobius, & Cassiodorus super Psalm. 8. 64. & 94. Omnes inquam hi patres, pastoris, & ouium nomine Christum, & Christi fideles designari dicunt: vnum aut alterum tantum pro omnibus audite, ita inquit D. Cyrillus in locis citatis: *Pastor quidem est Christus dominus, quia oues suas, id est fideles in eum credentes scientia pascit, & doctrina, & per rectam salutis viam ducit in æternæ vitæ pascua*. Ita inquit D. Ioan. Chrisost. homilia 8. super priorem epistolam ad Corinth. scriptam cap. 3. *Ipse Christus caput est, & nos corpus; ipse fundamentum, nos ædificium; ipse vitis, nos palmites; ipse sponsus, nos sponsa; ipse via, nos viatores: Nos item templum, ille inhabitator; ipse primogenitus, & nos fratres; ipse hæres, nos cohæredes; ipse vita, nos viuentes; ipse lux, nos illuminati; ipse demum pastor est, & nos oues*. Verum duabus etiam Latinorum patrum auctoritatibus id confirmare libet. Ita inquit D. Cyprianus: *Exemplum Iesus Christus præbuit nobis, vt qui pro nostra qualicunque portione vices illius gerimus, parati simus & ipsi pro grege dominico sanguinem fundere, nisi malumus videri mercenarij quàm pastores*. Ita inquit Beda Venerab. *Hoc tenete, ouile Christi Ecclesiam Catholicam esse*. & adhuc manifestius suis in commentariis super Genesim cap. 29. ait: *Figuratè oues sunt iustorum populi, & pastores Prophetæ sunt, qui usque ad Christi aduentum Spiritu sancto mundati populum Israhel gubernabant*. Et certè, non solum homines Dei electi, vt hucusque audistis, sed Angeli quoque beati parabolicè Christi oues vocantur. Nonnè pulchram illam Domini parabolam à D. Matth. cap. 18. & à D. Luca c. 15. descriptam memoria retinetis? ita namque legimus: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonnè dimittit nonagintanouem in deserto, et uadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam?* O rem pulchram, omnes ferè patres hanc Domini parabolam explicantes, & præcipuè D. Ioan. Chrisost. super D. Matth. hom. 31. Theophilactus super D. Lucam cap. 15. D. Hieronym. super D. Matth. libro 3. D. Ambros. super D. Lucam libro 7. D. Augustin. super

Psal.8.& in libro 83.quæst.q.65.D.Greg.in suis enarrati on.Euang.homil.34.Hugo Card.super D.Luc.cap.16. & Petrus Chrysologus sermone 168.ita exponunt. Homo habens oues centum, Christus est, pastor bonus, qui in vna oue, hoc est in Adam, posuerat totum gregem generis humani, eamque inter amæna paradisi, in regione virentis pascuæ collocarat: at illa pastoris vocem oblita, lupinis vlulatibus (vt Petri Chrysologi verbis vtar) & vulneribus sauciatur. Hanc ergo solam, reliquis omnibus nonagintanouem ouibus, qui sunt Angelici spiritus, in cœlestibus montibus derelictis, quærere venit in mundum, & in vtero Virgineæ regionis eam inuenit, & humeris suis superpositam, ad reliquum gregem in cœlum reportauit: Sed quid bonos Angelos & homines electos Christi oues nuncupari dico? Apostoli quoque, omnes Christi discipuli, martyres, iusti, peccatores, Iudæi, Gentes, Hæretici, damnati etiam, ouium nomine in scripturis sanctis metaphoricè appellari solent; Audite: *Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum*.ita legimus D.Matth.cap.10.de Apostolis: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis*.ita inquit D.Marc.cap.14.de Christi discipulis: *Dedisti nos tanquam oues escarum, æstimati sumus sicut oues occisionis*.ita cecinit Dauid in Psal.43. de martyribus: *Oues meæ vocem meam audiunt*.ita habemus D.Ioan.cap.10.de iustis hominibus: *Iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ*. ita inquit Regius Propheta in Psal.73. de impiis: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israhel*.ita scribitur D.Matth.c.15.de Iudæis: *Et alias oues habeo, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor*.ita ait Christus D.Ioan.cap.10. de Gentibus: *Oues eorum fœtosæ abundantes in egressibus suis*; ita dicit Dauid in Psal.143. de hæreticis: *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos*. ita astruit idem Propheta in Psal.48.de iis qui apud inferos damnati sunt pœnis æternis. Et quamquam iusti præcipuè & electi oues appellantur, impii verò, & reprobi hædi potius, & hirci, quàm oues dicuntur, si propriè loqui velimus, hoc tamen verum esse existimo, si iusti cum impiis, & electi cum reprobis conferantur; nam si quorumlibet horum hominum cœtus, quicunque sit ille, consideretur absolutè, vt aiunt, & absque vllo respectu, nulli dubium est, iustorum non solum, at impiorum etiam congregationem ouium gregem vocari posse; etenim ouis mansuetudinis nō solum bonitatis, tolerantiæ, innocentiæ, fœlicitatis, opulentiæ, ac fœcunditatis symbolum est, ex quo iustos, & electos mysticè designat: verumetiam stultitia, socordia, pediculositas, & turpis animi fœditas, ouis simulachro significantur, vt videre est, tum apud D.Thom.in suis commentar. super Cant.cantic.cap.1.dicentem: *Oues etiam mali vocantur, non propter simplicitatem, & innocentiam, sed propter hebetudinem, & socordiam, quia*

nesciunt

nesciunt resistere praua doctrinæ, sed omnia quæ sibi imponuntur à prauis doctoribus, qui sunt hæretici, sustinent non bona patientia. tum apud Ioannem Pierium Valerianum libro 10. de sacris Aegyptiorum aliarumque gentium literis, & ob id impios quoque ac reprobos figuratè ouis præmonstrat. Quare Accius in somniis, ponit ouilem fœtum in Tarquinium Superbum septimum, & postremum Romanorum Regem, quem Brutus occidit, adeò concitatum, & tanto impetu in ipsum arietantem, vt regem solo prosternat, quod quidem Brutum indicabat Tarquinium occidentem, quem Tarquinius hebetem æquè ac pecus esse putabat, etsi pectus sapientia munitum gerebat. Sed & Fabium Maximum, quod ab ineunte ætate aliquanto hebetior videretur, quietemque, & taciturnitatem adamaret, & magnam de se torporis suspicionem apud domesticos concitasset, ouiculæ cognomento appellatum fuisse legimus; Hinc Diogenes virum quendam indoctum, at splendidè vestitum, auratam ouem nuncupauit; præterquàm quòd diuinæ etiam literæ plerisque in locis homines diuinæ institutionis expertes, & indociles, nunc oues, nunc pecora vocant, vt in Psalmo 85. *Homines, & pecora saluabis Domine.* immò verò ex Philone in libro de sacrificiis Abel, & Caïn, & ex Origene hom. secunda super Leuit. colligimus, ouium appellatione, stultitiam, & hominum stultorum cœtum significari: qua ratione factum puto, vt in sacris cum ouem Deo Optimo Maximo offerre homines admonerentur, expertes rationis motus, insipientesque cogitationes, & quæcunque per imprudentiam peccauerunt, corrigere videbantur, & fortè fortuna propter hæc humilia, & contempta ouium significata, Aegyptii oues edere dedignabantur, & pastores ouium ignominiæ cuiusdam nota deturpatos & penè profanos esse credebant, inde Iudæi, vt Exod. cap. 12. legimus, aiebant. *Abominationes Aegyptiorum*, videlicet oues, *immolabimus Domino Deo nostro*, licet huius loci interpretes, & præcipuè D. Hieronymus, & Beda venerab. Aegyptios arguant, iureque optimo reprehendant, inquientes illos oues edere dedignatos fuisse, quoniam conscientiæ simplicitatem, quàm sapientes huius sæculi quasi fatuitatem deputant, ipsi despiciebant. Verum si propriè loqui velimus, sicuti pastoris nomen, & significatum, nulli magis quàm Christo Deo, & homini symbolicè conuenit, ita ouium vocabulum, & notionem significantius ad iustos homines & electos, quàm ad cæteras omnes creaturas mysticè aptari posse censeo; quòd satis aptè ita probari potest; audite, ouis est animal placidum, & benignum, absque vlla contentione ad macellum vsque vel ad sacra se protrahi sinens, & ob id de Christo, qui totius charitatis fons est, dum ad crucis patibulum du-

ceretur, dicitur ab Isaia cap. 53. *Sicut ouis ad occisionem ductus est*. At electi placidi sunt, & omni dilectione in Deum & proximum afficiuntur, quemadmodum Apostolus Ephes. cap. quarto illos hortatur, dicens: *Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut et Deus in Christo donauit nobis*. Quare electi oues Christi sunt; Adhuc, ouis est animal innocens, & simplex: at qui simpliciores sunt & innocentiores ipsis electis? Quibus Diui Matthæi cap. 10. iubet Christus, vt *Simplices sint sicut columbæ*; Hinc illud apud D. Cyprianum sapientissimè scriptum in libro de liuore legitur: *Meminisse debemus, quo vocabulo Christus plebem suam appellet, nam oues nominat, vt innocentia Christiana ouibus æquetur, agnos vocat, vt agnorum naturæ simplicem, simplicitas mentis imitetur*. Ouis etiam animal mite est, & imbelle, ad omnes aduersariorum impetus sufferendos, & electi, mansuetudinem amplectentes, ab eo qui mitis est, & humiles corde, morum rationē suscipiunt, paratique sunt, velut oues, si sit opus, ad iugulationem trahi, vt dominum imitentur D. Matth. cap. 5. inquientem; *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. & cap. vndecimo; *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Rursus ouis est animal tanta præditum tolerantia, vt famem, frigus, & rerum omnium inopiam facilè tolerare parata sit, & electi à Christo domino nostro D. Matth. c. 5. admonentur, vt persecutionem propter iustitiam patiantur, vt sint pauperes spiritu, vt esuriāt, & sitiant, ita. n. beatī efficientur in cęlo, iuxta illud D. Lucæ c. 21. *In patiē tia vestra possidebitis animas vestras*. Præterea ouis animal est natura timidum ac tremēs, ita vt non dicam arborum & foliorum strepitum, sed ipsummet suorum pedum crepitum timeat ac reformidet; & electi à Regio Propheta in Psal. 2. iubentur *Seruire Domino in timore, & exultare ei cum tremore*, vt non solum exterorum sibi aduersantium, mundi videlicet ac dęmonis incursiones, sed domesticorum etiam, carnis nimirū & sensuum titillationes pertimescant, & horreant, cùm *Inimici hominis* vt ait Mich. c. 7. *sint domestici eius*. Ouis etiam animal est quàmmaximè fęcundum, & ob hanc caussam Iunoni regnorum & opulentiæ præsidi partuumque sospitatrici, vt Poetæ fabulantur, de qua Terentius inquit in Andria, *Iuno Lucina fer opem*; Oues cum duobus agnis alligatis sacrificabantur à matronis, quæ gemellos peperissent; & qui profectò in bonis operibus fęcundiores reperiuntur ipsis electis? quibus D. Ioan. c. 15. & posterioris epistolæ D. Petri c. 1. præcipitur, ut fructū afferant, & ita satagāt, vt per bona opera certam eorum vocationē faciant. Ouis denique animal est opulentiæ ac feracitatis indicium, quam veteres in tanto habuerunt honore, vt ex ouibus tantum opes fieri existimarent, ideoque fictum oues olim auream lanam habuisse, nam cum

Hercules

Hercules ex Africana victoria nihil præter oues asportasset, aurea mala secum detulisse dictus est: & Christi fideles cæteris omnibus hominibus feraciores sunt, atque opulentiores, de quibus primo cap. prioris epistolæ ad Cor. scriptæ, dicitur. *In omnibus iam diuites facti estis.* Sed audite adhùc quàmplures alias ouium Christi conditiones, quas ipsemet D. Ioan. cap. 10. recenset, inquiens. *Ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ; oues meæ vocem meam audiunt; sequuntur me; animam meam pono pro ouibus meis; Vitam æternam do eis; non peribunt in æternum; & non rapiet eas quisquam de manu mea:* O rem omni admiratione dignam, omnes ac singulæ hæ Christi ouium conditiones ipsis electis perbellè conueniunt: audite, nonnè Deus suos electos cognoscit, si vt ait Apostolus Rom. cap. 8. *Illos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, & vocauit, & iustificauit, & glorificauit?* Nonnè vicissim electi Christum dominum suum cognoscunt, si de illis in Psalm. 82. dicitur, *Vt cognoscant quia nomen tibi dominus, tu solus altissimus super omnem terram?* Nonnè Christi vocem audiunt electi, immò verò, & custodiunt, si illi sunt electi, & beati, qui, vt D. Lucæ, cap. 11. legimus, *audiunt verbum Dei, & custodiunt illud?* Nonnè electi Christum sequuntur si illi vocantur electi, qui Christum sequi præcipiuntur? ita legimus D. Lucæ cap. 1. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* Nonnè Christus animam suam pro suis electis posuit, si vt habetur in Apocalypsi cap. 2. *Ipse dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo?* Nonnè suis electis vitam Christus largitur æternam si cap. 2. suæ prioris epistolæ D. Ioan. inquit, *Hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, uitam æternam?* Nonnè electi perire nequeunt, si de his ait Christus D. Ioann. cap. 18. *Pater non perdidi ex eis quemquam, quos dedisti mihi?* Nonnè tandem de Christi manu electi nunquam rapiuntur, si vt ait Apostolus cap. 4. suæ prioris epistolæ ad Thessalon. *Simul omnes rapiemur cum electis, obuiam Christo in aera, & sic semper cum domino erimus?* illos enim quos semel prædestinatos Christus assumpsit, nulla vis diabolicæ tentationis, nulla humanarum afflictionum immanitas, de manu eius rapere potest. Verum quispiam vestrum fortasse dicet. Nonnè Iudas in æternum periit, & raptus est à Sathana de manu domini? vtique auditores: Verum ouis Christi non erat; etenim vt D. Augustinus in libro de ouibus scribit: Illi duntaxat, qui ad finem vsque in bono perseuerant, oues domini dicuntur, & sunt: Qui igitur post perceptam Dei gratiam de ouium Christi numero pereunt, hi certè in Dei oculis oues non sunt: Quare, nec Iudas, nec alii quamplures retro abeuntes ad ouile Christi pertinere dicendi sunt; At illi solum Christi sunt oues, qui præsciti à Deo & prædestinati conformes fieri

quiens. *Cenaculum vel vmbraculum sponsi Christi meridianum, est vniuersalis Ecclesia, quod nouella Ecclesia gentium poscit sibi indicari: matutinum verò fuit Synagoga, quia tunc incipiebat lumen legis oriri, & tunc modicum luminis, & nihil ferè caloris erat, sicut vespertinum erit tunc Synagoga, quando reliquiæ Israhel saluæ fient*; ac si nouella gentium ecclesia ita dicat; Noui ò pastor bone, vbi pascas, vbi cubes, mane, & vespere, quoniam apud Synagogam, sed indica mihi, vbi pascas, & cubes in meridie. Et demum Beda venerabilis, D. Bernardus, D. Thomas, doctus Haymon, Iacobus Valentinus & aliqui ex recentioribus per meridiem, hic accipi existimant tribulationum ęstum, & persecutionum feruorem, aut iram hostium Christiani nominis, à quibus tot tantaq; afflictionum genera passa est ecclesia, & quotidie patitur, quorum sanctorum Patrum interpretatio (etsi Hugonis Card. explicationem quàmmaximè approbo) mihi quoque satisfacit, quoniam Christus suas oues pascit, & inter eas cubat in meridie, dum suorum corda fidelium ne feruore tentationũm intus arescant, memoria supernę fęlicitatis reficit. Verum ad Christi sodales accedamus, per quos Origenes & D. Hieronym. designari putant, aut primarios Philosophos, vti sunt Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles: aut bonos Angelos, qui gentium, quasi pecorum custodes à Deo constituti sunt, nam cum Deus diuideret gentes, & dispergeret filios Adæ, statuit gentium terminos, iuxta numerum Angelorum Dei. Rursus Beda vener. D. Thom. & Haymon, per Christi sodales interpretantur, aut hæreticos, aut quosque falsos Christianos, & hypocritas, vt etiã censuit D. Greg. D. Bernar. & Hugo Card. Alii verò interpretes recẽtiores inquiunt, hos esse Pseudochristos, & Pseudoprophetas; & tandem episcopus Christopolitanus hos putat esse falsos gentium Deos, & Idola. Quamuis autem omnes horum interpretum expositiones, satis aptè sustineri possint, hanc tamen postremam, eò magis approbandam opinor, quò magis antecedentibus verbis hæc subsequentia sic aptari videntur; Etenim plebs gentiũ est, quæ primùm Idololatriæ sordibus deni grata, mox verò fidei dealbata candore, instar gregis errantis, à pastorum principe Christo Sacramentorum pabulo se pasci, & in afflictionum meridie, sub eius diuinæ gratiæ vmbraculis se protegi implorat, ne ipsius pascuis, & tentoriis ignoratis iterum vagari incipiat post greges sodalium Christi, hoc est post nefarias Idolorum, ac Deorum gentium sectas, quæ idola, & qui dii, à vulgari populo Christi veri Dei sodales stultè putãtur: Horum verò dolos, & mendacia, vel etiam Pseudochristorum, hęreticorum, & hypocritarum insidias, mendacem doctrinam, & venenata dogmata, nos cauere præmonuit ipsemet Christus D. Matth. c. 24. inquiens, *Videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo dicentes, ego*

sum

sum Christus,& multos seducent: Audituri enim estis prælia,& opiniones præliorum, & paulò inferiùs subinfert: *Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus,aut illic,nolite credere, surgent enim Pseudochristi,& Pseudopro pheta,& dabunt signa magna,& prodigia,ita vt in errorem inducantur si fieri potest,etiam electi; Si ergo dixerint uobis,ecce in deserto est,nolite exire,ecce in penetralibus,nolite credere.* Quamobrẽ si sunt Christi sodales, & Christi sodales vocãtur,aut ob solius nominis communitatem,aut ob eandem Sacramentorum communionem, aut quòd aliquando Christũ, eiusq; veram fidem,& doctrinam Euangelicam,professi fuerint,aut denique,vt placet D. August. in lib. quem de pastoribus scripsit,Christi sodales dicuntur,tanquam vnius eiusdemque cum Christo conuiuii participes,latina .n. lingua,sic dicti sunt sodales,quasi simul edales, eò quòd simul edant,cum Christi cõuiuiũ aliquando acceperint,sed postea Christi sodalitio relicto,impias hęreses,nefarias superstitiones, ac dęmoniacam Antichristi doctrinam latius disseminantes, varias idololatrarum, & hereticorum sectas,quas ob maximam earum multitudinem,& diuersitatem,in maiori numero greges propheta Salomõ appellat,impiè instituerũt. Inquit igitur plebs gentium,seù grex Christi nouellus: ò mi pastor bone,quem ex toto corde,ex tota mente,& ex tota anima diligo, *Indica mihi ubi pascas,& cubes in meridie,ne uagari incipiam post greges so dalium tuorum,* etenim te solum sequi cupio, tuam veram catholicam fidem nuper acceptam retinere, in ecclesiæ militantis pascua introduci, sub tuæ diuinæ gratiæ vmbraculis protegi,à tuorum Sacramentorum pa bulo pasci,à te solo defendi, qui bonus es pastor, qui cognoscis oues tuas,easque adeò diligis,vt tuam pro illis animam dederis, cùm præsertim cæteri omnes,post quorum vestigia hucusque vagata sum, non sint pastores,sed mercenarii,imò verò lupi rapaces,qui pascunt semetipsos, & non domini gregem,qui lac ouium comedunt,& earum lanis operiun tur,ita vt dispergantur oues, & fiant in deuorationem omnium bestiarum agri; Ita namque per os Ezechielis ca. 34. conqueritur Deus, & ait, *Væ pastoribus Israhel,qui pascebant semetipsos,gregem autem meum non pascebant: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum,& cessare faciam eos,vt ultra non pascant gregem meum,& libera bo eum de ore eorum,& non erit ultrà eis in escam.* Tu itaque ò pastorum Princeps optimè,indica mihi gentium plebi, Ecclesiæ tuæ militantis pascua,& vmbracula,vbi tu pascis,& cubas in afflictionum meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum; hoc est post nefarias tuorum meorumque aduersariorum sectas.

LECTIO XXXXVII.

Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in Meridie.

NVLLVM profectò nomen à magnis illis, doctisq; ne Theologis, qui de Deo Optimo Maximo, & vnigenito eius filio Christo Domino nostro symbolicè locuti sunt, nō dicā excellentius, at conuenientius saltem ipsi attributum fuisse censeo, quàm regium, & pientissimum pastoris nomen; neque me latet, pluribus aliis, & illis quidem egregiis nominibus in scripturis sanctis Christum appellari: nam dicitur lux, sol, stella, thesaurus, margarita, petra, lapis angularis, fundamentum, paries, porta, fons, vermis, agnus, hircus, aries, vitulus, leo, aquila, vitis, via, veritas, virtus, vita, & sapientia. Verum hoc quoque pastoris nomen egregium est, & Regiæ Christi dignitati quàmmaximè conueniens: etenim Christus lux est, quòd omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat; Sol est, quod ipse solus totius vitæ fons est & pater luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum; Stella est, non ex errantibus, at suis infixa sedibus, quòd nunquàm cecidit in culpam, aut cadere potest, immo verò nos qui cecidimus, stratos subleuat, & abiectos extollit; Thesaurus est infinitus, & à paucis inuentus, quòd suarum gratiarum diuitias bonis duntaxat creaturis, quæ rationis participes sunt impartitur. Margarita est pretiosa, quam qui inuenit homo, prę gaudio vadit, & vendit omnia quæ habet, vt emat illam; Petra est firma, quod in fide credentium corda confirmat, infideles autem excęcat, & duriores esse permittit; Lapis est angularis, quòd vtrumque Iudæorum scilicet, ac Gentium populum connectit; Fundamentum est religionis, & salutis nostræ, præter quod nemo fundamentum aliud ponere potest; Paries est, quòd ab hostium, mundi scilicet, carnis, ac dæmonis incursionibus, nos tuetur; Porta est, quòd in Ecclesiæ militantis, ac triumphantis cellaria nos introducit; Fons est aquæ viuę, quòd nos in vitam æternam conscendere facit; Vermis est, quòd in temporaria eius natiuitate seipsum exinaniuit, formā serui accipiens; Agnus est, quòd super crucis altare pro nobis omnibus seipsum obtulit immaculatum Deo, in odorem suauitatis, Hircus est, quòd etsi mundus est, & nullius errati sordibus inquinatus, secundum carnis tamen similitudinem effectus pro nobis omnibus peccatum factus est, et in ara crucis mysticus hircus offerri voluit; Aries est, quòd Christiani gregis princeps est, & totius Ecclesiæ caput; Vi-

tulus est, quòd pro nostris sceleribus seipsum hostiam ac sacrificium psę buit; Leo est fortissimus, quòd morte deuicta, tertia die gloriosus à mortuis resurrexit; Aquila est, quòd geminis corporis & animæ immortalitatis alis in cęlum elatus, globos omnes cœlestes, omnesque angelorum choros transcendit; Vitis est, quòd nobis, qui illius palmites sumus, diuinum gratiæ suæ humorem instillat; Via, & via certa est, quòd eos, qui illum sequuntur in paradisum ducit; Veritas est, quòd in eo nullum reperitur mendacium, nec fallere vnquam potest; Virtus est, quòd sine ipso, per quem facta sunt omnia, nihil consistere potest; Vita est, quòd mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit; Sapientia est, & sapientiæ fons irriguus, quòd ex æterni patris corde prodiens, sua diuina mysteria mundo reuelauit; At Pastor est, & pastorum princeps optimus, quòd totius humani generis creator est, redemptor, & glorificator; Audite obsecro, quàm perbellè à sanctis patribus Christus his nominibus appelletur: Lux est Christus: D. Ioannis cap. 10. *Erat lux uera, quæ illuminat, etc.* Sol est: Malach. cap. 4. *Orietur Sol iustitiæ timentibus nomen Domini*; Stella est: Num. c. 24. *Orietur Stella ex Iacob*; Thesaurus est: Sapien. cap. 7. *Thesaurus infinitus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei*; Margarita est: D. Matth. cap. 13. *Inuenta vna pretiosa margarita abscondita in agro, uadit homo præ gaudio, & uendit omnia quæ habet, & emit agrum illum*; Petra est: prioris epistolæ ad Cor. cap. 10. *Petra autem erat Christus*; Lapis est angularis: Ephes. cap. 2. *Iam non estis hospites, &c. Ipso summo angulari lapide Christo Iesu*; Fundamentum est: prioris epistolæ ad Cor. cap. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, Christus Iesus*; Paries est: Cantic. cap. 2. *Ipse stat post parietem*; Porta est: Ioannis cap. 10. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & pascua inueniet*; Fons est: ibidem cap. 4. *Et fiet in eo fons aquæ saliens, &c.* Vermis est; vt cecinit Dauid in Psalmo 21. *Ego sum uermis, & non homo*; Agnus est: D. Ioann. cap. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; Hircus est: Leuitic. cap. 13. *Facietis & hircum unum pro peccato*; Aries est: Genes. cap. 22. *Et uidi Arietem inter uepres hærentem*; Vitulus est: Leuitic. cap. 8. *Tolle Vitulum pro peccato*; Leo est: D. Ioann. Apocalyp. cap. 5. *Vicit Leo de tribu Iuda*; Aquila est: vt inquit Abdias cap. 1. *Si exaltatus fuero ut Aquila, &c.* Vitis est: D. Ioann. cap. 15. *Ego sum uitis uera, & uos palmites*; Via est ibidem cap. 14. *Ego sum uia*; Virtus est: Roma. cap. 1. *Virtus est in salutem omni credenti*; Vita est: Colossen. cap. 3. *Vita nostra abscondita est cum Christo in gloria*; Veritas est: D. Ioann. cap. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ & ueritatis*; Sapientia est: Roma.

cap. 1.

[illegible] *Ipse est verbum, & sapientia patris*; & tandem Pastor est, D. [illegible] *pastor bonus*. Et quamquam Angeli quoque, [illegible] populorum, Pontifices maximi, Episcopi, Sacerdotes, & [illegible]natores, immo verò Philosophi, Hæretici, Superbi homines, & Præpositi rapaces, dicam etiam Antichristus, & Dæmon appellantur pastores, vt Isaiæ capite 13. de Angelis dicitur; *Nec pastores requiescent ibi*, vt idem Propheta de Principibus populorum cap. 44. inquit: *Quid dico Ciro pastor meus es, & omnem uoluntatem meam complebis:* Vt D.Ioann. capite postremo habemus, de summo Pontifice: *Pasce agnos & oues meas*; Vt prioris epistolæ D.Petri cap. quinto legimus de Episcopis, de Sacerdotibus, & de Concionatoribus, pascite qui in vobis est gregem Dei; Vt demum Ezechielis cap.34.& Zachariæ cap.11. De reliquis omnibus qui sunt mali pastores, ita scribitur: *O pastor, & Idolum derelinquens gregem, gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius, brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.* Veruntamen, & verius, & significantius pastoris nomen, eiusque notionem Christo Domino nostro conuenire censendum est, quippe qui, non tantum pastor est, sed pastor bonus, & pastorum princeps, reliqui verò aut pastores impii sunt, & rapaces, aut mercenarii, aut saltem à Christo primario pastore illius vicem gerentes, sui gregis pastores constituti, & sunt pastores, & oues Christi, vt ait D.August. in libro de Ouibus. *Duo certè* (inquit ipse) *duo in nobis sunt consideranda: unum, quòd Christiani sumus: alterum, quòd præpositi sumus, quòd ergo præpositi sumus, inter pastores deputamur, si boni sumus, quòd autem Christiani sumus, & nos uobiscum oues sumus.* Christus igitur solus, & iure quidem optimo dicere potest: *Ego sum pastor bonus*, pastor inquàm, in creatione, pastor in redemptione, pastor in glorificatione; Tres etenim sunt Christi greges præcipui: Cœlum empyreum, Ecclesia militans, & Mundus totus, in quibus tria genera ouium reperiuntur: Aut omnes homines, tàm boni, quàm mali, tàm fideles, quàm infideles, vt in huius mundi grege: Aut fideles tantum, vt in Ecclesiæ grege: Aut Beati spiritus siue angeli sint, siue homines, vt in empyrei cœli grege, ibique triplici pabulo, naturæ scilicet, gratiæ, & gloriæ, pastore Christo nutriuntur; Audite Ezechielem prophetam, cap. 44. *In pascuis pinguibus pascuntur oues super montibus Israhel*, en beatorum spirituum grex in Empyreo cœlo. Audite Diuum Petrum cap.5. suæ prioris Epistolæ, *Pascite, qui in uobis est gregem Dei*; en Christi fidelium grex in ecclesia militanti; Audite Dauidem Prophetam in Psalmo 94. *Ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius*, en hominum, & creaturarum

omnium

omnium grex in hoc mundo,& de his tribus Christi gregibus Ezechielem cap.36.locutum fuisse arbitror, cùm dixit; *Multiplicabo eos ut gregem hominum,ut gregem sanctum,ut gregem Hierusalem:* Atque vt hinc exordiar, totus hic mundus, quem oculis cernimus, est primarius Christi grex,cuius oues sunt omnes homines, Iudæi, & Gentes, Catholici,& Hæretici,Turcæ,& Ethnici,quinimmo creaturæ omnes hic viuentes, quæ in pascuis ferè innumeris, in agris,in pratis,in vallibus,in montibus,& non solum in terris, sed in aquis etiam,& aere admirabili naturæ bonorum alimento, à pastorum principe Christo pascuntur, vt cecinit Dauid in Psalmo 144. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno:* In hoc autem mundi grege, vbi Deus ipse est pastor,& omnes homines sunt oues, aries est Imperator, custodes sunt Reges & Principes, pascua sunt agri, colles, & montes, fontes sunt flumina,lacus,& maria, fructus denique qui sunt lac,caseus, & agni,sunt hominum actiones & opera,quæ natura, & arte dictantibus efficiunt.O magnum Christi gregem,& admirabilem,illius sanè potentia dignum, quæ illum ex nihilo in temporis exordio creauit, illius summa sapientia dignum,quæ illum ita pulchrè distinxit, illius immensa bonitate dignum, quæ illum ita prudenter custodit, vt omnes ipsum admirentur, celebrent, exaltent.Ecclesia quoque militantium, Christi grex est, cuius oues, non omnes homines sunt,at fideles duntaxat, & catholici; Aries autem est summus Pontifex Christi Vicarius, custodes sunt Episcopi,pascua,& fontes sunt Sacramenta, & præcipuè sacrosanctum Eucharistiæ pabulum, vbi cibus est Christi corpus, & potus est eius sanguis,vt ipsemet D.Ioann.cap.6.asserit,dicens, *Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus.* Et quid profectò deest huic pulcherrimo Ecclesiæ militantis gregi, quod in ouium grege optimè instituto requiratur? adsunt enim hic montes qui sunt Christi præcones, & concionatores, adsunt colles, qui sunt viri sapientes, adsunt florida prata, plena liliis,quæ sunt pudicæ virgines, adsunt rubri martyrum flores,adsunt diuinarũ gratiarum fontes, dicam etiam,hic adest humilitatis terra,pietatis aqua,honestatis aer,charitatis ignis, & serenum sanctissimorum prælatorum cœlum:ita cecinit Dauid in Psalmo 23.*Dominus regit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocauit: super aquam refectionis educauit me,animam meam conuertit.*Cęlũ tãdem empyreum tertius Christi grex est,cuius summus pastor est Deus pater, filius,& spiritus sanctus,oues sunt omnes beati, tàm Angeli, quàm homines, Aries est Christi humanitas,custodes sunt Apostoli,& Prophetæ,pascua virentia,& fontes perẽnes sunt Nectar,& Ambrosia,hoc est Deus ipse,& genitus eius filius Iesus Christus, vt D. Ioann. cap. 17 hab[illegible]

charias cap. 5. loquitur dicens; *Et suscitabimus super eum septem pastores*, si tamen cum Christo conferantur, mercenarii potius sunt, quam boni pastores, et si pastores sunt, ipse non pastor, sed horum septem, ac cęterorum omnium mundi pastorum est princeps, etenim, quæ diuinæ gratiæ in his septem prophetis dispersæ fuerũt, oẽs in Christo solo collectæ profluxere; & primum, non solum vt Abel Christum Deus respexit, aut illam, quam sibi omnibus gratiorem obtulit hostiam immaculatam suscepit, verum etiam propter hoc *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. vt in nomine Iesu omne genu flectatur, etc.* Philip. cap. 2. Nec solum vt Abraham tres Angelos vidit, & vnum adorauit, hoc est apertam sanctissimæ diuinarum personarum Trinitatis in vna diuinitatis essentia, reuelationem habuit, sed cum sit ipse vna ex illis tribus personis, nimirum persona filii, tùm à patre in nube candida, tùm à Spiritu sancto sub specie columbæ in ipsum descendente clarissimum suæ diuinitatis testimonium habuit D. Matth. cap. 3. & 17. Non solum vt Isaac Christus vnigeniti filii Dei typus extitit, at est ipsemet filius, qui seipsum hominem etiam obtulit Deo patri, in odorem suauitatis, Ephes. cap. 5. Non solum vt Iacob primariam patris, vt inquiunt, benedictionem accipere meruit Christus, verum in ipso quoque benedicuntur à Deo, & benedicentur omnes gentes, Genes. ca. 22. Non solum vt Iosephus ex inuidia fratrum Aegypti Princeps, hoc est ex Iudæorum perfidia totius mundi Rex est, sed Rex regum, & Dominus dominantium, Apocalypsis cap. 19. Non solum vt Moses timoris, ac seruitutis legem, sed amoris, & libertatis Euangelium suo populo dedit, immo verò non breui temporis curriculo vidit Deum, vt Moses facie ad faciem, sed à primo suæ conceptionis momento, in virginis matris vtero, perfectè beatus, vidit semper, nouit et Deum sicuti est; *Nemo enim nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare*, D. Luc. ca. 10. Et tandem, non solum vt Dauid superbum Goliath occidit, & regnauit super domum Iuda, verum etiam mortem, mundum, et Dæmonem superauit, & constitutus hæres vniuersorum, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, vt ait Apostolus Hebræorum capite primo.

Quis igitur auditores, quis negare audeat Christum bonum, imò verò optimum esse pastorem? Bonus pastor debet esse prudens, potens, sapiens, prouidens. Prudens, vt per vias planas, & tutas gregem conducat; Potens, vt illum à luporum, & furum incursionibus tueatur; Sapiens vt pinguia pascua, & virentia seligere sciat; Prouidens, vt magnos, ex ouibus fructus percipiat; & quæ, mehercułè, ex his boni pastoris virtutibus, pastori nostro desunt? Nonnè prudens est Christus, si per viam adeò tutam Christianorum gregem ducit, vt per eam deducat illum in

florida

quam de manu mea? Bonus paſtor poſtquam pecudes in agris ſatis ſe pauiſſe videt, eas reuocat in ouile vt ibi quieſcent, & Chriſtus poſtquam in huius mundi, & Eccleſiæ militantis paſcuis, nos ſatis paſtos fuiſſe cognoſcit, in Eccleſiæ triumphantis ouile nos introducit, vt ibi ſempiterna diuinæ gloriæ quiete fruamur. *Alias oues habeo, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor,* D. Ioan. c. 10. Bonus denique paſtor totum gregem aliquando reuiſit, vt exoptatum ex ouibus ſuis fructum recipiat, & ob id oues ab hędis ſeparans, hos velut ſteriles, macellario mittens, ad necem deſignat, illas verò fęcundas ad paſcua iterum dũcit. O bone Deus, nõnè Chriſtus paſtor bonus in die illo nouiſſimo quãdo venerit cum ſenioribus populi ad iudicium, nõnè inquam omnes homines ante ipſum in valle Ioſaphat congregatos, ſeparabit ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hędis? & quòd horribilius eſt, ſtatuet oues quidem a dextris, hædos autem à ſiniſtris, & his quidem dicet, *Diſcedite à me maledicti in ignem, &c.* Illis verò dicet, *Venite benedicti patris, &c.* ò paſtor bone, ò fœlices greges, ò beata paſcua; Paſtor, qui non ſolum eſt paſtor, & paſtor bonus, ſed omnium quoque paſtorum princeps: Greges qui ſunt, Paradiſus cœleſtis, Eccleſia militans, & Mundus totus: Paſcua in quibus naturæ, gratiæ, & gloriæ bonis perpetuò fruimur: Verum ò rem mirãdam, ipſe Chriſtus non ſolum eſt paſtor, ſed agnus, ſed ouis, ſed oſtium, ſed oſtiarius, ſed paſcua, & fons aquarum viuentium: Audite: Fons eſt: *Si quis ſitit veniat ad me & bibat.* Paſcua eſt: *Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus*: Oſtiarius eſt: *Qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit*: Oſtium eſt: vt ipſemet inquit: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur*: Ouis eſt: *Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt*: Agnus eſt: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit, &c.* Paſtor denique eſt, & paſtor bonus, inquiens: *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, &c.* D. Ioan. ca. 10. Huic igitur omnes & ſinguli paſtores cedant, ante hunc tanquam paſtorum principem genua flectant ſeptẽ illi celebres paſtores Dauid, Moſes, Ioſeph, Iacob, Iſaac, Abraham, & Abel. Hunc veneremur omnes, & colamus qui nobis tam pulchram mundi mandram fabricauit, tàm ſanctum Eccleſiæ militantis ouile fundauit, & tàm diuinum cœleſtis paradiſus cubile præparauit. Quare plebs gentium in unum & alterum Chriſti ouile in mundum videlicet, & in eccleſiam militantẽ nuper introducta, a ſponſo Chriſto, vbi paſcat, & cubet in meridie, ſibi indicari implorat, vt hic naturæ, & gratiæ pabulis enutrita, in cęleſtis paradiſus paſcuis, ęterno glorię alimẽto aliquando paſcatur. *Indica mihi ubi paſcas, & cubes in meridie.*

LECTIO XLVIII.

Indica mihi vbi pascas & cubes.



QVONIAM satis superque pastoris nomen atque significatum Christo Domino nostro mystica interpretatione cõuenire ostendimus, nunc ouium gregisque symbolo Christi fideles, eiusque sanctam ecclesiam significari nobis præmonstrandum est; Atque, vt hinc exordium sumam, quo nec verius, nec sublimius sumi potest, ipsemet dominus noster de suis fidelibus, & electis verba faciens, illos, non solum oues appellauit D. Ioan. cap. 10. inquiens, *Oues meæ vocem meam audiunt*, sed veluti etiam oues in vberrimis Euangelicæ doctrinæ pascuis enutriendas, Diuo Petro Apostolorum principi, antequàm in cœlum ad patrem ascendisset, eas cõmisit, ter illi dicens, D. Ioan. c. vltimo *Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oues meas*; Per oues, vt sancti patres interpretantur episcopos, & Ecclesiæ viros primarios, per agnos autem inferiores populos, & ipsis subiectos intelligens, quod D. etiam Petrus cap. 5. suæ prioris epistolæ ceu primus Christi vicarius Episcopos adhortans, ad animas eorum curæ commissas optimè custodiendas, & asseruandas, has Dei gregem, illos autem pastores, metaphoricè nuncupauit, cum dixit. *Pascite qui in vobis est gregem Dei*: & cap. 2. adhuc manifestius idem asseuerat, dicens; *Eratis sicut oues errantes, sed conuersi estis ad episcopum, & pastorem animarum vestrarum.* Præterquàm quòd in scripturis sanctis, tàm nouæ quàm veteris legis, innumera ferè loca habētur in quibus in Christum credentes eius oues mysticè nuncupantur, vt Num. cap. 27. *Ne sit populus Domini sicut oues absque pastore*; Vt Iudith. cap. 11. *Habebis omnem populum Israhel sicut oues quibus non est pastor*; Vt in Psalmo 78. *Nos autem populus tuus & oues pascuæ tuæ*; Vt Isaiæ cap. 53. *Nos autem quasi oues errauimus*; Vt Ezech. cap. 34. *Dispersæ sunt oues meæ*; Vt Zachar. cap. 13. *Percutiam pastorem, & dispergentur oues.* Vt D. Matth. cap. 15. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus, etc.* Vt D. Mar. cap. 6. *Misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentem pastorem*; Vt D. Luc. cap. 15. *Si fuerint alicui homini centum oues, et errauit una*; Vt tandem D. Ioann. cap. 10. ferè per totum caput; *Oues meæ vocem meam audiunt. Ego sum pastor bonus et cognosco, etc. Alias oues habeo, etc.* Verum ex sanctorum quoque patrum testimoniis hoc comprobatur, qui variis in locis, vt D. Cyprian. in

libro

libro de duplici martyrio ad Fortunatum, & in Epistola 96. Origenes homilia 3. super Leuit. & super Isaiam homil. 8. Gregorius Nazianzen. in oratione 6. Basilius Magnus homilia 26. de martyre Mamante, & in libro de Spiritu sancto, cap. octauo. Cyrillus Alexandrinus libro septimo in Diuum Ioannem cap. 1. & 5. D. Ioan. Chrysostom. homilia 58. super D. Ioan. cap. 10. D. Hieronym. in suis commentar. super Ezechiel. cap. 34. & super D. Matth. libro 3. cap. 18. D. Ambros. libro 7. super D. Lucam cap. 15. D. August. in tractatu 45. super D. Ioan. Diuus Gregor. Papa libro 12. Moralium cap. 10. D. Hilar. super D. Matth. cap. 18. D. Bernar. in epistola 248. Beda Venerab. super D. Ioan. cap. 10. Hugo Cardin. ibidem, & super D. Lucam cap. 15. & tandem Arnobius, & Cassiodorus super Psalm. 8. 64. & 94. Omnes inquam hi patres, pastoris, & ouium nomine Christum, & Christi fideles designari dicunt: vnum aut alterum tantum pro omnibus audite, ita inquit D. Cyrillus in locis citatis: *Pastor quidem est Christus dominus, quia oues suas, id est fideles in eum credentes scientia pascit, & doctrina, & per rectam salutis viam ducit in æterna vitæ pascua*. Ita inquit D. Ioan. Chrisost. homilia 8. super priorem epistolam ad Corinth. scriptam cap. 3. *Ipse Christus caput est, & nos corpus; ipse fundamentum, nos ædificium; ipse vitis, nos palmites; ipse sponsus, nos sponsa; ipse via, nos viatores: Nos item templum, ille inhabitator; ipse primogenitus, & nos fratres; ipse hæres, nos cohæredes; ipse vita, nos viuentes; ipse lux, nos illuminati; ipse demum pastor est, & nos oues*. Verum duabus etiam Latinorum patrum auctoritatibus id confirmare libet. Ita inquit D. Cyprianus: *Exemplum Iesus Christus præbuit nobis, vt qui pro nostra qualicunque portione vices illius gerimus, parati simus & ipsi pro grege dominico sanguinem fundere, nisi malumus videri mercenarij quàm pastores.* Ita inquit Beda Venerab. *Hoc tenete, ouile Christi Ecclesiam Catholicam esse*. & adhuc manifestius suis in commentariis super Genesim cap. 29. ait: *Figuratè oues sunt iustorum populi, & pastores Prophetæ sunt, qui usque ad Christi aduentum Spiritu sancto mundati populum Israhel gubernabant*. Et certè, non solum homines Dei electi, vt hucusque audistis, sed Angeli quoque beati parabolicè Christi oues vocantur. Nonnè pulchram illam Domini parabolam à D. Matth. cap. 18. & à D. Luca c. 15. descriptam memoria retinetis? ita namq; legimus: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonnè dimittit nonagintanouem in deserto, et uadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam?* O rem pulchram, omnes ferè patres hanc Domini parabolam explicantes, & præcipuè D. Ioan. Chrisost. super D. Matth. hom. 31. Theophilactus super D. Lucam cap. 15. D. Hieronym. super D. Matth. libro 3. D. Ambros. super D. Lucam libro 7. D. Augustin. super

R Psal.

Psal.8.& in libro 83.quæst.q.65.D.Greg.in suis enarrati on.Euang.homil.34.Hugo Card.super D.Luc.cap.16. & Petrus Chrysologus sermone 168.ita exponunt : Homo habens oues centum, Christus est, pastor bonus, qui in vna oue, hoc est in Adam, posuerat totum gregem generis humani, eamq́ue inter amæna paradisi, in regione virentis pascuæ collocarat: at illa pastoris vocem oblita, lupinis vlulatibus (vt Petri Chrysologi verbis vtar) & vulneribus sauciatur. Hanc ergo solam, reliquis omnibus nonagintanouem ouibus, qui sunt Angelici spiritus, in cœlestibus montibus derelictis, quærere venit in mundum, & in vtero Virgineæ regionis eam inuenit, & humeris suis superpositam, ad reliquum gregem in cœlum reportauit: Sed quid bonos Angelos & homines electos Christi oues nuncupari dico? Apostoli quoque, omnes Christi discipuli, martyres, iusti, peccatores, Iudæi, Gentes, Hæretici, damnati etiam, ouium nomine in scripturis sanctis metaphoricè appellari solent; Audite: *Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum*. ita legimus D.Matth.cap. 10.de Apostolis: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis*. ita inquit D.Marc.cap.14.de Christi discipulis: *Dedisti nos tanquam oues escarum, æstimati sumus sicut oues occisionis*. ita cecinit Dauid in Psal.43. de martyribus: *Oues meæ vocem meam audiunt*. ita habemus D.Ioan.cap. 10.de iustis hominibus: *Iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ*. ita inquit Regius Propheta in Psal.73. de impiis: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israhel*. ita scribitur D.Matth.c.15.de Iudæis: *Et alias oues habeo, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor*. ita ait Christus D.Ioan.cap.10. de Gentibus: *Oues eorum fœtosæ abundantes in egressibus suis*; ita dicit Dauid in Psal.143. de hæreticis: *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos*. ita astruit idem Propheta in Psal.48.de iis qui apud inferos damnati sunt pœnis æternis. Et quamquam iusti præcipuè & electi oues appellantur, impii verò, & reprobi hædi potius, & hirci, quàm oues dicuntur, si propriè loqui velimus, hoc tamen verum esse existimo, si iusti cum impiis, & electi cum reprobis conferantur; nam si quorumlibet horum hominum cœtus, quicunque sit ille, consideretur absolutè, vt aiunt, & absque vllo respectu, nulli dubium est, iustorum non solum, at impiorum etiam cóngregationem ouium gregem vocari posse; etenim ouis mansuetudinis nō solum bonitatis, tolerantiæ, innocentiæ, fœlicitatis, opulentiæ, ac fœcunditatis symbolum est, ex quo iustos, & electos mysticè designat: verumetiam stultitia, socordia, pediculositas, & turpis animi fœditas, ouis simulachro significantur, vt videre est, tum apud D.Thom.in suis commentar. super Cant.cantic.cap.1.dicentem: *Oues etiam mali vocantur, non propter simplicitatem, & innocentiam, sed propter hebetudinem, & socordiam, quia*

nesciunt

nesciunt resistere praua doctrinæ, sed omnia quæ sibi imponuntur à prauis doctoribus, qui sunt hæretici, sustinent non bona patientia. tum apud Ioannem Pierium Valerianum libro 10. de sacris Aegyptiorum aliarumque gentium literis, & ob id impios quoque ac reprobos figuratè ouis præmonstrat. Quare Accius in somniis, ponit ouilem fœtum in Tarquinium Superbum septimum, & postremum Romanorum Regem, quem Brutus occidit, adeò concitatum, & tanto impetu in ipsum arietantem, vt regem solo prosternat, quod quidem Brutum indicabat Tarquinium occidentem, quem Tarquinius hebetem æquè ac pecus esse putabat, etsi pectus sapientia munitum gerebat. Sed & Fabium Maximum, quod ab ineunte ætate aliquanto hebetior videretur, quietemque, & taciturnitatem adamaret, & magnam de se torporis suspicionem apud domesticos concitasset, ouiculæ cognomento appellatum fuisse legimus; Hinc Diogenes virum quendam indoctum, at splendidè vestitum, auratam ouem nuncupauit; præterquàm quòd diuinæ etiam literæ plerisque in locis homines diuinæ institutionis expertes, & indociles, nunc oues, nunc pecora vocant, vt in Psalmo 85. *Homines, & pecora saluabis Domine*. immò verò ex Philone in libro de sacrificiis Abel, & Cain, & ex Origene hom. secunda super Leuit. colligimus, ouium appellatione, stultitiam, & hominum stultorum cœtum significari: qua ratione factum puto, vt in sacris cum ouem Deo Optimo Maximo offerre homines admonerentur, expertes rationis motus, insipientesque cogitationes, & quæcunque per imprudentiam peccauerunt, corrigere videbantur, & fortè fortuna propter hæc humilia, & contempta ouium significata, Aegyptii oues edere dedignabantur, & pastores ouium ignominiæ cuiusdam nota deturpatos & penè profanos esse credebant, inde Iudæi, vt Exod. cap. 12. legimus, aiebant. *Abominationes Aegyptiorum*, videlicet oues, *immolabimus Domino Deo nostro*, licet huius loci interpretes, & præcipuè D. Hieronymus, & Beda venerab. Aegyptios arguant, iureque optimo reprehendant, inquientes illos oues edere dedignatos fuisse, quoniam conscientiæ simplicitatem, quàm sapientes huius sæculi quasi fatuitatem deputant, ipsi despiciebant. Verum si propriè loqui velimus, sicuti pastoris nomen, & significatum, nulli magis quàm Christo Deo, & homini symbolicè conuenit, ita ouium vocabulum, & notionem significantius ad iustos homines & electos, quàm ad cæteras omnes creaturas mysticè aptari posse censeo; quòd satis aptè ita probari potest; audite, ouis est animal placidum, & benignum, absque vlla contentione ad macellum vsque vel ad sacra se protrahi sinens, & ob id de Christo, qui totius charitatis fons est, dum ad crucis patibulum duceretur

ceretur, dicitur ab Isaia cap. 53. *Sicut ouis ad occisionem ductus est.* At electi placidi sunt, & omni dilectione in Deum & proximum afficiuntur, quemadmodum Apostolus Ephes. cap. quarto illos hortatur, dicens: *Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut et Deus in Christo donauit nobis.* Quare electi oues Christi sunt; Adhuc, ouis est animal innocens, & simplex: at qui simpliciores sunt & innocentiores ipsis electis? Quibus Diui Matthæi cap. 10. iubet Christus, vt *Simplices sint sicut columbæ*; Hinc illud apud D. Cyprianum sapientissimè scriptum in libro de liuore legitur: *Meminisse debemus, quo vocabulo Christus plebem suam appellet, nam oues nominat, vt innocentia Christiana ouibus æquetur, agnos vocat, vt agnorum natura simplicem, simplicitas mentis imitetur.* Ouis etiam animal mite est, & imbelle, ad omnes aduersariorum impetus sufferendos, & electi, mansuetudinem amplectentes, ab eo qui mitis est, & humiles corde, morum rationẽ suscipiunt, paratique sunt, velut oues, si sit opus, ad iugulationem trahi, vt dominum imitentur D. Matth. cap. 5. inquientem; *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* & cap. vndecimo; *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Rursus ouis est animal tanta præditum tolerantia, vt famem, frigus, & rerum omnium inopiam facilè tolerare parata sit, & electi à Christo domino nostro D. Matth. c. 5. admonentur, vt persecutionem propter iustitiam patiantur, vt sint pauperes spiritu, vt esuriãt, & sitiant, ita. n. beati efficientur in cęlo, iuxta illud D. Lucæ c. 21. *In patiẽtia vestra possidebitis animas vestras.* Præterea ouis animal est natura timidum ac tremẽs, ita vt non dicam arborum & foliorum strepitum, sed ipsummet suorum pedum crepitum timeat ac reformidet; & electi à Regio Propheta in Psal. 2. iubentur *Seruire Domino in timore, & exultare ei cum tremore*, vt non solum exterorum sibi aduersantium, mundi videlicet ac dęmonis incursiones, sed domesticorum etiam, carnis nimirũ & sensuum titillationes pertimescant, & horreant, cùm *Inimici hominis* vt ait Mich. c. 7. *sint domestici eius.* Ouis etiam animal est quàmmaximè fęcundum, & ob hanc caussam Iunoni regnorum & opulentiæ præsidi partuumque sospitatrici, vt Poetæ fabulantur, de qua Terentius inquit in Andria, *Iuno Lucina fer opem*; Oues cum duobus agnis alligatis sacrificabantur à matronis, quæ gemellos peperissent; & qui profectò in bonis operibus fęcundiores reperiuntur ipsis electis? quibus D. Ioan. c. 15. & posterioris epistolæ D. Petri c. 1. præcipitur, ut fructũ afferant, & ita satagãt, vt per bona opera certam eorum vocationẽ faciant. Ouis denique animal est opulentiæ ac feracitatis indicium, quam veteres in tanto habuerunt honore, vt ex ouibus tantum opes fieri existimarent, ideoque fictum oues olim auream lanam habuisse, nam cum

Hercules

Hercules ex Africana victoria nihil præter oues asportasset, aurea mala secum detulisse dictus est: & Christi fideles cæteris omnibus hominibus feraciores sunt, atque opulentiores, de quibus primo cap. prioris epistolæ ad Cor. scriptæ, dicitur. *In omnibus iam diuites facti estis.* Sed audite adhùc quàmplures alias ouium Christi conditiones, quas ipsemet D. Ioan. cap. 10. recenset, inquiens. *Ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ; oues meæ vocem meam audiunt; sequuntur me; animam meam pono pro ouibus meis; Vitam æternam do eis; non peribunt in æternum; & non rapiet eas quisquam de manu mea:* O rem omni admiratione dignam, omnes ac singulæ hæ Christi ouium conditiones ipsis electis perbellè conueniunt: audite, nonnè Deus suos electos cognoscit, si vt ait Apostolus Rom. cap. 8. *Illos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, & vocauit, & iustificauit, & glorificauit?* Nonnè vicissim electi Christùm dominum suum cognoscunt, si de illis in Psalm. 82. dicitur, *Vt cognoscant quia nomen tibi dominus, tu solus altissimus super omnem terram?* Nonnè Christi vocem audiunt electi, immò verò, & custodiunt, si illi sunt electi, & beati, qui, vt D. Lucæ, cap. 11. legimus, *audiunt verbum Dei, & custodiunt illud?* Nonnè electi Christum sequuntur si illi vocantur electi, qui Christum sequi præcipiuntur? ita legimus D. Lucæ cap. 1. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* Nonnè Christus animam suam pro suis electis posuit, si vt habetur in Apocalypsi cap. 2. *Ipse dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo?* Nonnè suis electis vitam Christus largitur æternam si cap. 2. suæ prioris epistolæ D. Ioan. inquit, *Hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, uitam æternam?* Nonnè electi perire nequeunt, si de his ait Christus D. Ioann. cap. 18. *Pater non perdidi ex eis quemquam, quos dedisti mihi?* Nonnè tandem de Christi manu electi nunquam rapiuntur, si vt ait Apostolus cap. 4. suæ prioris epistolæ ad Thessalon. *Simul omnes rapiemur cum electis, obuiam Christo in aera, & sic semper cum domino erimus?* illos enim quos semel prædestinatos Christus assumpsit, nulla vis diabolicæ tentationis, nulla humanarum afflictionum immanitas, de manu eius rapere potest. Verum quispiam vestrum fortasse dicet. Nonnè Iudas in æternum periit, & raptus est à Sathana de manu domini? vtique auditores: Verum ouis Christi non erat; etenim vt D. Augustinus in libro de ouibus scribit: Illi duntaxat, qui ad finem vsque in bono perseuerant, oues domini dicuntur, & sunt: Qui igitur post perceptam Dei gratiam de ouium Christi numero pereunt, hi certè in Dei oculis oues non sunt: Quare, nec Iudas, nec alii quamplures retro abeuntes ad ouile Christi pertinere dicendi sunt; At illi solum Christi sunt oues, qui præsciti à Deo & prædestinati conformes fieri

imagini filii ſui, ad finem vſque in bono perſeuerarunt.

Quapropter Gentium plebs electa, vtpotè quæ de Chriſti ouium numero, ipſius fidei catholicæ, & Apoſtolicæ candore in ſacroſancto non Theothiæ, ſed Baptiſmatis fonte dealbata eſt (cum paruuli, omneſque homines, non niſi per baptiſmum de Chriſti ouibus eſſe incipiant, vt D. Auguſtinus ait in libro de Baptiſmo paruulorum cap. 27.) ſeu grex Chriſti nouellus, Euangelicæ doctrinæ, articulorum fidei, & ſacramentorum omnium paſcua, ſibi oſtendi expoſtulat, vt ibi cum ipſo paſtore, Chriſto in afflictionum meridie, commorari poſſit, ne iterum vagari incipiat poſt greges ſodalium eius, hoc eſt poſt nefarias Idololatrarum, atque hæreticorum ſectas, qui Chriſti ſodales vulgo exiſtimantur.

LECTIO XLIX.

Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum.


NON eſt auditores, vt quod in quinto præludio ſatis, ſuperque demonſtrauimus, hic iterum repetamus, nimirum hoc generale Salomonis Prophetæ canticum in decem particularia Cantica ex Iacobi Valentini ſententia diſtingui, cum decem etiam, & illa quidem auguſta myſteria de Chriſto ſponſo, & ſponſa eius Eccleſia hic explicentur; at illud equidem non prætereundum cenſeo, hoc primum peculiare canticum in duas principes partes ſecari, ſicut in eo ſponſa non ſolum Eccleſia, ſed Chriſtus etiã ſponſus ſe mutuò compellantes inducuntur; In priori etenim parte, vt hucuſque audiſtis, ſeptem diu deſiderata ſponſa flagitat, & implorat à ſponſo: in poſteriori verò, quæ hic incipit, ſponſus omnibus ſuæ ſponſæ votis aſpirans, ipſi cumulatè ſatisfacit, & inquit: *Si ignoras te ò pulch. &c.* quibus ſanè in verbis, vt omnes ferè interpretes, quos ego viderim, aſtruere videntur, eodem procedendi modo buccolico vtitur Propheta; neque dramatis ordinem mutat, aut nouam efficit ſcenam; quandoquidem eædem, quæ primo aderant, perſonæ, iiſdemque agreſtibus pannis, & paſtoriciis indutæ nunc remanent, Chriſtus ſcilicet, & Eccleſia, ſub pulcherrima paſtoris, & gregis metaphora. Ego verò, & dramatis ordinem hic mutari, & nouam effici ſcenam exiſtimo, nam etſi Chriſtus

& Ec-

& Ecclesia, iisdem pastoris videlicet, & gregis vestibus exornati, hic remanent, Ecclesia tamen, quam Christus hic affatur, non est plebs gentium tantum, quæ harum quatuor postulationum postremarum se voti compotem fieri exposcens, Christum hucusque est allocuta, vt volunt Diuus Thomas, Haymon, & Episcop. Christop. Neque est Ecclesia perfectorum, vt putant Origenes, Diuus Hieronymus, & Diuus Bernard. Neque est Ecclesia tantum Iudæorum, vt censet Lyranus: Neque tandem est Ecclesia quam primitiuam vocant, ex Iudæis scilicet obscuro loco natis, & ex gentibus congregata, vt Glossæ ordinariæ auctori, & nonnullis recentioribus placet; at tota est Ecclesia Dei, nempè omnium Christi fidelium, tam Iudæorum, quàm Gentium congregatio, cui sponsus Christus, à quo septem diu desiderata efflagitauerat, cumulatè satisfaciens, respondet, & ait; *Si ignoras te ò pulcherrima &c.* Sicuti enim sponsa, quæ in his septem postulatis à sponso Christo sibi fieri satis expostulat, non est sola Iudæorum Synagoga, non sola plebs Gentium, non Ecclesia tantum perfectorum, non demum Ecclesia primitiua, sed in prima postulatione, sola Iudæorum Synagoga æternum sponsi patrem compellauit, vt illam oris sui osculo oscularetur. In secunda verò & tertia, omnium Christi fidelium vnio sponsum Christum iam hominem factum est allocuta, vt eam post se traheret, in suaque cellaria intro duceret: in reliquis autem quatuor postulatis plebs Gentium tantum, modò filias Hierusalem, & modò Christum affari inducitur: ita verisimile est, vt non Iudæis tantum, aut tantum Gentibus, aut perfectorum dumtaxat in Christum credentium vnioni, aut Ecclesiæ solum primitiuæ, at vniuersæ Dei Ecclesiæ ex omnibus Christi fidelibus, tam Iudæis, quàm Gentibus, cùm incipientibus, tùm proficientibus, tùm etiam perfectis congregatæ, sponsus eius Christus respondens, satisfaciat; *Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres, &c.*

Et sicuti circa ipsius sponsæ personam, non omnes idem sentiunt, huius Cantici canticorum explicatores, sed alii alia dicunt, ita quid in his verbis sponsus Christus sibi velit, non parum inter se digladiantur; quidam enim recentiores interpretes arbitrantur, sponsum Christum suæ sponsæ Ecclesiæ, quod in duobus vltimis postulatis ipsa efflagitarat, hic concedere, illique indicare, qua ratione, cum in maximis difficultatibus, inops consilii, sibi inhærere videbitur, vnà cum suo grege ad se cõfugere, ac tuta peruenire posit, nimirum, vt singularis cuiusdam gregis ipsi notissimi, qui est electorum Christi fidelium cętus, vestigia obseruet, & bona imitetur exempla, ita enim si hæc obseruet, & diligenter sequatur, ad tabernacula pastorum insignium, ipsi etiam notissimorum, qui sunt Patriarchæ, & Prophetæ, seu nunc potius Apostoli, & aposto-

lici viri Ecclesiæ præsides, quorum bona exempla imitati sunt, & imitantur electi, tutò perueniet, & Christum in locis amœnis pascentem, in meridieque cubantem statim inueniet, vbi ipsa quoque suos hædos, qui sunt eius filii proximè ac recenter Christi fidem suscipientes, pascere, ac nutrire poterit, quos alioqui lasciuientes, & meridiani æstus, hoc est acerbissimarum afflictionum impatientes, cum reliquo suo grege continere nequit. Ait igitur Christus: *Si ignoras te ò pulcherrima, &c.*

Ac si dicat, si quando inter miserias, & rerum omnium difficultates perplexa, & inops consilii hærebis ò formosissima mea sponsa Ecclesia, obserua maiorum tuorum fidem, & patientiam, quæque illi reliquerunt impressa vestigia, quæ sunt heroica facta, præcipuè fortitudinis, & constantiæ exempla, tibi, tuoque gregi imitanda, tu quoque talibus ingredere pedibus, illorum ferè vestigia, & hanc cum grege tuo perpetuam tene viam, vt tandem ad mea, meorumque pastorum tabernacula peruenias, & tuos hædos, tuos inquam filios tibi recens natos, quin & ætate prouectos, & iudicio pueros, hædorum instar lasciuientes, & auribus prurientes, & voluptatum cupidos, vera legis Euangelicæ, atque Mosaicæ doctrina optimè pascas. Huic autem recentiorum interpretationi plurimum fauere videtur Iacob. Valent. inquiens: Christus pastor hic annuit petitionibus huius peregrinæ, & sponsæ petentis pasci, & in meridie sub vmbra eius quiescere; annuens ergò Christus sponsus, & pastor petitioni huius peregrinę, inquit, ò plebs Gentium, tu quereris, quod nigra es & fusca, propter æstum idololatriæ, cum filii matris tuæ in alienis vineis, ac dæmoniacis, te custodem posuerint, & ob id in Baptismatis fonte sacrosanctæ fidei candore te dealbari postulas, & cum plebe Israhelitica iam olim mihi desponsata vniri, imo verò petis etiam pasci meorum omnium sacramentorum pabulo, & sub vmbra alarum mearum protegi, ac defendi, ne incipias iterum vagari post nefarias idolorum, ac dęmonum sectas; Quamobrem dico tibi, si pro quia, ignoras te, seu potius hucusque te ignorasti, non agnoscens creatorem tuum, vnum, verumque Deum, sed idololatra varios Deos, & falsos impiè coluisti, ideò egredere, ab idololatriæ finibus, à nefariis idolorum superstitionibus, à falso deorum, & dæmonum cultu, & abi post vestigia gregum, meorum scilicet fidelium, & pasce hędos, id est filios tuos in Ecclesiæ meæ pascuis iuxta tabernacula pastorum, qui sunt Prophetæ & Apostoli, quos in Ecclesia mea pastores posui, & animarum custodes. Nonnulli autem vt Gilbertus Genebr. putant hic sponsum Christum ecclesiam sponsam docere, vbi tempore perturbato & difficili, vera sit Christi sedes, nempè in ouium & pastorum, hoc est ecclesiarum & episcoporum perenni successione: contra verò synago-

gas

gas Sathanæ indicare, non posse suorum ordinem pastorum, neq; suum per successiones decursum ab initio. Alii verò, vt Diuus Bernardus sermone 38. super Cantica, putant sponsum Christum in his verbis nimium suæ sponsę Ecclesiæ ardorem reprimere, quod seipsam minimè cognoscens, tantæ se existimarit idoneam visioni, vt locum habitationis gloriæ Dei sibi indicari voluerit, inquiens: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*, quandoquidem præ sui desiderii excessu non cogitabat se adhùc esse in corpore, & nullum in hoc corpore mortali manentem, ad illam supernam claritatem accedere posse: quapropter sponsus in his verbis sponsam sui ipsius, suæque infirmitatis ignorantia conuincit, & de impudentia carpit, non tanquam sponsus, vt D. Bernar. vtar verbis, sed tanquam magister, non quasi iratus, sed vt ipsa territa purgaretur, & purgata idonea redderetur huic tantæ cui inhiat visioni; ac si dicat ò sponsa, etsi pulchra es inter mulieres, inter animas scilicet carnales, ac sęculares, nihil in se virile habentes, nihil forte, aut constans in suis actibus demonstrantes, sed totum remissum, totumque fœmineum, & molle, nimia tamen adhùc inter has fœminas, non inter angelicas mentes habitans, nimia inquàm videre petis, videlicet meridianam illam lucem, vbi habito ego à dextris Dei: at quando fueris tota pulchra & formosa, tunc videbis me sicuti sum, nam si te plenius nosceres, scires vtique corpore quod corrumpitur aggrauatam, te non posse attollere oculos, illosque figere in illum fulgorem, in quem prospicere Angeli concupiscunt. Si igitur ò pulcherrima inter mulieres ignoras teipsam, vt talia, tantaque postules, quæ tibi in hoc corpore manenti, haud conuenire possunt, egredere de Ecclesiæ meæ pascuis, & abi post vestigia gregum, hoc est iumentorum, & bestiarum, & pasce hædos tuos, tuos inquam filios superbos, & lasciuos, iuxta tabernacula dæmonum, nam statuam quidem hædos à sinistris, illisque dicam, *Discedite à me maledicti, &c.* Nonnulli præterea vt D. Gregorius, Beda venerab. Hugo Card. D. Thomas, & doctus Haymon existimant pastorem Christum ecclesiæ suæ gregem redarguere, quòd nimio persecutionum feruore nigra effecta, vehementer se affligi conqueratur, nesciens, à suo se pastore Christo in tentatione non posse vllo pacto deseri; Audite: ita inquit D. Gregorius: *Si ignoras te ò sponsa in modo sufferendi tot perturbationes, quibus affligeris, egredere, nam si quis nesciat se in hoc positum esse, vt tentationes per tolerantiam vincat, à familiaritate Christi recedit, vtpotè in bello positus, cum domino suo pugnare recusat, ita nos admonente. Beati eritis cum maledixerint uobis homines, et persecuti uos fuerint, etc. Egredere, & abi post uestigia gregum, hoc est exi à me, & sequere impios, quos stultitia similes brutis effecit, & pasce*
immun-

mundarum cogitationum tuarum hædos lasciuos iuxta hæreticorum conuenticula. Ita inquit Beda venerabilis; *O sponsa, quam ego ipse per lauacrum regenerationis, iam pulchram inter aliorum dogmatum Synagogas, ac cæteras omnium hominum congregationes esse donaui, si fortè ignoras & non reminisceris te à me non posse in tentationibus vllo pacto deseri, teque in vinea nostra ab hostibus custodienda nimio persecutionum feruore, quasi meridiani Solis æstu denigratam esse quereris, egredere à meo consortio, & abi post vestigia gregum, id est errantium actus imitare, & pasce hædos tuos, idest perditos auditores, qui sunt in iudicio, cum hædis ad sinistram ponendi, iuxta tabernacula pastorum*, hoc est, *iuxta insipientium magistrorum doctrinam*: Ita inquit Hugo Cardinalis; *Sponsus Christus hic sponsam ecclesiam de tribulationibus, quas ab hostibus patitur, trepidantem, benigna increpatione redarguit, dicens: Si ignoras te ò pulchra super omnes congregationes infirmorum vitijs, & dæmonibus se prostituentium, & te inquàm per tribulationes pulchriorem fieri debere, non reminiscens, neminem coronari, nisi qui legitimè certauerit, egredere à meo consortio, & varios errantium hominum actus imitare*. Ita inquit Diuus Thomas, & doctus Haymon; *Vox sponsi Christi est, ad sponsam Ecclesiam inquientis, tu quereris, te quasi à me derelictam, & persecutionum feruore denigratam esse, nec consideras te esse pulchram inter mulieres, seu non attendis virtutum spiritualium pulchritudinem, qua præ cæteris decoraris, licet tentationibus denigreris, si hanc ergo dignitatem tuam non agnoscis, egredere de meo consortio, &, imitare errantium hæreticorum doctrinam, qui contempto verò vnius gregis pastore, multos sibi greges coacervarunt, & pasce peccatores, erroneosque auditores iuxta dogmata hæreticorum*: Aliqui demum interpretes, cæteris omnibus & antiquiores, & doctiores, vt Origenes, & D. Hieronymus, quibus etiam D. Bernardus sermone 35. super Cantica assentiri videtur, ōpinantur sponsum Christum post illa multa, quæ locuta fuerat sponsa, austera quadam commitatione ipsius sponsę animum ad agnitionis suæ curam suscitantem, per ordinem propositi dramatis, in his verbis illi sic respondere, nisi ò sponsa pulchra inter mulieres, quæ scilicet pulchritudine tua, non virgines, non angelicas mentes, sed mulieres præcellis, hominum scilicet animas, quę corruptionem passæ sunt, nec in virginitatis integritate permanserunt, nisi inquàm temetipsam, & tuæ pulchritudinis caussam inde prouenire cognoueris, quòd ad imaginem Dei facta es, iubeo te exire de domo mea, & in vltimis gregum vestigiis collocari, & iam non oues, non agnos, sed hędos pascere, illos nimirum qui præ eorum prauitate atque lasciuia, à sinistris statuendi sunt Regis in iudicio præsidentis; postquàm

postquàm noluisti cognoscere temetipsam, & illum vnum sequi pastorem, qui animam suam posuit pro ouibus suis. Ego verò ex his quatuor sanctorum Patrum interpretationibus quartam præcipuè & postremam, etsi non omni ex parte approbo, satis probabilem, & cum dictis plurimum quadrantem censeo; nam quòd Iacobus Valent. & nonnulli recentiores astruunt, sponsum videlicet Christum suæ sponsæ ecclesiæ, vbi ipse pascat & cubet in meridie, sibi indicari petenti, hic satisfacere, non est vt probemus, quandoquidem, non cumulatè ipsi Ecclesiæ Christus morem gereret, cum septem sint eius postulata, & duorum tantum postremorum eam voti compotem faceret: Neque verisimile est, vt nimium suæ sponsæ ecclesiæ, nimis alta petentis ardorem sponsus Christus hic coerceat, & restinguat, quippe quæ vt D. Bernardus existimat, minimè se cognoscens, & præ sui desiderii excessu, non cogitans, se adhùc in corpore esse, illam supernam diuinæ maiestatis claritatem sibi indicari nimis audacter petierit: nequaquam auditores hoc verisimile est, nam præterquam quòd omnia & singula hæc septem sponsæ Christi ecclesiæ postulata, vtpotè in eius nomine facta, æqua sunt, & honesta, & ob hanc caussam, non opus est vt sponsa, dum hæc efflagitat, arrogantiæ arguatur, sequeretur etiam quinque priores suæ sponsæ postulationes, sponsum Christum neglexisse, & in duabus etiam postremis ipsi nimis alta petenti satisfacere noluisse, Quòd verò dicunt alii quàmplures explicatores, sponsum videlicet Christum, sponsam ecclesiam hic redarguere, quòd nimio afflictionum feruore se cruciari queratur, nesciens se ab illo vlla ratione in tentationibus deseri non posse, nullam prorsus vt ego censeo, cùm proximè dictis conuenientiam habet, nam etsi cum duobus mediis quarto scilicet & quinto ipsius sponsæ postulatis, non parum conuenit quod isti affirmant, cum tribus tamen prioribus, & quod plurimum refert, cum duobus postremis, nec tantulum quidem congruit; & quàmuis etiam cum iis duobus quæ proximè expostulantur à sponsa, aliquam habeat coniunctionem, Christus tamen non in omnibus septem, quorum se voti compotem fieri sponsa flagitat, sed in aliquibus tantum, hoc est in quatuor vltimis postulatis ipsi morem gereret; si (vt his interpretibus placet) huiusmodi verba explicarentur; Quare antiquorum interpretum ac cæteris doctiorum explicatio remanet approbanda, nimirum, vt Christus sponsus, austera quadam comminatione, suæ sponsæ animum ad suiipsius cognitionem hic excitet, inquiens: *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, etc.* At protinus mihi obiicietis auditores & quæ profectò horum verborum, si hoc pacto explicarentur, cùm iàm dictis, seu cum septem illis postulatis cognatio esset? parum, dicis tu, Christi responsum,

ſum, ſecundum aliorum patrum interpretationem, ad ſeptem ſponſę poſtulata aptari: at minus, dicemus nos, pſum accommodari, ſi vt Origeni, D.Hieronym.ac D. Bernard.placet, exponantur hæc verba; Etenim ſponſa ſponſum alloquens, ipſum exorat, & ſupplex in ſeptem tamdiu à ſe deſideratis, & illis quidem honeſtis gratiis, ſatis ab illo ſibi fieri implorat; ſponſus autem vt ii, quos tu laudas interpretes, aſſeuerant, abſque vllo alio reſponſo, auſtera quadam comminatione ſponſæ animum ad ſuiipſius cognitionem excitat, quæ duo, res ſcilicet honeſtas, ab aliquo flagitare, & auſtera comminatione terreri, nihil mehercule, nihil prorſus inter ſe congruere videntur: Veruntamen, ſi rem diligentius perpendamus, cum ſeptem Eccleſiæ ſponſæ poſtulatio nibus, hoc vnum Chriſti reſponſum, mirificè quadrare intelligemus; Audite; expoſtulat ſponſa primum, vt ſponſus Deus, fiat homo, & oris ſui oſculo illam oſculetur; Deinde, vt eam manu aprehenſam poſt ſe trahat; Mox, vt in ſua cellaria illam introducat; Poſtea vt in eius aduentu vnà cum Iudaica Synagoga eodem fidei vinculo vniatur; Rurſus vt Chriſtianæ fidei candore in ſacroſancto baptiſmatis fonte dealbetur; Adhùc, vt ſacramentorum omnium, articulorum fidei, & Euangelicæ doctrinæ pabulo paſcatur; Vt demum ſub vmbra illius recepta, ibi tandem quieſcat, & beata cum illo æuo ſempiterno fruatur. Hæ ſunt auditores ſeptem ſponſæ Eccleſiæ poſtulationes, in quibus ſponſum Chriſtum ſibi morem gerere petit, quandoquidem abſque ſui ſponſi aduenientis præſidio, per tot, tantaque annorum ſæcula, omnium mulierum miſerrima ſemper extitit, & turpiſſima. Si ſponſus igitur Chriſtus pulchram inter mulieres, atque formoſam hic illam appellat, quæ abſque his ſeptem gratiis, quibus in eius aduentu cohoneſtatur, turpis erat, ac deformis, nonnè dùm inquit, ò pulcherrima inter mulieres, nonnè inquàm ſuæ ſe ſponſæ quicquid expoſtulauerat, cumulatè impartitum fuiſſe oſtendit, ac dicat; En in omnibus quæcunque petiiſti, iam tibi morem geſſi, & ob id pulchra ſtatim effecta es & formoſa, quæ antea turpis eras, atque deformis, quippe quæ etſi omnibus referta gratiis pulcherrima in tereſtri paradiſu effecta fuiſti, quoniam tamen in tanto poſita honore, teipſam ignoraſti, omnibus ſpoliata donis gratuitis, turpis omnino euaſiſti, ac deformis; Nunc ego te iterum tot gratiarum ornamentis exornatam, omnium mulierum pulcherrimam conſtituo, caue tu, ne iterum te ignores, ne fortè, ſi adhuc ſine intellectu inuenta fueris, de Eccleſiæ tàm militantis, quàm triumphantis domo, in quàm modo, vel in ſpe vt in iſtam, vel in re, vt in illam es introducta, te egredi oporteat, atque abire poſt veſtigia gregum, multoque plura, atque prioribus grauiora mala te inueniant, & quod Hieremiæ

remiæ cap. 51. de Babylone dicitur, de te quoque dicatur; *Curauimus*, scilicet, *Babylonem, & non est sanata*. Sed altius rem adhùc explanare libet, attento (oro vos) animo audite: Natura humana ab orbis exordio, quàmpluribus tùm naturalibus, tùm gratuitis muneribus, iustitia scilicet originali, arbitrii libertate, corporis immortalitate, gratia gratum Deo hominem faciente, & honorifico super omnes creaturas imperio insignita, in deliciosoque voluptatis Paradiso posita, seu pulcherrima sponsa, omni gloria, & honore coronata, Christo vnigenito Dei filio, sub illis verbis, quæ Genesis cap. secundo leguntur; *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, de futuro saltem, desponsata fuit. Verùm, ò rem omnium miserrimam, & maximè calamitosam, homo cùm in tanto esset honore, non intellexit, & seipsum terram, & cinerem esse non cognouit, sed gloriæ fastigio delectatus, dum se suprà seipsum extollit, se subter se locauit, nimis enim audax, appetens se esse sicuti Deum, scientem bonum, & malum, *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, vt ait Dauid in Psalmo 48. Hinc donis gratuitis exspoliatus, & naturalibus comminutus, turpis effectus est, ac deformis, immò verò malis omnibus, sub hostili dæmonis seruitute subiectus, sub lege peccati captiuus, & sub diro mortis imperio constitutus, iustitiam sibi congenitam amisit, arbitrii libertatem attenuauit, mortis necessitatem induxit, diuinæ gratiæ iacturam fecit, & ex regia Paradisi aula eiectus, suam hanc gloriam commutauit, in similitudinem vituli comedentis fœnum; heu miserandam, & lachrymosam mutationem, vt homo Paradisi incola, terræ dominus, Rex vniuersi, cœli ciuis, domesticus Dei, frater Angelorum, & diuinæ gloriæ hæres, repentina se mutatione gregi admistum inuenerit, & pro consortio Angelorum, cum iumentis societatem inierit. Tot igitur tantisque calamitatibus, & miseriis affecta natura humana, in Adamo & Aeua, ab ipsa mundi origine Christo desponsata, his plenis pietate precibus effusis, illum obsecrabat, vt eam oris sui osculo oscularetur, vt post se traheret, & sic de singulis, nuper à nobis propositis; Etenim Christi sponsa, nisi se ignorasset, iumentis admista non fuisset, & tàm egregia creatura, in tantas non corruisset ærumnas, neque hæc septem diù desiderata, à sponso efflagitare opus habuisset; at seipsam non cognouit, iumentis igitur insipientibus similis est effecta, in infinitas ferè miserias corruit, & has fundere preces opus habuit; Quibus denique pientissimus sponsus exoratus, in omnibus quæcunque expostulauit, illi morem gessit, eam inter mulieres pulcherrimam appellans, cum omnis ecclesiæ decor, & pulchritudo, à Christo eiusque donis gratuitis, seu

virtus omnis à capite in singula coporis membra diffunditur, in eam emanet, & effluat; & ne iterum iisdem & longè grauioribus malis affligatur, antiquissimæ caussæ, hoc est suæ ipsius ignorantiæ meminit, quæ illam ad tantas deduxit miserias, vt hac austera comminatione eam præmoneat, quàm fugienda illi sit suiipsius ignorantia, de qua tot malorum millia vniuerso hominum gregi prouenerunt, nè fortè si post receptam Dei gratiam iterum se ignoret, in periculosiores incidat aduersitates, nec vllum reperiatur opportunum remedium, quod illi in malo perseueranti opem aliquam ferre possit; Inquit igitur sponsus Christus, suæ sponsæ Ecclesiæ illa septem tamdiu desiderata exposcenti, respondens: ò pulcherrima inter mulieres, iàm omnium quas desideras, gratiarum voti compos effecta es, & has quidem omnes ob primam tuiipsius ignorantiam amisisti; caue igitur in posterum, nè in tanto iterum honore posita, iterum quoque te non intelligas, ac teipsam ignores, nam si prima ignorantia praua extitit, & summa tibi attulit detrimenta, hæc sanè posterior peior esset, ac pessima, æternis apud inferos pœnis homines damnans, hoc est si prior de Paradiso terreno te expulit, posterior de Ecclesiæ non solum militantis, sed triumphantis etiam domo te eiiciet, si illa iumentis similem te fecit, hæc illis posteriorem, ac deteriorem te reddet, quandoquidem homines huius ignorantiæ pœna reprobati, in tremendo illo generali iudicio, cum hædis statuendi sunt à sinistris, & igni sempiterno tradendi, non autem & iumenta, quæ cum ratione careant, & iudicio, ad iudicium venire non habent, nec æternis puniri suppliciis. Quare ò sponsa, si te iterum ignoraueris, non amplius de terreno, sed de cœlesti Paradiso eiicieris, non amplius cum iumentis, sed post eorum abibis vestigia, quando illis nihil mali sentientibus, tu malis omnibus exponeris, à quibus nunquàm liberaberis. Et de his hactenus.

LECTIO L.

Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres.

ETSI virtus omnis, omnisque scientia ex sui natura bona est & laudabilis, quippe quæ ad ipsius veritatis notitiam nos dirigat, qua intellectus humanus non secus ac aer luce, & materia formis perficitur, & illustratur, non omnis tamen vtilis est & iucunda, quinimmò, nec animorum nostrorum saluti necessaria: hæ namque humanitus adinuentæ scientiæ, aut nihil, aut parum præsidii nobis ferunt, vt per eas salutem consequamur æternam, Diuo Paulo Apostolo cap. 3. prioris epistolæ ad Cor. inquiente: *Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum*. Neque ob id ignoro, omnem ignorantiam minimè damnari, vt D. Bernardus ait sermone 36. super Cant. Sed multa & innumera sunt, quæ nescire liceat absque salutis diminutione, vt si fabrilem artem, aut carpentariam ignores, immo verò absque omnibus etiam illis artibus, quas liberales appellant, & honestiores, quàmplurimi hominum Deo grati extitisse reperti sunt, castis moribus, bonisque operibus ipsi placentes, præterquàm quòd Petrus, & Andræas, & alii quàmplures Christi discipuli, non de schola Rethorum, aut Philosophorum Gymnasio, ad Apostolatus fastigium assumpti sunt, & nihilo minus Redemptor noster Christus, per hos homines indoctos operatus est salutem in medio terræ: optimè etiam scio, quantum ecclesiæ semper profuerint, & quotidie prosint viri literati, siue ad Hæreticos, & Ethnicos refellendos, siue ad simplices instruendos, & pusillos: nam Oseæ cap. quarto legimus, Deum ipsum ita loquentem: *Quia tu repulisti scientiam, repellam & ego te, vt non fungaris mihi Sacerdotio*: & Daniel cap. 12. habemus: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti*. & Apostolus Roman. cap. 12. non prohibet sapere, sed plus sapere quàm oportet, inquiens: *Dico autem per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem*; Et quid obsecro est sapere ad sobrietatem; omni quidem cum diligentia obseruare, quidnam magis, priusve discere nos oporteat, peritorum instar medicorum, qui vt nostrorum corporum sanitati prouideant, quid prius, posteriusve in cibis eligendis nobis sumendum sit, diffiniunt; nam etsi bonos constat esse cibos omnes, quos Deus creauit, nisi tamen tu modum, & ordinem in illis eligendis obserues, eos planè

non

non bonos reddis, & quod de cibis medici dicunt, hoc de scientiis nos sentimus; Aliqui namque sunt, qui scire volunt eo tantum fine, vt sciant, & turpis curiositas est; Alii sunt qui scire volunt, vt ipsi sciantur, & turpis vanitas est; Quidam etiam sunt qui scire volunt, vt scientiam pro pecunia, aut pro honoribus vendant, & turpis quæstus est; Nonnulli denique sunt qui scire volunt, vt ædificent, & summa charitas est, aut vt ædificentur, & summa prudentia est; ex his autem quinque sciendi modis, duo postremi boni sunt, & laudabiles, quinimmo vtiles, & necessarii, quippe qui hac ratione volunt homines scire, vt benè faciant. Quapropter si qua est scientia, quæ nobis hominibus præcipuè verò Christianis, quàmmaximè, & apprimè vtilis sit, & necessaria, hæc, mehercule est suiipsius cognitio, nam vt ait Philosophus 10. libro Diuinorum: *In vnoquoque genere datur vnum, quod est metrum & mensura omnium sub illo genere contentorum:* sicuti exempli gratia, est albedo in genere omnium colorum, & suiipsius notitia in omnium genere cognitionum, quod quidem satis facilè, atque dilucidè sic probatur: Si vera summaque hominis beatitudo est frui Deo, quo frui non possumus nisi primò illum amemus, nec ipse amari potest, nisi illum præcognoscamus, cum inuisa quidem diligere queamus, at incognita nequaquàm; Qui fieri potest, vt homo Deum cognoscat, nisi primò seipsum nouerit? Suiipsius igitur notitia illi, qua Deum cognoscimus antecellit, postquàm enim nosipsos cognouerimus, in Dei cognitionem deuenimus, vt ait Dauid in Psalmo 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me*. Ac si diceret, tunc ò bone Deus te perfectè cognoscam, cum meipsum nouero, vtpotè qui licèt tui non sim viuens imago, ad tui tamen imaginem, & similitudinem factus, satis clarum te in me dignoscendi speculum sum, Diuo Apostolo 13. cap. prioris epistolæ ad Cor. astruente; Nos dum sumus in via, Deum Optimum Maximum per speculum in ænigmate videre, tunc autem, quando fuerimus in patria, facie ad faciem. Hæc autem gemina hominis cognitio, qua scilicet & seipsum, & Deum cognoscit, per duos, & illos quidem cæteris iuniores ipsius Patriarchæ Iacob filios, Ioseph nimirum & Beniamin mysticè designatur; nam Ioseph, qui iudicio plurimum præstabat, suiipsius notitiam, Beniamin verò, quem dexteræ filium interpretantur, cognitionem, qua Deum contemplamur, indicat; Sicut igitur non oritur Beniamin, quin prius nascatur Ioseph, ita Deum, nequaquam intelligere possumus, quin primum nosipsos noscamus, vterque tamen ex eadem matre nascitur, quoniam & suiipsius, & Dei notitia, ex eadem rationis radice emanat; Inde Augustinus Sanctus, in Soliloquio, non longè à principio aiebat:

Nouerim

Nouerim te, nouerim me, hoc est, tunc bone Deus, te cognouero, cum in primo huius scalæ gradu, qui suiipsius notitia est, pedem posuero; & D. Gregorius libro 31. Moral. inquiebat: *Si Deum cognoscere, & contemplari optas, teipsum antea cognoscas, & contempleris.* quod idem asseuerabat D. Bern. serm. 36. super Cant. *Volo proinde animam primò omnium scire seipsam, sic namque & ordinis, & vtilitatis postulat ratio, ordinis quidem, quoniam quod nos sumus, primùm nobis inest, vtilitatis verò, quoniam hæc scientia non inflat, sed humiles nos reddit.* Quare scientiarum omnium, & cognitionum summa suiipsius notitia est, sicuti enim homo creaturarum omnium quasi epilogus est, & (vt inquiunt) breue compendium, ita omnium scientiarum caput, & summa est hominis scientia, qua seipsum cognoscit: Ex qua ratione factum esse censeo, vt illud Apollinis præceptum, quo monet, vt quisque se noscat, plurimi æstimetur, cuius hæc sunt verba; *Nosce teipsum*, & quanquam Diogenes Laertius Thaletis Milesii sententiam hanc extitisse dicit, qui fuit vnus ex septem Græciæ Sapientibus, & Ouidius Pythagoræ illam ascribit, & Plinius Philonem Lacedæmonium eam protulisse putat, Socrates tamen, Plato, Macrobius, & Marcus Tullius primo libro Tusculanarum disputationum, Apollini sapientiæ præsidi, illam attribuunt, vt ob eius excellentiam, non humanum dictum, at diuinum existimaretur; nam cum Cresus ditissimus Rex Lidorum, & potentissimus, Delphos ad Apollinis oraculum, toti terrarum orbi tunc temporis celeberrimum viros sapientissimos misisset, vt quonam pacto beatam degere vitam, & veram consequi posset fęlicitatem, intelligeret, illud ab Apolline responsum accepit, tunc ò Cresi beatus eris, non si diuitias auxeris, non si magnos exercitus comparaueris, non si regnum amplificaueris, at si teipsum cognoueris. Quæ sanè verba tanti æstimauit, non dicam Cæsar Augustus, qui ob suæ virtutis pręstātiam Romanorum Imperium, quinimmo totius terrarum orbis Monarchiam adeptus fuit, vt aureum annulum, in quo huiusmodi verba erant insculpta, in digito semper gestaret, sed Diuus Bernardus adeò magni fecit, vt in lib. 7. de adoratione, quem ad Eugenium Papam scripsit, insipientem vocet, qui seipsum ignoret, licet aliarum omnium rerum valdè peritus esset. Audite quid ipse dicat: *Si noueris omnia mysteria, latitudinem terræ, altitudinem cęli, profunditatem maris, si te nescieris, omninò similis eris homini insipienti:* quod sermone trigesimoquinto super Cant. etiam asseruit, illud Dauidis in Psal. 48. explicans: *Homo cum in honore esset*, inquit enim, *Salomon certè Propheta, vt secundam ignorantiam priore magis faciendam, pudendamque ostenderet, ait: si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* Nam illa hominem parem bestiis effecit, ista verò posterio-

rem,& sermone 36. subinfert: *Volo proinde animam primo omnium scire seipsam:* Et certè, quemadmodum Diuus Augustinus ait in libro de Spiritu,& anima, nulla scientia melior est, nec homini, vt salutem consequatur æternam vtilior illa, qua seipsum cognoscit. Quandoquidem nemo absque sui cognitione salutem adipiscitur, de qua nimirum mater salutis humilitas oritur,& timor Domini,& qui seipsum ignorat, Deum cognoscere nequaquam poterit, quod si Deum ignorat, poterit nè illi spes esse salutis? si salus ista,& vita æterna est, vt cognoscamus Deum verum,& quem ipse misit Iesum Christum? nequaquam (domini) nam vt ames quem nescias, aut illo fruaris, quem non amaueris, nullo vnquam pacto fieri potest, cum voluntas non feratur in rem, nisi præcognitam. O rem turpem,& Christiano non solum, sed homine quoque indignam, vt tam valdè elaboremus in rebus omnibus extra nos existentibus cognoscendis,& sursum,& deorsum,& ante,& retro,& à dextris, & à sinistris, & in ortu, & in occasu, & in meridie, & in septentrione, eas verò quas intra nos habemus,& facilè intelligere possumus, cognoscere negligamus; si res est egregia, atque præclara, supremam rerum omnium caussam, ex mirabilibus eius effectibus indagare, determinatum illarum mentium, ab omni materia secretarum numerum perscrutari, perpetuos cœlestium globorum motus exquirere, miram stellarum tam errantium, quàm suis infixarum sedibus, in hæc elementaria, virtutem inuestigare, obliquum & admirandum cœli circulum duodecim signis distinctum contemplari, dicam etiam splẽdidissimam Solis lucem, varias Lunæ mutationes, contrarias elementorum qualitates, hoc est ignis ardorem, aeris humiditatem, frigiditatem aquæ,& siccitatem terræ, tanta exquirere cum diligentia, honesta res est,& laudabilis, nonne inhonestum est,& omnem habens turpitudinem, seipsum prorsus negligere? quid (imus non cognoscere? ignorare cor suum? animam suam? mentem suâm? quæ adeò nobilis est,& sagax, vt res omnes, illasque perdifficiles, & admirabiles, terrenas, cœlestes, angelicas,& diuinas scrutari audeat? Hinc Diuus Bernardus in eodem libro de adoratione ad Eugenium Papam inquit; *Quatuor, vt occurrunt, tibi consideranda sunt, te, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te sunt, sed à te tua cõsideratio incboet, ne frustra extendaris ad alia, te neglecto.* Arbitror (domini) vos memoria retinere, Astronomum quendam, magnam nobis ridendi materiam dedisse, vtpotè qui dum in summo vertice montis, conuersiones, ac sydera cœli, vt varios eorum motus, atque virtutes intelligeret, nunquam nõ contemplabatur, totus in res illas cœlestes,& à se remotas intentus, harumque terrenarum, & sibi vicinarum oblitus, miserabili quidem, at etiam irridendo suæ ipsius vitæ interitu, in profundissimam rupem corruit:

fuit: irridenda profectò nobis est hominis dementia cum Heraclyto, & illius miseria cum Democrito deploranda, quia tantum operis, ac diligentiæ in humanas scientias cõfert, vt eorum quæ sunt à se remotissima notitiam habeat, & nihil in ea quæ sibi proxima sunt, dignoscenda incũbit, qui toto pectore contendit, vt cætera omnia norit, & nihil laborat, vt seipsum cognoscat, & hac de causa, illius dementis, & miseri astronomi instar, sine vlla spe, ad sempiternum corporum & animarum interitũ præcipites ruimus. Quid obsecro, vt verum fateamur, quid nobis cõfert cætera oĩa intelligere, nisi nosipsos cognoscamus? Quid obsecro refert, rudem animi nostri tabulam, tot tantisque scientiarum generibus expolire, si suiipsius notitia vacuum, & nudum illũ relinquimus? Audite quid dicam, non est homo, qui homo est, sed qui se hominem esse cognoscit: neq; intelligit qui intellectum habet, sed qui suum noscit intellectum; si igitur verè homines esse, & verè intelligere desideramus, opus est, vt amplius nosipsos non ignoremus, & cum hactenus extra nos post vestigia gregum nostrorum, seu post inanes animi nostri cogitationes vagati fuerimus, iam tempus esse videtur, vt pulcherrima quadam conuersione intra nosipsos reuertamur, & animum ad salutarem suiipsius cognitionem reflectamus, vt ex hac interna suiipsius notitia, ad supernam Dei Optimi Maximi cognitionem homo facilius conscendere queat, quo maiorem enim, dum animum nostrum intelligimus, delectationem percipimus, eò splendidiorem etiam lucem, vt Deum ipsum dignoscamus recipimus, sicuti eò minus Deum intelligimus, quò minus nosipsos cognoscimus, quoniam Deus suæ gratiæ lumen illis non impartitur, vt suprà seipsos elati, ad sublimem ipsius notitiam conscendant, qui tanta ignorantiæ cæcitate obruuntur, vt nec intra seipsos venientes, suos contemplentur animos, cum nulla res ipsomet hominis animo, ipsi animo sit propior, qui cognoscit, & intelligit, quandocunque, quomodocunque, & quodcunque voluerit. Quare si hominis saluti ita vtilis est, ac necessaria suimet scientia, cur huius acquirendæ desiderio non incendimur? si ad rei notitiam vsque suimet cognitio hominem conscendere facit, cur illius adipiscendæ cupiditate non inflammamur? si nos beatos efficit, cur eius amore non flagramus? Præterquàm quòd nulla est ipsi homini apprehensu facilior scientia, quàm suiipsius notitia, nam si nihil sibi seipso propius est, & quò res propiores sunt, eò facilius apprehenduntur, difficilè sibi fortasse erit, seipsum cognoscere? si humanus intellectus cuncta intelligere potest, vt docet Philosophus 3. libro de Anima, nonne seipsum cognoscet? si mens nostra meminit præteritorum, præsentia cernit, futura prouidet, & vnico ferè momento, cœlestia pene-

trat, ad inferos descendit, & totum peruagatur vniuersum, sibiipsi inuia forte erit, & inaccessa? si viuit animus, sentit, cogitat, iudicat, meminit, intelligit, & vult, immò verò si scit se viuere, sentire, cogitare, iudicare, meminisse, intelligere, ac velle, qui fieri potest, vt sibiipsi quoq; non viuat? vt seipsum non sentiat? non cogitet? non iudicet? vt suiipsius non meminerit? vt seipsum non intelligat? vt tandem seipsum non velit, & amet? & quamuis oculus qui videt omnia, seipsum videre nequeat, de humano tamen intellectu non est eadem ratio, qui cætera noscens, & seipsum intelligere potest, quandoquidem oculus, & reliqui omnes corporis nostri sensus materia sensili affecti, nec se supra se, nec supra suos actus reflectere queunt: at intellectus materiæ expers, simplex, & spiritalis substantia existens, supra se, & supra suos actus seipsum reflectere potest, quippe qui cum singula factus fuerit extra se quasi egrediens, vt omnia noscat, pulcherrimo quodam circulo intra se rediens seipsum cognoscit, ex qua ratione factum fuisse arbitror, vt humanus animus in Phędro quadriga vocetur à Platone, cum per quatuor rotas ad seipsum recurrat; intelligit enim primum, & quæ sunt extra se, & seipsum, quæ sunt duæ priores rotæ, mox verò, & illa, & seipsum diligit, quæ sunt duæ posteriores rotæ. Neque illud Arist. mihi obiiciatis. 3. lib. de Anima, tex. 4. inquientis; *Intus existens prohibet extraneum*. quod Auerroes ibidem manifestius explicans aiebat; *Omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti*. Ex quo illud consequi videtur, vt humanus animus, aut seipsum non intelligat, & suiipsius notitiam non recipiat, aut seipso sit denudatus. At hoc est falsum, illud igitur esse verum oportet, hoc est hominis intellectum seipsum intelligere non posse. Nequaquam (domini) res ita se habet, huiusmodi namque Arist. & Auerrois verba à grauissimis interpretibus ita explicantur, vt omne recipiens sit denudatum à natura rei receptæ, quæ nimirum primò, & per se recipitur in intellectu, & hæc sunt cætera omnia, quæ extra se existentia intellectus humanus, tanquam primarium (vt dicunt) obiectum intelligit, at seipsum non primò, & per se, verum secundò, & per aliud, tanquam secundarium obiectum cognoscit: postquàm enim singula factus est, atque omnia, quæ sunt extra seipsum, cognouit, quodam quasi circulo se supra seipsum reflectens, & intra se rediens, seipsum intelligit. Verum adhuc mihi opponetis, posse quidem hominem, at difficulter seipsum cognoscere; nam cum Thales Milesius ex septem Græciæ Sapientibus vnus, interrogatus fuisset, quidnam homini omnium difficillimum esset, respondisse dicitur, seipsum noscere, quod etiam Platonem asseruisse ferunt in suo primo Alcibiade, sola ductum experientia, qua tam paucos homines se-

ipsos

ipsos cognoscere quotidie experimur, vt dixerit Plautus *In foro*, quò maxima hominum frequentia vndique concurrit, *vix decimum reperiri, qui seipsum nouit*. Attamen seipsum cognoscere nequaquàm laboriosum est, sed velle se noscere, hoc multum negocii habet; dicam manifestius, non opus ipsum arduum esse, at opus exequendi voluntatem, cùm his carnis illecebris implicatam; non parum difficultatis habere: etenim si amabilissimis ipsius carnis, & sensuum voluptatibus, quibus quasi difficillimis vinculis, humanus animus est illaqueatus, aliquando explicaretur, & in seipsum, cæteris omnibus posthabitis, colligeretur, maxima sanè cum facilitate seipsum cognosceret, vt Diuus Augustinus in 1. lib. de ordine, inquit: *Homo sibijpsi est incognitus, qui tamen vt se noscat, magna opus habet consuetudine recedendi à sensibus, & animum in seipsum colligendi.* Quare si carnis illecebris, & sensuum voluptatibus homines irretiti, extra seipsos hucusque peruagati sunt, *Redeant*, vt Esaias cap. 64. nos admonet: *Redeant præuaricatores ad cor*, & quid sint, qui sint, & quales sint cognoscere satagant; Iumentorum namque est, atque pecorum ratione carentium, seipsa minimè noscere, vt cecinit Dauid in Psalmo 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Noscat igitur homo rationis particeps, quid sit in natura, quis sit in persona, qualis sit in moribus; & sciat in natura se hominem esse, in persona Christianum, at in moribus inhonestum, immò verò scelestum: nam in his tribus perfectam completamque suiipsius notitiam consistere astruit D. Bernardus eodem in loco, nempè secundo libro de consideratione ad Eugenium Papam: quæ tria nos amplè in proximè futura lectione vobis explicabimus.

LECTIO LI.

Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres.



Versamvr adhùc auditores, circa suiipsius cognitionis negocium, quod, mehercule, multum momenti habet, & ob id non temerè progredi, sed omni cum diligentia nos omnia considerare oportet, illorum instar artificum, qui cum metalla effodiunt, non in terræ superficie manent, at valde profundè descendunt, vt illa magno cùm labore à sordibus separantes aliquam deinde laborum suorum consolationem vtilitatemque percipiant. Quapropter, vt hinc inceptum negocium prosequi exor-

diar, antiquus ille, & perdoctus Ecclesiæ Pater Græcus, Clemens Alexandrinus tertio libro Stromatum, suiipsius cognitionem cùm arbore conferri posse inquiebat: nam sicut arbor ex fructibus cognoscitur, & non ex ramis, foliis, & floribus, ita homo verè seipsum cognoscere dicitur ex bonorum operum fructibus, non autem ex verborum, & suę existimationis foliis, & floribus. *Arbor, inquit ipse, cognoscitur ex fructibus, non ex floribus, & folijs, ac ramis; cognitio ergo sumet est ex fructu, & vita institutione, non ex verbo, & flore; neque enim solum verbum dicimus esse cognitionem, sed aliquam scientiam, & lucem illam, quæ innata fuerit in anima, ex præceptorum obedientia, quæ hominem instruit, vt seipsum cognoscat; suasque ad Deum cognitiones dirigat.* Tria verò, & illa quidem præcipua, sunt homini prænoscenda, vt Diuus Bernardus libro secundo de consideratione scribit ad Eugenium Papam, si perfectè seipsum cognoscere velit, nimirum, quid sit in natura, quis in persona, qualis in moribus. Rem manifestiùs explico: noscere debet homo, quid ipse sit in natura, cognoscendo se hominem esse, quis sit in persona, cognoscendo se esse Christianum, & qualis sit in moribus, cognoscendo quænam sit eius morum probitas, vitæque sanctitas. Et vt primo quæsito satisfaciamus, quid profectò es ò homo? si methodo, (quam Scholastici resolutiuam appellant, cum scilicet totum aliquod in debitas eius partes resoluimus,) rei diffinitionem eiusdem rei naturam explicantem indagamus, vt docet Philosophus secundo libro posterioris resolutionis, tunc hominis substantiam reperiemus, illiusque diffinitionem, cùm hominem in debitas illius partes, ex quibus compactus est, distinguemus. Et sanè duæ sunt hominis partes, illius naturā respicientes, corpus videlicet, & animus, ex quibus hoc totum, quod est homo, conflatur; quid igitur es ò homo? es animus? an corpus? an totum ex vtraque parte conglutinatum? Dices fortasse te esse corpus, quandoquidem ipsi & sensibus eius tanta cum voluptate blandiris, ita illud abstergis, vestibus exornas, vngis vnguentis, & odoribus comples, vt tui dominum, idolumque tibi colendum ipsum delegeris, quemadmodum Apostolus ait Philipp. cap. 3. *Quorum Deus venter est*: at maximè deciperis ò homo, si te corpus esse existimas; Quamuis enim tibi semper assideat, tecum familiariter viuat, cibum potumque ex tuis manibus sumat, & in sinu complexuque tuo quiescat, tibi tamen seu minister inseruire iure tenetur, & tuo subiectum imperio, quicquid iusseris exequi debet: Verùm quoniam nimis delicatè illud educasti, & nimis blandè tractasti, nec in varios lapsum errores coarguisti, hinc profectò est, vt in te contumax effectum, & insolens, te contemnat, in durissimam te adducat seruitutem, elato tibi supercilio imperet, ac omni cru-

ni crudelitate dominetur. Homo igitur non est, at hominis seruus, & minister est corpus quod cum cognoscis, & diligis, non te ipsum, sed inimicum tuum cognoscis, & diligis: nonne verum id omnes existimant, vtentem scilicet hominem, & rem qua vtitur, nautam, & nauem, artificem, & instrumentum, quo suum efficit opus, non idem esse? vtique auditores; Si igitur homo in suis efficiendis operibus etiam dum intelligit, vtitur corpore, vel tanquàm subiecto, vt inquiunt, vel tanquam obiecto, & instrumento, cùm oporteat intelligentem phantasmata speculari, & omnis nostra cognitio habeat ortum à sensu, qui fieri potest vt homo sit corpus, si homo artifex est, nauta, & vtens, corpus verò est instrumentum, nauis, & res qua vtitur homo? Neque etiam homo ipsum totum est ex vtraque parte, hoc est ex animo, & corpore conflatum, aliter enim homo constaret ex homine & ex non homine, cùm probatum iàm sit hominem non esse corpus. Restat igitur, vt homo sit animus rationis particeps, non corpus tantum, neque ipsum totum ex corpore animoque compositum: Epicurei sanè hominem corpus duntaxat esse præmonstrarunt, inquientes: *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas*. Peripatetici verò hominem ipsum totum ex corpore animoque compactum esse asseruerunt, dicentes; *Homo est animal rationale, mortale*. At Platonici rem altius perpendentes, dixere hominem animum tantum rationis compotem, & immortalem esse, corpus autem esse hominis seruum, atque instrumentum sibi coniunctum, cuius præsidio suas omnes operationes exercet. Ita inquit Plato in 1. Alcibiade: *Homo est anima ratione prædita, mentis particeps, humano corpore vtens:* Quam hominis diffinitionem tribus constare partibus, nullus vestrum est qui non videat; etenim *Homo est anima ratione prædita*, prima pars est, *Mentis particeps* est media; *Humano corpore vtens*, est postrema: quæ quidem partes tribus illisque præcipuis scientiis, quibus homo rudem sui intellectus tabulam exornat, naturali videlicet, morali, atque diuinæ Philosophiæ satis aptè accommodantur: Homo namque vt animus est ratione præditus, ad omnis naturæ lumine acquisitas scientias capescendas est aptus, ut autem mentis est particeps, sublimius eleuatur, & diuinæ reuelationis luce illustratus, sacrosanctam Theologiam contemplatur, vt demum humano corpore vtitur in suis exercendis operibus, aut ad Reipubl. aut ad familiæ, aut ad suiipsius gubernationem spectantibus, illam Philosophiæ partem, quæ de moribus agit, sibi considerandam proponit. O veram, & completam hominis diffinitionem, cui Diuus etiam Augustinus primo libro de moribus Ecclesiast. cap. 27. assentitur, inquiens: *Homo anima rationalis est, mortali, atque terreno corpore vtens*. Hoc idem et Mercurius Trismegi-

stus asseruit, existimans hoc terrenum corpus, non hominem sed viuens esse cadauer & sepulchrum exportatum, quandoquidem Deum Optimum Maximum alloquens, illi gratias agit immortales, quòd humanum animum sempiternum effecerit, licèt illum in hoc corpore collocarit, inquit enim: *Quòd nos in corporibus sitos æternitati consecrare dignatus es, gaudeamus*. Et Anaxarchus nefarium tyrannum illius corpus diris cruciatibus affligentem, increpans, non Anaxarchum, sed vas Anaxarchi suum corpus appellauit, dicens: *Tunde Tyranne, tunde vas Anaxarchi, ipsum autem Anaxarchum minimè tundes*, ac si diceret, Anaxarchus est animus immortalis, & hoc corpus terrenum animi vas est & Anaxarchi; percute igitur ò Tyranne corpus, animum enim nequaquàm occides. Verùm & quis Ethnicorum Philosophorum manifestius hoc affirmauit ipso Marco Tullio, qui primo libro Tusculanarum disputationum, aiebat: *hanc habet vim præceptum Apollinis quo monet vt quisque se noscat, non vt membra nostra, aut staturam, figuramue noscamus, neque enim nos corpora sumus, neque ego tibi dicens hoc, corpori dico, cum igitur nosce te dicit Apollo, hoc dicit, nosce animum tuum, nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum*: Quod quidem Ciceronem à Platone in libro de natura hominis, qui primus Alcibiades inscribitur, accepisse arbitror, cum ait, *Animum noscere iubet, qui præcipit nosce teipsum*; quicunque enim corpus suum cognoscit, sua quidem, at non seipsum noscit. Et vt à Gentium, & Ethnicorum exemplis, ad ea quæ in scripturis sanctis legimus accedamus, nonnè quid essent omnes Christi discipuli optimè nouerunt? quippe qui non corpus terrenum & caducum: at animum rationis participem, & sempiternum se esse putarunt. Ita nouit seipsum Diuus Laurentius Martyr, cum ad impiissimum tyrannum dixit: *Assatum est iam, versa, & manduca*. Ita nouit seipsum Diuus Stephanus Protomartyr, qui dùm lapidibus à Iudæis ipsismet lapidibus durioribus, obrueretur, flexis genibus orabat Dominum dicens: *Domine accipe spiritum meum*. Ita demum nouit seipsam Beata Maria Magdalena, quæ corpus, & omnes corporis voluptates & lenocinia contemnens: *Stans retrò, secus pedes Domini, lachrymis cepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat*. Animum igitur, auditores, & non corpus, nos esse noscamus, non animum qui concupiscit, non animum, qui irascitur, sed animum qui intelligit, & sempiternus manet, factus ad imaginem & similitudinem Dei, vt inquit Moses, immò verò ipsemet Deus Genesis cap. secundo. Quare si animus es ò homo ratione præditus, & immortalis, te pulcherrimum inter creaturas omnes corporeas esse non ignores, & summa Dei Optimi

Maximi liberalitate non abutaris, sed inuadat animum sacra quædam ambitio, vt mediocribus non contentus, ad maxima, illaque diuina consequenda totis viribus anhelet, dedignetur terrena, cœlestia contemnat, & vltramundanam curiam eminentissimæ diuinitati proximus ascendat: nam potest hominis animus, & in inferiora, quæ sunt bruta, degenerare, & in superiora, quæ sunt diuina, ex sui sententia regenerari, cùm illi datum sit id habere, quod optat, & id esse, quod vult: Si ergo seipsam ignorauerit sponsa, comparabitur iumentis insipientibus, & similis illis fiet: At si seipsam nouerit, & Dei filia, immò verò & Dea, participatione saltem, euadet, vt cecinit Dauid in Psalmo 81. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes;* & de his hactenus. Iàm verò tempus esse videtur, de altero quæsito hominis personam respiciente aliquid dicere, nimirum quis est homo? es nè fortasse ò homo, Ethnicus? an Iudæus? nequaquàm, sed Christianus es, qui in Christi militia descriptus, ex aqua & Spiritu sancto renatus, Dæmonem & omnes eius pompas renuisti, Deo fidem dedisti, illius obseruare præcepta, Euangelicam legem custodire, ipsum fundere sanguinem, si oportuerit, pro sui nominis gloria pollicitus fuisti. Nolit igitur homo se talem, ac tantum virum negligere: at Christicolam se esse noscat, & de hac re in domino glorietur; mecquidem legisse memini, Philosophum quendam tribus de rebus gloriari solitum fuisse, quod scilicet homo, non bellua, mas, non fœmina, Græcus, non Barbarus natus fuisset. Tu verò de hac vna re, quæ cæterarum præclarissima est, non gloriaberis? nempè te veri Dei, vnius, ac trini cultorem esse, Christique discipulum? Age obsecro, & adhùc diligentius perpende quis sis, quam geras, videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei, an pastoris, an gregis, an præsidis, an subiecti? etenim si teipsum ignoraueris, à Christi commertio te egredi necessum est, & abire post vestigia gregum, hoc est post inanes hominum mundanorum cogitationes, post secularia æternarum curarum desideria, in quibus omnibus non est nisi labor, & dolor, & afflictio spiritus: Alexander ille Macedonum Rex, cum semel exercitum lustraret, & militem quendam Alexandri quidem nomen, at non animi fortitudinem, neque corporis robur habentem comperisset, illius redarguens inertiam, inquit: *Aut hinc abi, & ab exercitu discede, aut nomen, & viuendi rationem immuta.* Nos igitur nos quoque nosipsos Christianos esse noscentes, aut à Christi societate abeamus, aut Christicolæ nomen immutemus, aut meliorem vitæ rationem deligamus; ita enim nosipsos & Dei populum, immò verò ipsummet Christum nefario scelere omniq; turpitudine fœdamus, eorum insequentes vestigia, de quibus Aposto-

lus

lus primo cap. epiſtolæ ad Titum aiebat: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*. Et quid ſanè Turcas, & Iudæos de Chriſto ſentire putatis cùm turpes Chriſtianorum mores conſpiciunt, ac nefariam vitam, quàm à Chriſto nos edoctos fuiſſe exiſtimant? malè profectò ſentiunt, & omnium huius mundi hominum ſceleſtiſſimum Chriſtum extitiſſe dicunt. Proh dolor, *Propter nos*, inquit Apoſtolus Romanorum cap. ſecundo, *propter nos nomen Dei blaſphematur inter gentes*; qui nomine tantum, & non reipſa Chriſtiani ſumus; illos profectò, illos Chriſtianos iure optimo appellandos eſſe cenſeo, qui Chriſti ſpiritum habent, & quam ipſe degit in hoc mundo vitam agunt; nam ſicut is, qui ſpiritum non habet humanum, nequaquàm cenſendus eſt homo, ita & qui ſpiritu Chriſti præditus non eſt, Chriſtianus minimè eſt appellandus, vt ait D. Paulus Romanorum cap. octauo: *Qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius*. O rem eximiam, & præclaram re vera eſſe Chriſtianum, nam Chriſtianus epitome eſt, atque compendium reliquorum omnium hominum, & nihil eſt quòd Chriſtiana vita pulchriùs ſit aut excellentiùs, quæ eſt vita Chriſti, orta ex Chriſto, inſtituta à Chriſto, directa per Chriſtum, & coniuncta cum Chriſto: nam quo dignior eſt forma materia, eò excellentior eſt Chriſtiana vita quacunque alia vita aut Ethnica & Philoſophica, aut Iudaica & Moſaica, quæ vitæ Chriſtianæ materia extiterunt, non ſecus ac vita vegetans ſentientis, & ſentiens intelligentis; & quid profectò illuſtriùs eſſe poteſt, quid admirabiliùs, quàm in humanæ carnis ergaſtulo commorari, & vitam Angelicam degere? in terris eſſe, & ſpiritu Paradiſum conſcendere? variis & illis quidem crudelibus prælijs extrinſecus frangi, & intus pace ſuauiſſima frui? omnia propter Chriſtum diligere, & ſeipſum odio habere? viuere ſimul & mori concupiſcere? viuere inquàm vt in timore hic ſeruiamus domino, & mori, vt in cœlo regnemus cum Chriſto: & vt paucis verbis multa complectar, totam vitæ Chriſtianæ perfectionem in his tribus conſiſtere docuit Apoſtolus Paulus, in epiſtola quam ſcribit ad Titum cap. ſecundo, nimirum, vt *Sobriè, iuſtè, & piè viuamus*, ſobriè cùm nobis ipſis, iuſtè cum proximis, & piè cum Deo, ſobriè inquàm, vt illud Comicum dictum animaduertentes, *Ne quid nimis*, inter vtrumque volemus, & medium, *in quo virtus conſiſtit*, ſemper amplectamur, iuſtè vt ſuam cuique tribuamus dignitatem, & vt Apoſtolus ait Romanor. cap. 13. *Nemini quicquam debeamus, niſi vt inuicem diligamus*. Et demum piè, vt diligamus Deum ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima. Etenim ſic viuentes, nomine non ſolum, ſed reipſa quoque Chriſtiani erimus, & qui ſimus perfectè noſcemus, omnium ſcilicet mundi hominum


minum præstantissimi, ac fœlicissimi, sicut homines reliquarum omnium creaturarum, quas his oculis cernimus, nobilissimi sunt, ac præclarissimi. Quapropter si magnum miraculum inter omnes mundi creaturas est homo, maximum profectò inter omnes homines est Christianus: Quid igitur es? & quis? quid in natura? quis in persona? dices, & verum dices, si tè perfectè noueris, homo sum in natura, & in persona Christianus. O naturæ prodigium, immò verò ò diuinæ gratiæ miraculum, omnem excellens naturam: nam si naturæ miraculum est, hominem esse, gratiæ certè est, esse Christianum. Dicam auditores, rem admirandam, Turcæ non homines sunt, sed Monstra, Harpiæ, Centauri, quibus nihil deformiùs conspici potest: Ethnici absque veri Dei cultu viuentes, homines quidem sunt, si cum iumentis conferantur, nam animam ratione præditam, & ad Dei similitudinem imaginemque creatam habent: at omni spiritu carentes, omnique rerum diuinarum gustu, non verè homines sunt: at hominis corpus, & caro. Iudæi verò sunt veluti pueri pędagogo adhùc indigentes, qui timoris baculo illos redarguat, & eorum coerceat desideria, nè in nefarios huius mundi errores præcipites ruant. Solus Christianus inter homines verè est homo, & reliqui omnes bestiæ potius censendi sunt, quàm homines. Etenim non tanta præstant dignitate plantæ lapidibus, bruta plantis, & homines brutis, quanta antecellunt nobilitate Christiani reliquos omnes homines, si tamen & nomine, & reipsa Christiani sint. Reliquum modo est, vt tertium, & postremum quæsitum ad mores hominis spectans explicemus, quod ita se habet: qualis est homo? quales nimirum sunt hominis, & hominis Christiani mores? qualis vitæ ratio? qualis agendi modus? quale denique disciplinæ institutum? dicite quæso, auditores: Nonnè Christianum hominem decet, castos habere mores, iustam degere vitam, integrè operari, & in rerum diuinarum disciplina erudiri? at proh Deus Optimus Maximus, mores ferini sunt, non humani, vita terrena est, non cœlestis, actiones Dæmoniacæ sunt, non Angelicæ, disciplinæ mundanæ, non diuinæ; qualis es, qualis es ò homo Christiane? quæ morum probitas? quæ vitæ sanctitas? quæ actionum integritas? quæ disciplinarum honestas? si quotidie peccas, si omni ferè momento Deum spernis, proximo damnum infers, teipsum condemnas, si nunquàm aliquid boni facis, & tot facinora patras? si nunquàm Deum laudas, & tàm sæpe blasphemas? si nunquàm ieiunus es, & semper ebrius? si nunquàm aliis tua largiris, & aliena rapis? affligis fortasse corpus, si multis vacas deliciis? luges aliquando, si perpetuò rides? cilicii asperitatem experiris, si mollia linteamina gestas & serica preciosissima? peccati flammam lachrymis

mis extinguis, si delicti conscientia semper ardes? spiritus demum aduersus carnem contendit, si caro aduersus spiritum concupiscit? Heu miserum hominem Christianum, & infœlicem, qui fidem in incredulitatem, spem in timorem, & charitatem in crudelitatem mutauit; noscat igitur seipsum homo qualis sit, & qualem esse illum oporteat, nimirum pauperem spiritu, mitem, & humilem corde, misericordem, pacificum, esurientem iustitiam, & sitientem, sua lugentem errata, virum mundum, & castum, & omnes denique huius mundi calamitates, & miserias forti animo tolerantem. Dicam etiam non vinolentum, non lucri cupidum, non iracundum: at sobrium, iustum, pium; Etenim si talem seipsum nouerit homo, proculdubio perfectam suiipsius notitiam adeptus erit. Surgat igitur homo, surgat obsecro ex hoc profundiori somno, & aliquando respiciat quid sit, quis sit, qualis sit, optimè noscens, maximas namque vtilitates, & amplissimos fructus hinc capere potest, & primum in altissimam Dei cognitionem ascendit, si quidem seipsum intuens, ad imaginem ac similitudinem Dei creatum, facilè Deum cognoscit, quandoquidem alicuis viri perspecta imagine, ipsum, quotiescunque nobis occurrerit, facilè dignoscimus, sicut is, qui seipsum minimè noscit, frustra dirigit oculorum aciem vt Deum contempletur, vt ait Vgo de Sancto Victore: *Frustra cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum est idoneus ad videndum seipsum.* cùm præcipuum speculum ad videndum Deum sit animus hominis intuens seipsum; quod etiam Plato in Alcibiade primo asseruit, dicens: *Si teipsum ignoraueris, Deum per omnem vitam nescies.* Præterea si perfectè seipsum nouerit homo, sui finis vltimi notiam acquiret; Etenim humanum animum immortalem ac sempiternum noscens, illius quoque finem æternum, & infinitum esse intelliget, vt summum hominis desiderium expleatur. Ita inquit Diuus Boetius prosa quarta secundi libri: *Quid igitur ò mortales extra petitis, intrà vos positam fœlicitatem? ostendam breuiter tibi summæ cardinem fœlicitatis, est ne aliquid tibi teipso preciosius? nihil inquies, igitur si tui compos fueris, possidebis quod neque amittere velis, neque fortuna possit auferre:* Rursus homo seipsum noscens, in reliquarum omnium rerum cognitionem deuenit; sicut enim homo epithome est atque compendium creaturarum omnium extrà hominem existentium, ita suiipsius notitia cęterarum omnium scientiarum summa est, & epilogus, ita inquit Proclus Platonicus, principium totius Philosophiæ præcipuum, atque firmissimum, arbitramur naturæ nostræ cognitionem, & ipsemet Plato in libro de Philosophia aiebat, *Ridiculum puto cum meipsum ignorem*, aliena perscrutari velle, immo verò Diuus Bernardus in libro secundo de consi-

deratione idem sentiens dixit: *A te tua consideratio inchoet, ne frustrà extendaris ad alia te neglecto.* Demum ex suiipsius cognitione humilis efficitur homo, & mansuetus, nam cum plurium erratorum pondere oneratum humanus animus se noscat, clamare certè cogitur: *Sana Domine animam meam, quia peccaui tibi.* Ita astruit Diuus Bernardus sermone 36. super Cantica canticorum, cum inquit: *Vtilis est suiipsius cognitio, quia non inflat, sed humiliat.* O præclaram & omni laude dignam suiipsius notitiam; Hæc, mehercule, nostræ salutis est initium, hęc dux sanctitatis, hæc auriga fœlicitatis, tu ò sanctissima cognitio, omnium vitiorum expultrix es, omnium morborum medicina, omnium afflictionum solatium, omnium prauorum affectuum temperamentum, tu vanos hominum timores depellis, spem inanē detrudis, carnis illecebras exturbas, honorum deprimis ambitionem, auri sitim extinguis, gulæ voraginem claudis, libidinum ardorem refrigeras, omniumque turpitudinum gurgitem aufers. Hac denique auditores humiles efficimur, hac reliquarum omnium scientiarum periti euadimus, hac Deum Opt. Maximum noscimus, noscentes amamus, amantes possidemus, & possidentes suauissimè illo fruimur, quod faxit Deus, qui est benedictus in sæcula.

LECTIO LII.

Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.



Rosequitur Sponsus Christus suum inceptum sermonem, sponsamque Ecclesiam, quàm in superioribus verbis affatus est, hic alloqui pergens, & amicam appellans, equitatui suo in curribus Pharaonis eam se assimilasse, inquit, *Equitatui meo in, &c.* Et quàmquàm hæc verba cùm iàm dictis à nobis & explicatis non multum cognationis habere videntur primo intuitu, veruntamen si diligentiùs perpendantur, & hæc ad illa, & illa ad hæc satis congruenter aptantur, imò verò maxima inter se coniunctione nectuntur; etenim pręterquàm quòd nec dramatis ordo hic mutatur, nec noua efficitur scena, cùm eædem, quæ primò aderant personæ Christus nimirum, & vniuersa eius Ecclesia, in huius cantici Theatro remaneant (sub pulcherrima tamen, non pastoris amplius, & gregis, at sponsi, & sponsæ metaphora) ipsorummet, etiam verborum sententiæ suauissimum concentum efficiant;

Quan-

Quandoquidem in ſuperioribus verbis poſtquàm Chriſtus ſuæ ſponſæ quicquid petierat cumulatè impertitus fuit, illam inter mulieres pulcherrimam appellans, quæ abſque his ſeptem gratiis, in quibus à ſponſo voti compos effecta eſt, turpis erat, atque deformis; auſtera quadam comminatione ipſius ſponſæ animum ad ſuiipſius cognitionem excitauit, nè fortè ſi poſt receptas à Deo Optimo Maximo gratias, iterum ſe ignoraret, in plura, & periculoſiora incideret incommoda, quàm in Paradiſu terreſtri inciderit, vbi in tàm magno poſitam honore, ſeipſam primum non intellexit: hic verò quoniam ſponſa Eccleſia ſi iterum, ac ſecundò ſe ignorare ſibi contigiſſet, ab huiuſmodi ignorantia ſe excuſare aliqua ex parte potuiſſet, inquiens: ò mi cariſſime ſponſe, & quæ ſum ego mulier imbecilla, parùm ex meipſa firmamenti ac virium habens, vt tot carnis illecebris, tot mundi inſidiis, & tot dæmonis laqueis irretita, meipſam cognoſcere queam, quid ſim? quæ ſim? & qualis ſim? In Paradiſu quoque terreno pulcherrima eram, & Dei gratia præmunita, ipſius tamen ſerpentis aſtutia decepta, non intellexi, neque meipſam noui: at iumentis inſipientibus comparata, ſimilis illis effecta ſui. Nunc igitur ò mi ſponſe, etſi iterum ex tui gratia omnium mulierum pulcherrima ſum, attamen ſub peccati lege captiuam, & huius carnis laſciuientis ergaſtulo addictam, meipſam cognoſcere valde laborioſum mihi eſt. Quare ſponſus huic quaſi tacitæ oppoſitioni ſibi à ſponſa obiectæ ſatisfaciens, in his verbis inquit, nequaquàm res ita ſe habet, ò ſponſa, & amica mea, ſed fortis es, & multum roboris habens, atque virtutis, qua omnibus tuorum hoſtium telis igneis extinctis, cunctiſque rerum mundanarum voluptatibus neglectis, intrà teipſam redire, & te facilè cognoſcere poſſis: nam *Equitatui meo*, qui robuſtus eſt & inuictus, *in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.* ac ſi dicat, ò ſponſa mea Eccleſia non eſt quòd carnis, mundi, ac Dæmonis afflictionum impetum, ac tyrannidem amplius timeas, quò minus teipſam noſcere queas, nam carnem ego factus homo repreſſi, ego vici mundum, ego Dæmonem debellaui, & tali te robore in cœlum conſcendens tantaq; fortitudine præmuniui, vt omnes, ac ſingulos tui meique nominis hoſtes non minori, imò verò longè maiori virtute expugnatura ſis, quàm equitatus meus, hoc eſt Iſraheliticus exercitus, Pharaonis currus, ſeu potius Pharaonem, & exercitum eius in mari rubro proiiciens ſuperarit. Hęc eſt auditores germana (vt ego exiſtimo) horum verborum interpretatio, ſi cùm iàm dictis, & explicatis hęc aptè congruere velimus. Et quid ſi dixerimus (vt alteram proponamus horum verborum expoſitionem) ſponſum Chriſtum in his verbis ſponſam Eccleſiam, quid ipſa ſit docere? in antecedentibus enim auſtera quadam commina

tione, ipsius sponsæ animum ad suiipsius cognitionem excitarat, inquiens: *si ignoras te ò &c.* & quoniam huiusmodi cognitionis perfectio in his tribus consistit, vt scilicet homo cognoscat quid ipse sit in natura; quis in persona, & qualis in moribus (vt satis superque suprà docuimus) hinc profectò est, vt de his tribus Christus ecclesiam suam commonefaciat, & hic potissimum quid ipsa sit in natura ostendat, dicens: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*; ac si dicat, noscas amica mea teipsam, & scias te non esse equum, qui corpus est caducum: at equitem & sessorem, qui est animus immortalis, sicuti namque homo ex corpore constans & animo, non corpus est, sed animus, ita eques ex equo compactus & sessore, non equus est, at sessor; quod vt manifestius percipiamus, Prophetæ Iob verba quæ cap. 39. leguntur, in memoriam reuocare debetis, & hæc sunt: *Deridet equum, & ascensorem.* Quæ sanè verba D.Gregor. explicans, inquit: *Equus est corpus uniuscuiusque animæ sanctæ, quod scilicet ab illicitis fræno continentiæ restringere nouit, & rursum charitatis calcaribus in exercitatione boni operis relaxare: equitis uerò nomine anima sancti viri exprimitur, quæ iumentum corporis sibi subiectum recta ratione regit & gubernat.* Inquit igitur sponsus Christus: ò sponsa amica mea, si quid ipsa sis in natura noscere cupis, equitatui meo seu equitibus, non equis, aut iumentis me te comparasse scias; tu certè ex tuiipsius culpa ab ipso mundi exordio, teipsam non intelligens, comparasti iumentis insipientibus, & similem illis te effecisti: at ego ex dono gratiæ, non amplius iumentis, sed equitibus meis te assimilaui, neque enim hoc corpus es sensile, & mortale, sed animus, qui spiritus est & immortalis. Verum antiquiorum interpretum, & recentiorum explicationes audiatis; Origenes enim & Diuus Hieronymus arbitrantur, hæc Christi verba cum antecedentibus ita connecti, vt cùm superius Christus sponsus pulcherrimam sponsam nuncuparit, & austera quadam comminatione, ipsius animum ad suiipsius cognitionem excitarit, hic rationem afferat, cur illam inter mulieres pulcherrimam appellarit, & modum quo debeat seipsam noscere proponat, ac si dicat: si vis intelligere amica mea, quomodo debeas te cognoscere, nosce cui te comparauerim, & tunc talem te esse videbis, quæ non debeas deturpari, cùm tuam cognoueris speciem; nam quantum differt equitatus meus, qui sum dominus, ab equitatu Pharaonis, quem ego, & equos illius, & currus in fluctibus demersi, tanto melior es tu sponsa omnibus mulieribus, quæ non sunt ecclesiasticæ, & adhùc in ecclesiæ gremium non sunt receptæ: Hæc doctissimorum virorum interpretatio, maxima quidem cum verbis antecedentibus copula nectéretur, si illa duo quæ isti dicunt, hic fierent;

rent, verùm nec ſponſæ pulchritudinis rationem, nec ſuiipſius notitiæ modum à ſponſo hic proponi cenſeo, dum ſponſam equitatui ſuo ſe comparaſſe dicit; quandoquidem nec pulchritudo per equitatum, in curribus Pharaonis, ſed fortitudo myſticè deſignatur, cùm non pulchritudinis, at fortitudinis, celeritatis, & conſtantiæ indicium ſit equus; nec ſeipſam vnquàm cognoſcet, ſi Chriſti equitatui ſe comparari nouerit, imò verò tunc potius ſe ignorabit, cum ex ſuiipſius ignorantia olim comparata fuerit iumentis inſipientibus, & ſimilis illis effecta. Diuus Gregorius etſi non allegoricè de eccleſia, at tropologicè de anima Chriſti ſponſa, hæc verba interpretatur, attamen per equitatum Chriſti ſponſi, ſanctam animam ipſius amicam, & per Pharaonis currus, dæmonis tentationes, & omnia ipſius animæ errata in Baptiſmatis fonte extincta myſticè intelligens, ita explanat: comparat hic Chriſtus amicam ſuam ſuo equitatui in curribus Pharaonis, quoniam cum in antecedentibus verbis illam redarguerit, quòd nimio afflictionum feruore nigra effecta, vehemẽter ſe cruciari conquereretur, neſciens ſe à ſuo ſponſo Chriſto in tentatione non poſſe vlla ratione deſeri; hoc in loco Iſraheltici populi exemplo, quem currus Pharaonis inſequebantur, ipſam admonet, vt ſi ad illam beatam terram, in qua cum ſponſo delectetur, peruenire cupiat, fortis ſui inſtar equitatus, in tentationibus perſeueret. Nam ſicut equitatus Iſraheliticus de Aegypto fugiens, Pharaonis currus in mari demerſos reliquit, nec tamen in terram ſibi promiſſam ſtatim intrauit, ſed primum multas tentationes in eremo quadraginta annis ſuſtinuit, multos reges multis laboribus expugnauit, & tandem, quod promiſſum ſibi fuerat, laborioſè acquiſitum ſuſcepit, ita ſanctam animam ſponſi amicam huic Chriſti equitatui ſimilem effectam, primùm in Baptiſmate omnia peccata ſua extinguere oportet, mox verò in hoc ſæculo viuentem, imminentia vitia, quaſi reges alienos proſternere, vt tandem ad beatam illam terram cœleſtem cum ſponſo perueniat. Beda venerabilis eadem qua D.Gregor. horum, & antecedentium verborum copulatione vtens, non tamen tropologicè de anima, ſed allegoricè de vniuerſa Dei eccleſia ita exponit: ſuo equitatui, quem vocat exercitum filiorum Iſrahel, quos de ſeruitute Aegyptiaca liberans per mare rubrum eduxit in locum deſertum, & in terram olim promiſſæ hæreditatis introduxit, Eccleſiam ſuam Chriſtus aſſimilauit, quam ſibi per aquam regenerationis fecit amicam; nam ſicut Iſraheliticus populus ſuperuenientibus Pharaonis currib. multo quidem terrore perterritus eſt: at cœleſti protectione ſeruatus, ita eccleſiam catholicam inter minas hoſtium perſequentium Dei præſidio ſemper confidere docet, quippe qui ſemper illam inter aduerſa protegit & defendit. D.Bernardus geminam

explica-

explicationem hæc sponsi verba habere posse ostendit, & prior huiusmodi est. Vbi sponsæ præsumptio dura & austera interpretatione in superioribus verbis repressa est, ne tristior remaneret, bona illi aliqua quæ iam acceperat hic ad memoriam reducuntur à sponso, dùm inquit: *Equitatui meo in &c.* & dum subiungit: *Pulchræ sunt genæ &c.* aliqua verò, quæ nondum acceperat, illi promittuntur, cum ait: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* ac si diceret, Christus sponsus, quòd tibi durè locutus sum amica mea, nulla in me tibi suspicio sit odii, vel offensæ, nam amoris in te mei signa sunt illa munera, quibus te hucusque ornaui, & in posterum quoque cohonestabo: nam primum quidem, *Equitatui meo, &c.* te assimilaui amica mea, liberando vtique te à iugo peccati, mortificatis vniuersis operibus carnis, sicut ille populus liberatus est à seruitute Aegypti submersis Pharaonis curribus. Posterior autem interpretatio hæc est: sponsus in his verbis suam sponsam quæ vbinam ipse pascat, & cubet in meridie diuinæ claritatis sibi indicari in superioribus verbis implorauit, blandè consolatur, & ait: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* hoc est non ęgrè feras te modò non accipere quòd postulasti, nam prærerquàm quòd magna à me iàm accepisti, cum equitatui meo te comparauerim, maiora quoque horum accipies, si in præceptis meis ambulaueris, quandoquidem: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Hugo Card. duas itidem proponit horum verborũ interpretationes, in quarũ altera idem asserit quòd Diuus Gregorius, & Beda venerab. asseuerant, Christum nimirum ecclesiam amicam suam hic admonere, nè timeat se deseri in medio persecutionum, quoniam assimilauit eam equitatui suo, hoc est Israhelitico populo, quem à curribus Pharaonis liberauit, ipsis in mare submersis. In altera verò priori D. Bernar. expositioni fauent inquientes, quia non vult Dominus sponsam ignorare seipsam, ideò post austeram illam comminationem blanditur ei, ostendens cuinam illam assimilauerit, & ait similem eam se fecisse populo Israhelitico, vt quemadmodum ille dum in medio Aegyptiorum fuit, ab illis affligebatur, sic tu ò sponsa dùm es in medio filiorum matris tuæ, necesse habes pati similem afflictionem; sed tandem sicut illi in mare rubrum demerguntur, & populum suum de seruitute Aegyptiaca Deus liberauit, sic te de manu hostium persequentium eripiet. D. Thom. Haymon, & Iacobus Valentinus absque vlla istorum, & antecedentium verborum coniunctione ita interpretantur: equitatum suum appellat exercitum filiorum Israhel, cui sponsus Christus assimilauit amicam suam; sicut enim ille populus per mare rubrum seruatus est, Pharaone demerso, ita gentium ecclesia per baptismum de diaboli seruitute erepta, in veram repromissionis terram, & euangelicam li-

bertatem introducta est, ita vt quæ erat vitiorum ancilla, facta sit Christi amica, & quæ nigra erat & turpis, candida facta sit & pulchra inter filias Hierusalem: Nonnulli demum recentiores interpretes hæc Salomonis verba ita explicant, cùm sponsus suam sponsam ingenti solicitudine liberasset, indicans illi viam & rationem, qua cùm magnis premitur malis, recta possit ad ipsum confugere, & meridiani æstus incommoda vnà cum suo grege euitare, in his verbis vt eam magis confirmet, & ad perferendas hostium iniurias ardentiorem reddat, magnis se illam rebus destinasse ostendit, & ipsius opera ad vniuersos hostes, à quibus impugnanda sit, debellandos ac superandos vti decreuisse, & hac de caussa suo illam equitatui in curribus Pharaonis, hoc est, equis suis curribus iungi solitis, & à Pharaone ex Aegypto comparatis se assimilasse dicit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis &c.* Quemadmodum enim Salomon Rex Hebræorum III. generosos equos habuit ad debellãdos hostes & deuincendos, si qui bella mouerent, ita Christus suam sponsam, & amicam Ecclesiam rei militaris peritia, omnique ornatu bellico adeò instruxit, vt eius opera, cunctos qui sibi, & illi iniuriam inferre audeant, facilè expugnet ac superet. Verum licèt omnes horum interpretum expositiones aliqua ex parte aut ad dicta, aut ad dicenda accommodari posse videantur, nullam tamen esse existimo, quæ cùm illis, & istis, optimè quadret, nisi eam, quàm nos primo loco attulimus, & comprobauimus: Hoc autem vt Sole lucidiùs appareat, nonnulla in sequenti sermone declarabimus; nunc satis sit duabus nos interpretationibus hæc Salomonis verba explanasse, vos ingeniosi vtram velitis, at aptiorem seligite.

LECTIO LIII.

Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.



GEMINAM in superiori lectione horum verborum interpretationem attulimus, & vobis si rectè has memoria retinetis, vtram uelitis eligendi potestatem optionemq; fecimus; arbitror autem priorem vos solerter delegisse, quippe quæ posteriori explicatione aptior est, & cum dictis & dicendis congruentior: reliquum modò est, vt his equitatus & curruũ, seu equorum & quadrigarũ metaphoris recta quidem ratione Salomonem hic vsum fuisse demõstremus, vt sub typo liberationis Israhelitici populi de captiuitate tàm Aegyptiaca, quàm Babylonica omnium Christi fidelium libertatem atque victoriam, quam Christus & ipsius sponsa ecclesia, de Diabolo, mũdo, morte, pec-

te,peccatoque reportaturi erant,nobis significaret; & sanè vt hinc exordiar, nullus extat Propheta, qui has Christi, & Christianorum victorias mysticè describens his iisdem metaphoris historicè non vtatur,ita Moses in suo Cantico quod Exod.cap.15.habetur,hoc describit:*Cantemus Domino,gloriosè enim magnificatus est,equum,& ascensorem,currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare.*Ita 4.lib.Regum c.6. describitur: *Et ecce mons plenus equitibus erat, & currus ignei in exercitu Elisæi qui descenderant ad eum.*Ita Dauid in Psal.19.*Hi in curribus,& in equitibus, nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus,ipsi obligati sunt, & ceciderunt,nos autem surreximus,& erecti sumus;* & in Psal.67.*Currus Dei decem millia multiplex millia lætātium,dominus in eis in Syna,in sancto;*Ita Abacuc cap.3.*Qui ascendes super equos tuos,& quadrigæ tuæ saluatio,suscitans suscitabis arcum tuum,iuramenta tribubus,quæ locutus es.*Ita Zacharias c.10.*Visitauit Dominus exercituum domum Iuda; & posuit eam quasi equum gloriæ suæ in bello.* Ita demum hoc describit D.Ioannes in Apocalypsi ca.6.*Et vidi,& ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum,& data est ei corona,& exiuit vincens, vt vinceret.* Quæ verba Beda venerab.interpretans, inquit: *Ecclesiæ quæ super niuem dealbata est dominus præsidet, & spiritualis doctrinæ contra impios arma ferens,victor coronam accipit.*Quamobrem per hunc equitatum in curribus Pharaonis,cui suam sponsam sponsus se assimilasse dicit, etsi Iudaicū exercitum Pharaonis quadrigas in mare rubrum subuertentem,Prophetā Salomon historicè designat, mysticè tamen ecclesiæ robur ac fortitudinem indicat,qua Christiani nominis hostes in baptismatis aquis ac cæterorum sacramentorum submergit,ac superat,ita astruunt Origenes,D. Hier.D.Greg.Beda venerab.D.Bern.Vgo Card.D.Thom.Haymon,& Iacobus Valent.neque sum inscius,nonnullos esse recentiores interpretes,qui Salomonem per equitatum suum in curribus Pharaonis,cui amicam suam se comparasse inquit,historicè subindicare velle astruant, non exercitū Israheliticum Pharaonis currus in mare rubrum olim subuertentē,quēadmodum nos ex tot patrū auctoritate interpretati sumus,sed generosos illos equos designare putant,quos à Pharaone ex Aegypto cōparatos,& ingenti pecunia emptos,Rex Salomon suis currib.iungere solebat,pro debellandis hostibus,si qui bella aduersus eū mouissent,quēadmodum ca.10.3.lib.Regum habemus:*Congregauit Salomon currus,et equites,& facti sunt mille quadringenti currus,et duodecim millia equitū;* & paulò infrà legimus: *Educebantur equi Salomoni de Aegypto, & de Coa,& statuto pretio perducebāt,egrediebatur enim quadriga ex Aegypto sexcentis siclis argenti,et eques centum quinquaginta;* neq; me ēt latet nō vnum,& eūdē,sed plures & diuersos sensus mysticos hæc verba Salomo-

 nis re-

nis recipere, iuxta varias sanctorũ patrũ interpretationes. Orig. enim D. Hier. & cæteri omnes, quos nuper cõmemorauimus, per Salomonis equitatũ, quẽ Israheliticum exercitũ historicè interpretantur, iustorũ animas mysticè intelligunt, quę frænum disciplinæ sanctioris accipiunt, iugumq; suauitatis, quę ab ipso domino nostro Iesu Christo proficiscitur, portãt, eiusq; spiritu se regi patiunt, sicuti per Pharaonem Dæmonẽ, & per eius currus aereas potestates, & damnatorũ animas apud inferos, quę sũt sub spiritalis Pharaonis dominio, iuxta mysticam intelligẽtiã exponit, & hoc ita probant: *Equi Domini sunt animę iustorũ, nam equorum instar, dorsum suum incuruatũ detinent, vt super se suscipiant sessorem Christum, & frana eius patiantur, & quocunq; ipse voluerit flectat eos suorũ præceptorum habenis: currus aũt Pharaonis sunt aereę potestates, & impiorũ animę, quib. Diabolus tanquam currib. vtens, exagitat, & impugnat vel ecclesiam Dei, vel singulos quosq; fideliũm.* Nonnulli verò recentiorũ per equitatũ sponsi in curribus Pharaonis per quẽ Salomonis Iudęorũ regis equos & quadrigas vt dictũ est historicè designant, Apostolos, Euangelicosq; cõcionatores mysticè intelligunt, quibus quasi equis insidens Christus, per vniuersum orbẽ inuehitur, eorumq; promulgatione magna cũ suę diuinitatis maiestate, omnibus gentib. innotescit, quas sanè veritatis sagittis confixas per eosdem Apostolos, & Apostolicos viros, suæ ditioni subiicit, quod quidẽ hac leuiratione confirmant. Salomon hoc loco assimilat equis, & curribus suis, quos ipse ex Pharaone ingenti pecunia cõparauerat, Apostolos sanctos, reliquosq; euãgelii prædicatores innumeros. Sicuti.n. magnus fuit illorũ numerus equorũm, ita magnus fuit numerus euangelii Prædicatorũ, & sicut equi Salomonis ex Aegypto adducti fuerũt, & magno pretio empti sita, & Apostoli, & strenui Euangęlii Prædicatores, ex peccatorum angustiis, & præsenti sæculo nequã, quasi ex Aegypto adducti sunt, & magno precio nõ auri, aut argenti, sed precioso sanguine Agni immaculati à Diabolo empti, qui misticus est Pharao, & ad debellandos hostes Christi, qui plus quã Salomon est, comparati. Verũ etsi vtraq; horũ interpretum tã priscorum, quàm recentiorum explicatio, quò ad historicũ sensum sustineri põt, hanc tamen recentiorum expositionẽ non satis tutã existimo, qñquidem vt in præludiis ex vno omnium catholicorũ patrũ consensu adnotauimus, Salomon Propheta in his Canticis cantic. nõ in sui sed Christi persona loquitur; cũ igitur inquit: *Equitatui meo*, nõ Salomonis Iudęorũ Regis equos designat, sed mystici Salomonis Christi equitatũ. i. populũ Israheliticũ, q. est exercitus Dei, intelligit, quippe q. Pharaonis currus ĩ mare rubrũ submersit; at neutrã si rẽ mysticè ꝓpẽdamus, neutrã inquã ex his duab. interpretationibus approbandã existimo, hæc nãq; Salomonis verba: *Equitatui meo &c.* nec medium quidem vnguẽ cũ iàm

dictis

dictis congruerent, si tàm vno quàm altero modo explicarentur. Quare sicuti per Pharaonis currus omnes ac singuli Christi, & Ecclesię hostes mysticè designantur, siue sit Dæmon, siue caro, siue mundus, et ea quæ sunt in mundo, vt Iudæi, Tyranni, atque Hæretici; ita & per Salomonis equos ecclesiæ robur, & fortitudo symbolicè demonstratur, quæ non solum in Apostolis, & Apostolicis viris continetur, vt recentiores volunt interpretes, nec solum in animabus iustis, vt alii ferè omnes exponunt, sed & in scuto fidei, & in galea salutis, & in gladio Spiritus, quod est verbum Dei, immo verò & in sacramentorum telis, orationum sagittis, & sacrarum Scripturarum, Oecumenicorumque Conciliorum, vt ita dicam, ferramentis consistit. *Equitatui meo in curribus Pharaonis, &c.* ac si dicat ne formides amica mea, neque animo commouearis, si tot tantisque tuorum hostium afflictionibus cruciaris: nam in curribus, seu potius in currus Pharaonis qui est Diabolus abs te subuertendus, equitatui meo te assimilaui: hoc est tali tantoque corporis robore, animique fortitudine te muniui, vt omnes mihi, & tibi aduersantium impetus non dicam retardare, at prorsus frangere queas: & me herculè auditores, si apud antiquos Aegyptiorum sacerdotes equus præcipuum erat belli signum, vt ex clarissimo Maronis testimonio comprobatur, inquientis,

Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

Et ob hanc caussam Marti bellorum præsidi Idib. Decembr. equus immolabat; quà pulchriori aptioriue metaphora ad Ecclesiæ robur, & fortitudinem pro suis debellandis hostibus designandam, quàm Christi equitatus similitudine vti poterat Propheta Salomon? inquiens: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*. Verùm, quoniam varia equorum genera seu diuersis potius titulorum notionibus sociata in Scripturis sanctis reperiuntur, vt Genesis cap. 49. equus nuncupatur velox, & leuis. Apocalypsis cap. 6. equus albus, & cap. 17. equus albus, & sedens super eum, & Habacuc cap. 3. & Zachariæ ca. 1. equus rufus; inde factum est, vt varia quoque mysteria mysticè nobis designent; aut Christi carnem, cuius eques est anima perfectè beata; aut præmonstrat animam, cuius eques est natura diuina; aut vtramque simul naturam, cuius eques est verbum Dei, vt interpretantur sancti patres, & potissimum Origenes hom. secunda super Cantica canticorum: Diuus Hieronymus super Isaiam cap. 66. super Habacuc 3. & super Zachariam primo, & Diuus Ambrosius in libro de benedictione Patriarcharum cap. 7. Dicitur autem Christus equus velox, propterea quod *Exultabit ut Gigas ad currendam uiam*. dicitur albus, quia *Peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*. & tandem dicitur rufus, quia

Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Neque vos ignorare arbitror Zachariæ cap. 1. 6. & 14. assignari equos albos, nigros, rufos, & varios, qui iuxta varias sanctorum Patrum mysticas intelligentias, aut virgines, & pudicos homines indicant, vt equi albi, aut Monachos, & Cœnobitas in Heremis vitam degentes, vt equi nigri, aut Christi martyres, qui pro testamento Dei sanguinem suum fuderunt, vt equi rufi, aut demum Apostolos, & Apostolicos viros Euangelii Prædicatores, vt equi varii: ita enim explicat D. Hieronymus super Zachariam: ibidem D. Augustinus libro 18. de ciuitate Dei cap. 32. D. Gregorius 31. libro Moralium cap. 12. 17. 18. & Rupertus Abbas super Zachariam capite sexto. Prætereo nunc, tanquàm vobis ferè omnibus notos tres illos equos, de quibus apud D. Ioan. in Apocalypsi cap. 6. legimus, quorum vnus rufus erat, alter niger, & tertius pallidus; qui quidem vt placet Diuo Augustino hom. 5. super Apocaly. tria malorum genera designant, bella nimirum, famem, & pestem, quæ in fine mundi grauiora erunt; & quid si dixerimus, illos quinque equos, qui vt 4. Regum cap. 7. habetur, tempore famis remanserant in Samaria, quinque Moisis libros symbolicè designare? Plura equidem auditores, de mysticis ipsius equi significatis adhuc dicerem, nisi vos tedio afficere dubitarem; nam & Angeli boni, & sanctorum animæ, & rectæ intentionis præparatio, immò verò, & dignitas temporaria, & peccatores, & dæmones, & hostes omnes qui nos persequuntur, equorum nomine à Prophetis sanctis symbolicè exprimuntur. Et primum equi dicuntur Angeli, propter celerem eorum obedientiam, qua diuinis iussis obtemperant; aut equi Angelorum quoque præsidia designant, quibus homines tuentur, vt videre est quarto libro Regum cap. 6. Isaiæ 66. Zachariæ primo, & sexto, & Habacuc tertio, vbi legimus: *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum*: nam Deus mittit Angelos suos in huius sæculi mare, vt turbent aquas multas, id est dæmones, & contrarias potestates deterreant, & disperdant. Ita asserunt D. Dionysius in libro de cœlesti hierarchia cap. 15. & D. Hieronymus super Isaiam capite 66. Rursus animæ sanctorum nuncupantur equi, sicut placet Diuo Hieronymo illud Habacuc cap. 3. interpretanti: *Qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio*: inquit enim, quæro equos super quos ascendit Dominus, & puto non esse alios, nisi sanctorum animas, super quas sermo diuinus ascendit, vt & ipsas, & alias per eas saluet. Præterea rectæ intentionis præparatio equi nomine significatur, quemadmodum Prouerbiorum cap. 21. inquit Salomon: *Equus paratur in diem belli sed dominus salutem tribuit*. Nam, vt D. Gregorius ait 31. libro Moralium ca. 18. rectus quidem animus contra tentationem se præparat;

parat: at nisi desuper adiuuetur, salubriter non decertat. Necnon temporariam dignitatem per equum intelligi posse edi scimus ex 10. cap. Ecclesiast. aientis: *Vidi seruos in equis, & principes ambulantes, quasi seruos super terram*. Ita exponunt Diuus Gregorius ibidem, & Diuus Augustinus super Psalmum 32. Equus etiam peccatores indicat, & sensus corporis; & lubricam luxuriantium hominum vitam, cuius sessor, & eques est dæmon, tùm iuxta illud Hieremiæ Prophetæ dictum cap. 5. *Equi amatores, & emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui inhiabat*. tùm iuxta illud Dauidis in Psalmo 146. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit*. Ita enim hæc Sanctorum prophetarum verba mysticè explanant Clemens Alexandrinus secundo libro Pædagogi cap. nono, Diuus Hieronymus super Zachariam cap. 10. & super Psalmo 146. & Diuus Gregorius libro 31. Moralium cap. 18. inquientes: putamus equos esse peccatores homines, & equites dæmones qui equitant in eis, vt bonos suarum tentationum lancea percutiant. Quinimmò Dæmones non solùm equites sunt, verùm etiam equi nuncupantur à Dauide in Psalmo 19. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur*. quæ verba Origenes hom. 15. super Iesum Naue exponens, vnà cum Diuo Hieronymo super Amos cap. sexto, & cùm Ruperto Abbate super Apocalypsi cap. 9. inquit, dæmones equi veloces dici possunt, quia veloces sunt, vt hominibus noceant. Et tandem equi nomen ad omnes hostes, qui Christi ecclesiam persequuntur mysticè aptatur, siue dæmones sint, siue tyranni, siue iudæi, siue hæretici, siue hypocritæ, vt in Cantico Mosis, quod Exodi cap. 15. legitur satis apertè habemus in illis verbis, *Equum & ascensorem proiecit in mare*. quo loci doctissimus Origenes hom. 6. dicit: *Homines qui nos insequuntur equi sunt, & horum ascensores sunt Dæmones*. quod etiam affirmarunt Diuus Hieronymus super Isaiam cap. 30. super Hieremiam cap. 12. & super Zachariam cap. 14. Diuus Augustin. hom. 5. super Apocalypsi, & Beda Venerabilis super Exodum cap. 15. Verùm Propheta Salomon in hoc loco per Christi equitatum, cui suam sponsam Ecclesiam sponsum Christum assimilasse inquit, ipsiusmet Christi & Ecclesiæ robur, ac fortitudinem allegoricè designat, qua Pharaonis currus, qui sunt omnes Christi fidelium persecutores, debellat ac superat, vt astruunt D. Hieronymus super Isaiam cap. 66. & super Zachariam cap. 1. & sexto, Diuus Augustinus libro 18. de Ciuitate Dei cap. 32. Diuus Gregorius libro 31. Moralium cap. 12. Rupertus Abbas super Zachariam cap. sexto, & D. Bernardus super Cantica canticorum in hoc loco. Quamuis igitur equus in diuinis literis plura nobis illaque diuersa symbolicè designat, & Christi humanitatem, tàm

corpus videlicet, quàm animam, & beatos Angelos, & iustorum animas, & Euangelii prædicatores, & rectę intentionis præparationem, & dignitatem temporariam, & carnis lasciuiam, & demum hostes omnes, præcipuè verò dæmones, qui nos persequuntur, & tentant, constantiæ tamen, celeritatis, ac fortitudinis est indicium, quemadmodum non solum antiquiores astruunt Aegyptii, sed Aristot. etiam in Ethicis dilucidè probat, quippe qui virtutem in equo eam potissimum laudat, qua sit ad currendum, vehendumque hominem idoneus, & ad inuadendum expectandumque hostem minimè formidolosus. & libro sexto de Histor. animal. cap. 22. ait; *Equus est animal aptum ad bellum, & cursum.* Hinc Galenus in libro de Partibus, præualidum animal, & generosum equum appellauit, quod legimus etiam apud Maronem de equo dicentem:

Generosus pullus in aruis.

Ego verò illud duntaxat commemorabo, tempore quo Probus Imperator Alanos populos sibi subiectos deuicit, equum in præda repertum fuisse, qui vt captiui attestabantur, centum ad diem passuum millia decurreret, & per octo vel etiam decem dies, vigore minimè fracto, perduraret. Sed quid Ethnicorum tot nunc recenseo auctoritates, si innumera ferè loca in Scripturis sanctis habentur, vbi à sacris Vatibus hoc idem comprobatur? vt Iudith cap. nono: *Non in equorum uiribus uoluntas tua est.* Vt in Psalmo 146. *Non in fortitudine equi uoluntatem habebit.* Vt Iob cap. 39. *Nunquid præbebis equo fortitudinem.* Vt Prouerbiorum cap. 21. *Equus paratur ad diem belli.* Vt Hieremiæ cap. 12. *Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis.* Vt tandem secundo libro Machabæorum cap. 10. *Sed cum uehemens pugna esset, apparuerunt aduersarijs de cęlo uiri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes.* Proponant igitur Græci pro fortitudinis indicio adamantem, quem lapidem ex ipso nomine ex natura rei imposito, gemmam indomitam appellarunt. Dicant Aegyptiorum sacerdotes Camelum, & Leonem roboris ac fortitudinis signa esse. Appellent gentes fortitudinem Herculis clauam. Nuncupent illam Hebræi Dauidis turrim, aut Salomonis templum; nos Christi fideles, Christi equitatum illam vocabimus, inquientes: *Equitatui meo in curribus Pharaonis &c.* O quàm fortis, & robustus est Christi exercitus, non peditum, at equitum militia, sicut enim equites nobilitate præstantiores, factis bellicis vtiliores, in expugnandisque hostibus fortiores sunt ipsis peditibus, ita Christi milites omni excellentiæ genere omnibus cuiuslibet exercitus militibus præstant, & sicut equi nobiles, & insignes, pedibus agiles esse de-

bent,

bent, dociles ad frænum, non humiles frontè, aspectu terribiles, & vocis sonitu hinnientes, ita & Christi fideles alatis pedibus instar Pegasi satagere debent, vt per bona opera certam vocationem faciant, iuxta illud Hieremiæ dictum cap. 4. *Velociores aquilis equi eius*, ad frænum quoque dociles, obedire debent Ecclesiæ præpositis, non tantum bonis, sed discolis etiam, iuxta illud quod in epistola D. Iacobi cap. 3. legimus: *Equis fræna in ora mittimus*. neque humiles fronte: at spe diuina erecti, tùm oculos, tùm animos in cœlum semper erigere debent, iuxta illud Apocalypsis cap. nono: *Capita equorum erant tanquam capita leonum*. necnon aspectu terribiles Christicolas esse decet, vt eos qui malè agunt durè increpent, iuxta illud Iohelis cap. 2. *Quasi aspectus equorum, aspectus eorum*. Et tandem vocis sonitu hinnientes Deum laudare, ac benedicere illos oportet: iuxta illud Dauidis in Psalmo 33. *Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*. Quippe qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum. O Christi equites splendidi & illustres, ò Christi equitatus maxime, & optime: *Equitatui meo in curribus Pharaonis, &c.* Verùm adhùc pulchriora de hoc Christi equo mystico, qui est eius ecclesia audite, nullum profectò est nobilis equi ornamentum, quo sancta Dei ecclesia non exornetur, habet enim obedientiæ frænum, quo Dei mandata, & prælatorum decreta custodit, & seruat, iuxta illud: *Obedientiam volo, & non sacrificium*. Habet phaleras aureas, quæ sunt exempla virtutum, quibus insignis ipsa relucet, iuxta illud: *Sic luceat lux vestra coràm hominibus, vt videant opera uestra bona*. Habet antilenam, qua munitur, & est sapientia prælatorum, iuxta illud, *In antiquis est sapientia*. Habet sellam cui Christus insidet, & est ipsius ecclesiæ potestas, de qua dicitur: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*. Habet et duo cingula, quibus sella cingitur, & sunt duo præcipua ecclesiæ Dei decreta, quorum altero, & est anterius cingulum, ad rerum spiritalium obseruantiam astringimur, altero verò, & est posterius cingulum, ad res temporarias custodiendas obligamur, iuxta illud: *Quęcunque dixerint uobis seruate, et facite*; habet deniq; strepas ex vtroque latere equi pendentes, & sunt obedientia mandatorum, iuxta illud: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Quare iure quidem optimo Rex & Propheta Salomon, Christi sponsæ ecclesię fortitudinem in suis debellandis hostibus nobis indicare volens, suo illam equitatui, sponsum Christum parabolicè assimilasse inquit, & quam hic equitatum vocat, paulò infrà terribilem, & castrorum aciem ordinatam appellabit, dicens: *Quæ est ista, quę progreditur, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Et hactenus de equis. Restat modò, vt de

vt de curribus Pharaonis, quorum metaphora, vt Christi fidelium hostes nobis significet Propheta, hic vtitur, aliquid dicamus; vt autem hinc exordiar, quàmmaximè accommodata est hæc à Pharaonis curribus desumpta metaphora ad ecclesiæ Christique persecutores designandos; & vt Sole clarius id appareat, varias ipsius currus significationes in diuinis literis frequenter a sanctis patribus, quinimmò, & in profanis à gentium populis pro diuersis rebus mysticè designandis vsurpatas primum proponam; Etenim currus apud gentium populos, cum Aegyptios, tùm Græcos, tùm etiam Latinos, & maritimæ victoriæ, & triumphi, & imperii aucti, & nuptiarum inditium fuisse legitur, vt videre est in commentariis Ioannis Pierii Valeriani libro 43. de sacris Aegyptiorum, & aliarum gentium literis; & sanè constat apud Romanos non solum, sed apud alias etiam gentes, currum triumphi significatum habuisse, quemadmodum victoriarum monumenta passim in nummis, in aris, in arcubus conspiciuntur, & ob id iis qui triumphassent, statuæ non solum, at statuæ in curribus ponebantur, quarum ornamenta (vt Titus Liuius narrat) hęc erant, corona aurea, sella curulis eburnea, eburneus scipio, toga picta, & palmata tunica: quòd verò currus maritimæ victoriæ sit indicium, cuiusdam nummi species nobis indicat, vbi M. Agrippa ob victoriam contra Sex. Pompeium, ab eo in nauali bello partam, currui cimbæ speciem præseferenti insistens conspicitur; sicuti iis, qui Pop. Rom. Imperium amplificassent, statuæ triumphales, hoc est statuæ in curribus dicabantur, necnon boni ominis caussa, & aucupandæ fœlicitatis affectatione institutum apud veteres erat, vt noua nupta curru vecta traduceretur, quo nuptiali curru, (vt Pausanias tradit,) tres tantum vehebantur, sponsa nimirum quæ sedebat in medio, sponsus, & Parochus, quem nos hodie annuli maritalis compatrem nuncupamus; at Patres sancti, naturæ non solum, sed fidei quoque alis altius ascendentes, de variis curribus historicè loquentes, præclariora ipsorum curruum significata mysticè tradiderunt: habemus enim in scripturis sanctis currum Dei, currum turbinis, currus militum igneos, currum Iosephi, currum Israhel, currum igneum Eliæ, currum Aminadab, currum Achab, quadrigas quatuor, & currum Pharaonis. De curru Dei legimus in Psal. sexagesimoseptimo: *Currus Dei, decem millibus multiplex millia lætantium, Dominus in eis in Syna in sancto:* qui quidem currus (vt ait Tertullianus libro de Trinitate) mysticè mundum significat, quem Angeli tanquam aurigæ mouent & regunt: Cui sanè opinioni non dicam Franciscus Petrarca, at Plato fauere videtur, cœlum volucrem Dei currum appellans, qui sanè non solum motu, sed lumine etiam in hæc agens inferiora omnibus esse
vitam-

vitamque largitur. De curru turbinis inquit Isaias cap. sexagesimosexto; *Quia ecce Dominus in igne ueniet, & quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem suum*. hic autem currus, vt Diuo Hieronymo placet in suis commentar. super Isaiam ibidem, Christi humanitatem indicat, cum venerit ad iudicium; sicut enim Dominus in solio sedere dicitur, quando iudicantis habitum induet, ita quando ad vindictam venit, vt debellet aduersarios suos, in habitu victoris ac triumphantis super currum ostenditur. De curribus militum igneis legimus 4. Regum cap. 6. nam cum Rex Syriæ equos misisset, & currus, vt Dotaim ciuitatem circundarent, Prophetamque Elisæum caperent, cum ille vir sanctus orasset, ecce mons plenus erat equorum, & curruũ igneorum in circuitu Elisæi; & hi currus ignei Angelos Dei milites designant, vt astruunt Diuus Dionysius in libro de Cœlesti hierarchia cap. 15. & Diuus Hilarius super Psal. 67. De curru Iosephi scribit Moses Genesis cap. quadragesimo primo: *Fecit Pharao ascendere Ioseph super currum suum, clamante præcone, vt omnes coram eo genua flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti, & vocauit illum Pharao saluatorem mundi*. O rem dignam & præclaram, per huiusmodi etenim currum sublime exprimitur Christi meritorum fastigium, quo nos vehimur in cœlum, vt opinantur Diuus Ambrosius in libro de Ioseph Patriarcha cap. 7. & Beda Venerabilis super Genesim cap. 41. Ego verò sacrosanctæ crucis lignum per hunc currum mysticè intelligi posse existimo, in quo mortem Christus patiens, imò verò moriendo mortem destruens, vitamque resurgendo reparans, maxima nominis sui cum gloria mundi Saluator appellatus fuit, *vt in nomine eius omne genu flectatur, celestium, terrestrium, & infernorum*, vt ait Apostolus Philippen. cap. 2. De curru Israhel dicebat Elisæus Propheta 4. Regum cap. 2. cum Helias in curru per turbinem ascenderet in cœlum; *Pater mi, pater mi, currus Israhel & auriga eius*. Et quamquam hic currus & auriga Israhel est ipsemet Helias, qui populum Israheliticum tunc temporis sanctissimè regebat, mysticè tamen est Christus Iesus, quippe qui Dux est, & currus, quo vehimur & ducimur in cœlum: vel etiam huiusmodi currus quemlibet Ecclesiæ præpositum, atque Doctorem significat, vt Diuus Gregorius ibidem in suis Commentar. ait, qui mores populi & per præsentiam sustinet, & sacri eloquii verbis docet: nam currus dicitur, quia tolerando portat, & quia mala sustinet, auriga verò, quia exhortando agitat, & quia populum bonis exhortationibus exercet. De curru igneo, quo vectus Helias ascendit in cœlum, fit mentio cap. 2. quarti libri Regum, vbi sic legimus: *Ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque*. hoc est, Heliam, & Elisæum; qui quidem currus deuota sanctorum desideria præmonstrat,

quibus

quibus tanquàm vehiculis igneis ipsi feruntur in cœlum, vt Diuus Gregorius ibidem interpretatur. De curru seu de quadrigis Aminadab meminit Salomon in Canticis cap. 6. cum inquit; *Anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab.* quæ verba Diuus Ambrosius in libro de Isaac cap. 8. exponens, inquit; *Per huiusmodi quadrigas intelligi corpus humanum, cuius auriga est animus, & quatuor equi currum trahentes, sunt quatuor præcipuę ipsius animi affectiones, ira videlicet, cupiditas, voluptas, & timor, quatuor ipsius corporis elementis quammaximè congruentes, vt terræ timor, aquæ uoluptas, aeri cupiditas, & igni ira: & sicut his corpus, ita illis humanus animus quotidie huc & illuc fertur, & trahitur.* De curru Achab persequentis sanctum Dei Prophetam Heliam, ipsemet Helias cap. 18. tertii libri Regum, ait; *Ascende & dic Achab, iunge currum tuum, & descende ne occupet te pluuia.* Et dæmonis potestatem indicat Christi fideles quotidie persequentis, & diris tentationibus affligentis. De quatuor autem quadrigis, de medio duorum montium egredientibus loquitur Zacharias cap. 6. dicens; *Leuaui oculos meos & uidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium.* Quinimmo rem manifestius explicans, inquit; *In quadriga prima equi rufi, in quadriga secunda equi nigri, in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi diuersi coloris, & fortes.* Sed audite rem pulchram, tres sunt harum quatuor quadrigarum interpretationes à sanctis Patribus variis in locis propositæ; etenim Diuus Augustinus libro 18. de Ciuitate Dei cap. 32. & Diuus Gregorius super Cantica canticorum cap. 6. has quatuor quadrigas quatuor Euangelistas designare putant, qui quidem de medio duorum montium, hoc est veteris ac noui Testamenti egrediuntur, quæ testamenta verè montes appellari possunt, cum vtraq; lex in monte tam Mosaica, quàm Euangelica data sit, iuxta illud Isaiæ cap. 2. inquientis; *Venite, ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Erant autem equi rufi primam quadrigam trahentes propter Diuum Matthæum Christi humanitatem præcipuè describentem, quæ propter nostram salutem in ligno crucis sanguine conspersa, rubra effecta est, vt ait Isaias cap. 61. Christum alloquens; *Quare rubrum est indumentum tuum?* Secundam verò ducebant equi nigri propter Diuum Lucam, Iesu Christi, qui mysticus vitulus est in ara crucis Deo patri oblatus, mortem acerbissimam promulgantem, *Cuius liuore*, vt ait Isaias cap. 53. *sanati sumus.* Tertiam equi albi vehebant, propter Diuum Ioannem qui, instar aquilæ per æthera volitans, Christi diuinitatem reuelat, *Qui candor est lucis æternæ*, vt inquit Salomon Sapientiæ cap. 7. *& speculum sine macula.* Quartam denique quadrigam equi varij trahebant, & fortes, pro-


pter

pter Diuum Marcum Christum Regem robustum, ac fortem nobis explicantem, de quo legimus in Apocalyp. cap. 5. *Vicit Leo de Tribu Iuda radix Dauid*. Alii verò per has quatuor quadrigas quatuor, variis equorum generibus vectas, quatuor præcipuos sanctorum gradus, seu ordines, qui sunt in Ecclesia Dei allegoricè intelligi posse opinantur, Apostolos nimirum, & martyres per equos rufos, virgines per albos, monachos & religiosos viros per nigros, & demum prælatos, & concionatores per varios equos & fortes; at Diuus Hieronymus in suis comment. super Zachariam cap. 6. has quatuor quadrigas quatuor illas principes mundi Monarchias tropicè significare existimat, hoc est Assyriorum, & Chaldæorum, Persarum, & Medorum, Macedonum, & Romanorum; nam equi rufi primam quadrigam vehentes sunt Assyrii, seu Chaldæi, cruenti homines & sanguinarii; equi nigri regnum Persarum, seu Medorum denotant, cum regius præco quadrigæ insidens, & egrediens, ex Assueri regis edicto, omnium Iudæorum mortem tristi nuncio pronunciarit; equi albi Macedones ostendunt, sub quorum rege Antiocho fœlicem Machabæorum victoriam legimus, cuius apud Romanos equi albi indicium erant; & tandem equi varii & fortes Romanos omnium populorum fortissimos designant, quandoquidem ex Romanorum Imperatoribus, quosdam in gentem Iudæam clementes extitisse legimus, vt Caium Cæsarem, Octauianum Augustum, & Claudium; alios autem crudeles, vt C. Caligulam, Neronem, Vespasianum, Titum, & Hadrianum; verum præter hæc tot tantaque curruum significata, quæ passim in scripturis sanctis leguntur, vnum adhuc restat, quod per Pharaonis currus mysticè nobis significatur, de quibus tum Exodi cap. 15. tum in Canticis Canticorum cap. primo fit mentio, ibi namque cecinit Moses: *Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.* hic verò Salomon inquit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* Et hi sanè currus quoad mysticam eorum intelligentiam, omnes Christi Ecclesiæque inimicos indicant, siue sint praui animi affectus, siue caro, siue mundi superbia, siue Iudæi, siue Tyranni, siue Hæretici, siue etiam Dæmones: ita asserunt Origenes super Iesum Naue hom. 15. Grego. Nyssenus de vita Mosis, Diuus Hieronymus super Habac. cap. 3. & super Isaiam cap. 21. Diuus Augustinus super Psal. 9. Diuus Gregorius super Cantica Canticorum cap. 1. Beda Venerabilis super Exodum c. 15. Rupertus Abbas ibidem, & Diuus Bernardus sermone 39. super Cantica Canticorum. O quàm validi sunt hi currus, quàm volucres sunt hæ quadrigæ, currus Pharaonis, quadrigæ Diaboli; currus qui vehuntur à carne, & peccato, quadrigæ quæ trahuntur à mundo, & dæmone; nec vllo vnquam tempore, aut timore, aut pudore retardantur, quin omni impetu,

petu,omnique pernicitate in Ecclesiam Dei ferantur, vt illam vexent, affligant,& crucient,nunc prauorum affectuum iaculis,nunc carnis illecebris, nunc mundi insidiis, nunc Iudæorum perfidia, nunc Tyrannorum afflictionibus, nunc Hæreticorum erroribus, & nunc Dæmonum tentationibus: at Ecclesia sancta strenuus, ac fortis Christi equitatus, in Baptismatis cæterorumq; sacrorum mare,omnes Pharaonis currus,& omnes Dæmonis quadrigas proiicit, ac demergit: mox verò gloriosas à cunctis hostibus victorias viriliter reportans, vnà cum Mose,eiusque sorore Maria,maxima cum lætitia canit:*Cantemus Domino,gloriosè enim magnificatus est,currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.* Ipsa namque Dei Ecclesia inuictissima Christianorum est arx, & tutissimum propugnaculum; quæ etsi multis cruciatur afflictionibus, & nauis instar variis agitatur fluctibus,nunquàm tamen subuertitur,nunquàm demergitur,nunquàm cedit,sed quanto magis impugnatur, tanto fortior redditur; quippe quæ tentationibus quidem affligitur, at non vincitur,tempestatibus quatitur,at non proiicitur,iacula in eam mittuntur,at non perforatur, quoniam suo Christus equitatui illam assimilauit, inquiens; *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.*

LECTIO LIIII.

Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.



SI quæ Salomonis Prophetæ verba,in hoc præcipuo cantico inter se dissidere,ac maximè discrepare existimastis,hæc profectò illa esse dicetis, quæ & foris in vocibus, & intus in sententiis, ab inuicem discordare primo aspectu videntur; & quæ profectò est societas equi libidinosi cum turture pudica? quæ copulatio curruum Pharaonis Regis cùm genis formosæ puellæ? quæ affinitas exercitus militum cùm mulierum monilibus? quæ coniunctio Ecclesiæ Christi fortitudinis,cùm eius pulchritudine?quæ demum conuenientia est Christi hostium afflictionum in Ecclesiam Dei,cum Theologicis virtutibus,& Spiritussancti donis, quibus ipsa munitur, & ornatur? nulla (me herculè) horum cum præcedentibus verbis prima facie necessitudo apparet, atque consensio: veruntamen si interiorem ac reconditum horum verborum sensum accuratè inuestigemus,& foris, & intus,& in vocibus,& sententiis,& historicè,& mysticè ea inter se maximè concordare inueniemus, vos quæso attentis animis audite. Excitarat in superioribus sermonibus sponsus Christus suæ sponsæ animum, ad

ad suiipsius notitiam, austera illa comminatione inquiens, iam tibi ô sponsa in omnibus quæcunque expostulasti, morem gessi, & ob id omnium mulierum pulcherrima effecta es, quæ antea sine his septem gratiis deformis eras; caue igitur, ne iterum te ignores, nam de Ecclesiæ tam militantis, quàm triumphantis domo, in quam modò vel in re, vel in spe saltem introducta fuisti, te egredi oporteret, & abire post vestigia gregum, & grauioribus quàm fuerint priora, incommodis afflicta cruciareris, hac autem comminatione sponsa commota, aliqua ex parte ab huiusmodi suiipsius ignorantia, si iterum se ignorare sibi contigisset, se potuisset excusare, dicens, & quæ sum ego mulier imbecilla, vt tot carnis, mundi, ac dęmonis laquæis irretita, in hanc iterum ignorantiam non incidam? hinc factum fuit, vt huic suæ sponsæ quasi tacitæ oppositioni satisfaciens spõsus, dixerit, nequaquam res ita se habet amica mea, sed fortis es vt equitatus meus in currus Pharaonis, & tantum roboris habes atque virtutis, vt omnes hostium nostrorum impetus refringere ac superare possis: hic verò quoniam sponsa adhuc suo sponso illud obiicere poterat, hoc est Christi etiam equitatum, seu populum Israheliticum fortem in currus Pharaonis, & robustum extitisse, at in Arabię locis desertis seipsum ignorasse, & post greges sodalium suorum, hoc est idolorum egressum, cùm multis amatoribus fornicatum fuisse: ita illius ingentem impudentiam Deus Optimus Maximus apud Hieremiam cap. 3. reprehendit, dicens: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, & noluisti erubescere*. Quare subinfert sponsa Christi Ecclesia, & ait, hoc quoque mihi contigere posset, quod accidit olim Synagogæ, vt licèt omni fortitudine, diuinoque præsidio sim munita, ego tamen ex meæ ipsius voluntatis malitia, in eam lasciuiam ac libidinem cadere possem, vt te vnico sponso neglecto, alios mihi deligerem amatores, cum illisque ceu impudens meretrix fornicarer, quod sanè mihi accidere posse eò magis pertimesco, quò tu equitatui tuo me similem effecisti, equus autem fortitudinis non solum, at libidinis etiam est indicium; quapropter fortis quidem ô mi sponse, & robusta, at libidinosa quoque, & intemperans ero: huic igitur quasi tacitæ suæ sponsæ oppositioni denuo satisfaciens sponsus, inquit; *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis*, ac si dicat, tu amica mea, quam mulierum omnium pulcherrimam feci, non solum equi fortitudinem; sed turturis etiam pudicitiam habes, & ob id, nec ab hostibus, quia fortis, expugnaberis, nec ex tuæ ipsius voluntatis malitia, quia pudica es, in aliquam libidinem corrues: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis*. Hanc autem cum veram & germanam horum verborum interpretationem esse existimem, nonne aliqua est societas equi cum turture, si equo in fortitudine, & turturi in pudicitia sponsa comparatur? nonne aliqua est copulatio curruum

Pharao-

Pharaonis Regis, cum genis formosæ puellæ, si in curribus Pharaonis Christi hostium impudentia, in genis autem puellæ pudor Ecclesiæ desi gnatur? nonne aliqua est affinitas exercitus militum cum mulierum mo ribus, si vt nosipsos perfectè noscamus, seu potius in nostram ignoran tiam iterum non corruamus, & militum fortitudine, & mulierum pudi citia nobis opus est? nonne aliqua est coniunctio Christi Ecclesiæ for titudinis, cum illius pulchritudine, si vna sine altera esse non potest? si vtraque in scripturis sanctis tam bellè connectitur? Terribilis sanè est Ecclesia, vt castrorum acies; at pulchra quoque vt Luna, mater quidem est timoris, & magnitudinis; at dilectionis etiam, & pulchritudinis: equi tatui certè comparatur in currus Pharaonis, at pulchræ sunt genæ eius sicut turturis, & hac de caussa factum esse opinor, vt Poetæ, & Astrono mi maximam Veneris, & Martis cognationem esse dixerint, quandoqui dem Venus pulchritudinis, & fortitudinis Mars est indicium: nonne de mum aliqua est conuenientia Christi hostium persequentium Ecclesiam, cum Theologicis virtutibus, & Spiritusancti donis, quibus ipsa munitur, si horum adiumento muniti inimicorum omnium incommoda, & vni uersa nobis aduersantia superamus? ô quàm benè hæc duo simul ne ctuntur: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea, et pulchræ sunt genę tuæ sicut turturis.* Ibi namque ecclesiæ fortitudinis excellentia hic verò illius castitatis præstantia ostenditur, quas certè ani mi dotes, cum habere necessum est, qui in suiipsius ignorãtiam cadere no lit, vt fortitudine exteros hostes, & pudicitia domesticos expugnet, vt fortitudine quæ sunt foris, & pudicitia, quæ sunt intus nobis aduersan tia debellet, vt tandem fortitudine alios, & pudicitia seipsum vincat. Præ terquàm quòd si sponsus in antecedentibus verbis sponsam appellauit amicam, nonne optima ductus ratione, pulchras etiam illius genas nun cupauit, si amor, & amicitia non feruntur, nisi in rem pulchram, vt voluit Plato, aut in rem bonam, vt placuit Aristoteli, quod idem ferè est, cùm bonum, & pulchrum se inuicem consequantur? etenim si sponsæ genæ pulchræ non essent, nequaquàm sponsi esset amica, cum illa vera sit, per fectaque amicitia, qua non malus, cum malo, aut cum bono malus; at bo nus cum bono perpetuæ voluntatis coniunctione copulatur: cum igitur sponsus Christus sit pulcher, vt ipsamet sponsa asseruit Canticorum c. 1. dicens: *Ecce tu pulcher es amice mi, et decorus:* & sponsa vicissim pulchra sit, vt eam ibidem sponsus appellauit, inquiens: *Tota pulchra es amica mea.* Quid mirum si postquàm Christi amicam illam nuncupari audiui mus, pulchras etiam illius genas vocari audimus? *Pulchræ sunt genę tuæ sicut turturis.* ac si dicat, ne timeas ab hostibus expugnari amica mea, aut vllis sodalium meorum, hoc est pseudoChristorum, & pseudopro-

pheta-

phetarum fraudibus, à fide mihi data te abduci; & cùm aliis amatoribus fornicari, nam in maximis etiam rerum omnium perturbationibus, infracto animo, in eodem, quo nunc me diligis, amore quotidie permanebis, & pudicæ instar turturis, quæ vno marito contenta, nulli vnquàm alii sociatur, mihi vni sponso castitatem, & fidem inuiolatam seruabis, iuxta illud Apostolicum dictum cap. 11. posterioris epist. ad Cor. scriptæ: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* & hanc reor esse horum verborum germanam explanationem, cui & hanc alteram addere possumus, vt postquàm in superioribus verbis ad suiipsius cognitionem, sponsæ animum sponsus excitauit, cùm dixit: *Si ignoras te, &c.* & deinde quid ipsa sit in natura illam commonefecit subiungens: *Equitatui meo in &c.* hic quæ sit in persona eam admonet, inquiens: *Pulchræ sunt genę tuę, sicut turturis.* nam sicut ex Salomonis authoritate Ecclesiast. cap. 18. *Ab occursu faciei cognoscitur homo.* & in virginum honestarum genis integritatis, virgineique pudoris indicia manifesta extare solent, ita & sponsa Christi Ecclesia, quæ sit in persona seipsam tunc optimè noscet, cum pulchras turturis genas se habere, hoc est cum se totam omnium Christianorum vnionem vni viro Christo despõsatam intelliget, intemeratam ipsi fidem, ceu turtur, quę secundum nescit maritum, perpetuò seruatura; etenim genas hic per faciẽ sumi, quasi per figuram Synecdoche, D. Bern. serm. 40. super Cantica; at mysticè per turturis genas sponsæ castitas, & virgineus pudor designatur, non quòd turtur pulchras habeat geneas, sed quòd in sponsæ genis turturis pudor, & castitas quàm maximè appareat: At aliorum videamus interpretum expositiones, qui etsi vnanimi consensu, sponsæ pulchritudinem, ac decorẽ in genis, & collo historicè hic à sponso laudari, & ecclesiæ pudicitiam & castitatem mysticè à Christo celebrari opinantur, non oẽs tñ eandẽ horum verborum cum præcedentibus connexionem faciunt; nam Orig. D. Hier. & D. Bernardus ita interpretãtur, ordo dramatis huiusmodi videtur habere consequentiam; vt postquàm sponsus ad sponsam austeriori vsus est comminatione, protestatus ei quod nisi cognosceret seipsam, exitura esset in vestigiis gregum, vt posceret non oues, sed hœdos, tunc sponsa erubuerit super austeritate præcepti, & verecundiæ rubor in vultu diffusus, speciosas illius genas, turturis instar, effecerit; & hac de caussa sponsus suæ sponsæ genas tàm pulchras præ verecundię rubore, & tàm decoras conspiciens, dicat: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* D. autem Greg. & Beda venerab. quàmquàm iste allegoricè de vniuersa Dei ecclesia, ille verò tropologicè de anima iusti sic exponunt, turtur Ecclesiæ vel animæ iustæ pudicitiæ congruenter aptatur, quæ etsi domini sui sponsi morte viduata est, tanta tamen eius memoria tenetur,

quem resurrexisse à mortuis, & in cœlo iàm regnare nouit, vt nullatenus externorum aut Pseudochristorum possit recipere consortium, solo ipsius sponsę amore contenta, iuxta illud Roman. cap. 8. *Quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* & quoniam in genis pudoris sedes esse solet, rectè sanctę ecclesię timenti, nè fortè per exempla prauorum hominum à via veritatis errando diuertat, ipsius sponsi Christi responso dicitur: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Hugo Card. idem ferè sentit, at alio modo connectit inquiens, quoniam sponsa nigram, & fuscam se esse tanta humilitate confessa fuerat, ideo sponsus eius pulchritudinem hic describit, & à genis incipit, vbi mulieris pulchritudo maximè apparet, & genis turturis assimilantur sponsę genæ; quoniam turtur amisso marito suo, nulli alii sociatur, at soliuaga semper sedet, & gemitum pro cantu habet. D. Thom. doctus Haymon, & recentiorum nonnulli, hoc alio pacto connectunt, commendauerat sponsus sponsam à natiua pulchritudine, mulierum pulcherrimam illam vocans; nunc verò pergit in laudibus sponsę, & eius commendat pulchritudinem ab ornamentis exterioribus, mundoque muliebri, vt sunt inaures, & monilia, quæ historicè sic declarata, mysticè adhùc ita explanant, Christus cōmendat Ecclesiam ab integritate virgineoque pudore, cuius manifesta indicia in virginum honestarum genis extare solent, ita vt Ecclesia, turturis instar, pudica, soli Christo se facilem prębeat, & omnes astus procorũ, & dolos statim pręsentiens, falsa Pseudochristorum dogmata, tamquàm putida ac pestifera respuat, soli se Christo virginem castam, & incorruptam seruans, cum per genas turturis, mens pura, & omni vitio per fidem mundata mysticè significetur. Iacobus denique Valentinus absque vlla horum verborum cùm dictis coniunctione, ita exponit: Tunc ò sponsa cùm fueris tali aqua baptismatis abluta, genę conscientię & facies aīę tuę erunt pulchrę pulchritudine innocentię, cum Baptismus lauet animam à culpa, & restituat eam in statum innocentiæ ad modũ turturis: Hæc sunt auditores, quæ ex aliis interpretibus pro horum verborum explicatione seligere potui; quibus geminam addidi explanationem, licèt priorem cùm iis quæ dicta sunt magis quadrare existimem; Verùm illud declarandum restat, cur nimirum Propheta Salomon sponsæ pulchritudinem, aut ecclesiæ pudicitiam nobis indicare volens, & genarum, & turturis symbolis vsus fuerit; atque vt hinc exordium sumam, genæ in hoc loco non pro illis oculorum operculis vsurpantur, quibus coeuntibus pupilla obtegitur, & quas vulgus imperitum palpebras appellat, sed

pro

pro illis accipiuntur partibus, quæ sunt ab oculis ad mentum, & malę potius dicuntur in fœminis, in masculis verò genæ, quòd in his pili gignantur, vt cecinit Maro Aenid. lib. 8.

Tum mihi prima genas vestibat flore iuuentus.

Quamuis igitur in priori sensu genas accipiat Plinius dicens: *Aquatilia non habent genas vt plurimum.* tamen in posteriori sensu hæ vultus humani partes apud sanctos patres genę nuncupantur, præcipuè verò in Canticis canticorum & de sponsi, & de sponsę genis fit mentio; nam sponsi genæ de quibus cap. 5. legimus: *Genæ illius sicut areolæ aromatum consitę à pigmentarijs.* Martyres Christi allegoricè designant, qui pro eius fide sanguinem suum fuderunt, & quasi genæ in Christi facie rubentes Christianę fidei pulchritudinem ostendunt, vt D. Greg. & Ruper. Abbas in suis commen. ibidem exponunt: at sponsę genę turturi non solum, vt in hoc loco, sed fragmini etiam mali punici comparantur ca. 4. huius libri, ibi namque ita legimus: *Sicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ.* Hic verò dicitur: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Et quàmquàm ibi ipsius sponsæ genæ Euangelicæ legis concionatores significant, vt D. Greg. placet ibidem aienti, & quid per genas Ecclesiæ, nisi eosdem ipsos prædicatores intelligimus, qui dum in populis, vt eis proficiant, eminēt, quasi in facie ecclesiæ manifestè apparent, &c. Per malum autem punicū ecclesia præmonstratur, quia dum multos populos in fidei vnitate nutrit, quasi multa grana sub vno cortice stringit, fragmen ergo mali punici sancti concionatores existunt, quia dum se in diuino exercitio affligūt, dum omnia mundana contemnunt, dum suas voluntates abnegant, seipsos humiliant, & alios exaltant, dum tandem per exempla sua cæteros nutriunt, quasi fracti, & aperti se cibos offerunt; hic tamen genæ sponsæ turturi comparatæ, ipsius ecclesiæ castitatem virgineumque pudorem ostendunt, cùm maximè in genis pudor, & in turture castitas demonstretur: vt asserunt Orig. D. Hieron. D. Greg. Beda venerab. D. Bernar. Hugo Cardin. D. Thom. Haymon, & reliqui omnes interpretes in suis omnes comment. super Cantica canticorum, quod verò ad turturem spectat, turtur ex varijs suæ naturæ proprietatibus varias quoque res symbolicè significat: Turtur igitur animal est soliuagum, in montium iugis, & in arborum verticibus commoratur, vno contenta marito, nulli vnquàm alii sociatur, nidum construit vbi reponat pullos suos, gemitum pro cantu habet, & rerum omnium, quas sibi necessarias fore cognoscit, prouidentiā habet, vt autem turtur auis est solitaria, à gentium oculis vitam remotam agens, aut diuinæ sapientiæ ab omni prorsus humana scientia seiunctę est indicium, vt inquit Philo Iudęus, aut homines quos spirituales vocamus, heremique cultores designat, vt placet Bedæ venerab. super Genesim ca.

15.& Ruperto Abbati super Leuiticum cap.7.vt verò in montium iugis, & in arborum verticibus commoratur, aut intellectum æthereum, aut sublimium rerum profundam intelligentiam indicat, quam nobis reuelat Spiritus sanctus, vt astruit Orig.hom.2.super Cantica, inquiens: Columba Spiritus sanctus est: at Spiritus sanctus, cùm de magnis, & occultioribus sacramentis, quæ multi capere non possunt, loquitur, tunc in turturis appellatione significatur; rursus vt turtur vno contenta marito, nulli vnquam alii sociatur, sed auis pudica est & casta, plura nobis symbolicè præmonstrat; nam quandoque Aegyptii cùm viduitatem continentissimam exprimere vellent, turturem pingebant, quæ marito vita functo, ita à turturum aliorumque volucrum consortio se separat, vt nunquàm inde societatem inire cum alio quopiam patiatur, sed quod reliquum est vitæ, absque marito in perpetuò degat cœlibatu; at apud Hebræos pudicitiam in vniuersum, & castitatem indicat turtur, nàm vt ait Basilius Magnus in infantis circumcisione par turturum, aut duos pullos columbarum offerre Deo mos erat, quòd vitæ continentis, & pudicitiæ indicium esset, & Origenes ibidem, hoc super Leuiticum cap.5.inquiebat: tunc nos Deo par turturum offerimus, cùm mentem nostram Dei verbo, veluti verò coniugi sociamus, hic autem turturis genæ, ecclesiæ pudorem ac virginitatem præmonstrant, quæ vno Christo contenta, cæteros omnes respuat amatores, & nullis sodalium suorum fraudibus aut imposturis à fide Catholica veraque religione sit abducenda, ita inquiunt Origenes hom.2.super Cantica, D.Hieronym.libro 1.contra Iouinianum, D.Ambrosius secundo libro de Abraham Patriarcha cap.8. & D.Gregorius sexto libro Moralium cap.13.& 19.Moralium cap.24. turtur adhùc vt nidum construit, vbi reponat pullos suos, si allegoricè exponatur, vt ait Diuus Gregorius illa verba Diui Iob capite vigesimonono explanans: *In nidulo meo moriar*. sanctam Dei ecclesiam indicat quæ amore conditoris affecta, crebris gemitibus vtitur, & velut turtur nidum sibi, id est pacatissimam fidei quietem construit, in qua crescentes filios, quasi plumescentes pullos, quousque ad superiora euolent, charitatis gremio calefactos fouet; si verò tropologicè exponatur, animam castitate præditam demonstrat, quæ inuenit nidum, hoc est ecclesiam vbi ponat pulllos suos, qui sunt omne virtutum bonorumque operum genus; turtur etiam vt gemitum pro cantu habet, illos Christi fideles significat, quos suorum pœnitet erratorum, de quibus Propheta in Psalmo sexto aiebat: *Laboraui ingemitu meo*. ita opinantur & Origenes super epistola D. Pauli ad Romanos cap. 10. & Diuus Thomas 1.2. quæst. 102. artic. 3. & tandem vt turtures omnes, quas sibi necessarias fore cognoscit, summa sibi diligentia prouidet, prouidentiæ symbo-

ſymbolum eſt, ſicuti legimus apud Hier. Prophetam cap. 8. inquientem: *Turtur, & Hirundo, & Ciconia cuſtodiunt tempus aduentus eius, populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Et hactenus de turturis proprietatibus, vt illud nunc taceam, quod Leuitici cap. primo legitur, nimirum iubebat Deus, turturem in ſacrificium ſibi offerri pro peccatis, & vt affirmant Origenes hom. 4. ſuper Cantica, & D. Hieronym. primo libro aduerſus Iouinianum, Chriſti carnem deſignat, pro totius mundi delictis in ara crucis Deo Optimo Maximo oblatam; at Leuitici quidem cap. 12. iuſſit Deus à pauperibus, qui oues præ eorum inopia ſacrificare non poſſent, par turturum ſibi offerri, vt ſicut duo turtures, qui aues pudici ſunt, offeruntur; ita geminam in Chriſti fidelibus caſtitatem requiri præmonſtrent mentis videlicet, & corporis; quapropter ſumma ratione ductus Propheta Salomon & genarum, & turturis metaphoris vtitur, vt Eccleſiæ pudicitiam, caſtamque pulchritudinem myſticè nobis deſignet, inquiens: *Pulchra ſunt genæ tuæ ſicut turturis.*

LECTIO LV.

Collum tuum ſicut monilia.



VIDIMVS in ſuperiori ſermone, auditores, ſponſum Chriſtum, ne eius ſponſa Eccleſia hoſtium ſibi aduerſantium laqueis irretita, in ſuiipſius ignorantiā iterum cadere pertimeſceret, illi nunciaſſe, ſuo non ſolum equitatui in Pharaonis currus præ illius robore, ac fortitudine eam ſe aſſimilaſſe, verum etiam præ maximo ipſius pudore, & caſtitate, eius genas, turturis inſtar, pulchras effeciſſe: at quoniam in optima ſponſa, ſpectatiſſimaque vxore præter animi fortitudinem & corporis caſtitatem, humilis quoque requiritur obedientia, qua ad omnes, ac ſingulos ſui ſponſi nutus ſit parata, vt fortitudine procorum impetus ſuperet, vt pudicitia ſui corporis honeſtatem tueatur, vt obedientia tandem ſui mariti monita ſequatur, & imperiū nō recuſet; ex hac igitur ratione factum puto, vt ſponſus poſtquàm dixit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea*, vt ſponſæ robur ac fortitudinem innueret, poſtquàm ſubintulit: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis*, vt eius pudorem, & caſtitatem oſtenderet, hic tertio loco ſubiungat, *Collum tuum pulchrum eſt ſicut monilia*, vt tertiam ſuæ ſponſæ virtutem, obedientiam nimirum, vel humilitatē præmōſtret: ac ſi dicat, vereberis fortaſſe amica

 mea,

mea, ne iterum teipsam ignorare tibi contingat, quòd equis te comparauerim, cùm per os Dauidis in Psal. 31. meis præceperim electis; *Ne fieri velint sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus*, quò seipsos noscere queant; Verùm nihil est, quod perhorrescas, habes enim equi duntaxat fortitudinem, vt nostri nominis hostes superes ac debelles; & licèt equus effrænatæ sit libidinis, indomitæque superbiæ, & ob id fræno maxillas eius constringere, & camo collum ligare oporteat, tu tamen ò sponsa mea, nec effrænem equi libidinem, nec indomitam eius superbiam habes, sed miram pudicitiam, & summam obedientiam, cùm *Pulchræ sint genæ tuæ sicut turturis*, quæ continentiæ fræno constringi non opus habent, & *Pulchrum sit collum tuum sicut monilia*, quod camo obtemperationis, seu fune ligari non debet. Quare sicuti per sponsæ genas ecclesiæ pudicitia mysticè designatur, qua turturi similis efficitur; ita per sponsæ collum ecclesiæ obedictia exprimitur, qua cùm monilibus è virginum collo pendentibus confertur: neque est vt miremini auditores, si Dei ecclesiam genas & collum habere auditis, quandoquidem ipsa est Christi corpus mysticum, cuius ipse est caput, & nos singuli membra, vt scribit Apostolus 12. cap. prioris epistolæ ad Corinthios, inquiens: *Vos estis corpus Christi, & membra de membro*. & in epistola ad Ephesios capite primo cùm ait de Christo Domino nostro: *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus eius*. & cap. quarto, cùm dicit; *Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe*. & demum in epistola quam scribit ad Colossenses cap. I. cùm inquit; *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia*. Si res igitur ita se habet, vt ecclesia sit mysticum Christi corpus, quid mirum si genas habet, & collum, oculos, & aures; manus, & pedes; aliaque id genus humani corporis membra? at omnia symbolicè de ecclesia, non reipsa enunciari credendum est; ita vt illi ecclesiæ dicantur oculi, qui diuino scientiæ lumine sunt illustrati, illi sint aures, qui Dei verbum audientes, illud in corde retinent, & fructum afferunt, illi manus, & pedes, qui bonis operibus vacant, nam quemadmodum scribit Apostolus, ad Corinthios eodem in loco, posuit Deus in Ecclesia membra, vnumquodque eorum, sicut voluit; *Et quosdam quidem posuit in Ecclesia, primum Apostolos, secundò Prophetas, & tertiò Doctores, deinde Virtutes, exinde Gratias curationum, opitulationes*. & huiusmodi alia quamplura rectarum actionum munera; Quamobrem sicut illi ecclesiæ genæ dicuntur, qui castitatis & pudicitiæ colunt honestatem; ita ex Origenis authoritate homilia secunda super Cantica, illi ecclesiæ collum dicuntur, qui humili præditi obedientia Christi iugum suscipiunt, eiusque fidei obtemperatio-

perationem præbent: & quoniam in antecedenti sermone de genis, & turture satis superque dictum fuisse arbitror, reliquum modò est, ut de collo sponsę eiusque monilibus aliquid dicamus; Hinc autem exordiri libet, vt congruentius collum quàm ceruicem hic legendum putemus; etenim prætterquàm quòd omnes huius libelli interpretes duobus duntaxat exceptis, qui sunt D. Hieronymus, & doctus Origenes ceruicem legentes, collum vnà cùm septuaginta interpretum versione legendum esse affirmant, ornamentum quoque, cui sponsæ collum in pulchritudine comparatur, non ceruici congruit, sed collo, cum monile gutturis sit ornamentum, quod de virginum collo pendere solet; collum verò est illa pars erecta, quæ media inter corpus & caput, ipsum sustentat, ceruix autem colli pars, est pars posterior, quæ ab occipitio incipit, & tendit ad spinam, ita vt ceruix cùm collo si conferatur, veluti pars cùm toto relata se habeat; cùm igitur his de caussis collum potius, quàm ceruicem legere deceat, de collo tùm ex Ethnicorum, tùm ex Sanctorum patrum sententia nonnulla explicare significata optimum fore censui; & primum apud Regium Prophetam in Psalmo 128. collum vel etiam ceruix hominis audaciam denotat, & superbiam, quam dominus iustus iudex infringit, & concidit, & Iob capite decimoquinto legimus de homine superbo; *Cucurrit aduersus Deum erecto collo*. & ob hanc caussam audacem hominem Leoni, cuius collum vt ait Plinius flexibile non est, iure optimo comparari arbitror, cum superbi hominis collum audacia turgidum; nullus vnquã etsi humilis & dimissus flectere queat; Et Cicero in Verrem idem astruens, inquiebat: *Tamensi qui erunt tantis ceruicibus recuperatores, qui audeant in prouincia, cùm prætor adsit, voluntatem eius indicare?* At in hoc loco sponsæ collum obedientiæ est indicium, quemadmodum homil. secunda super Cantica affirmant Origenes, & Diuus Hieronymus sub his verbis: *Secundum hanc intelligentiam sponsæ quoque ceruicem accipiamus, quæ sine dubio illę animæ sunt, quæ Christi iugum suscipiunt, inquientis: suscipite super iugum meum quod suaue est.* Quare obedientia sponsæ, ceruices eius symbolicè vocantur, quibus patribus assentiri videtur Marcus Tullius libro de natura deorum, cùm dicit: *Itaque imposuistis in ceruicibus nostris sempiternum dominium*. Neque sum nescius, per sponsæ Christi collum Ecclesiæ Doctores, & verbi Dei concionatores mysticè intelligi posse, vt in hoc loco interpretantur Diuus Gregorius, Beda venerabilis, Hugo Cardinalis, Diuus Thomas, & doctus Haymon, audite quid ipsi dicant, per sponsæ collum Ecclesiæ doctores sancti designantur; nam sicuti per collum, & cibos traiicimus in corpus reficiendum, & verba proferimus, quibus animi nostri conceptus proximis declara

mus,ita doctores sancti,& cibum doctrinæ salutaris nobis ministrant, illumque in commissa sibi sanctæ Ecclesiæ membra transmittunt, & sacrarum scripturarum arcana nobis manifestant; Alii verò per sponsæ collum animæ intellectum tropologicè exponunt,vt D.Bernardus sermone 41.super Cantica,inquiens: An non siquidem tibi videtur colli quodam modo vice fungi intellectus per quem tua anima traiicit in se spiritus vitalia alimenta; Iacobus autem episcopus Christopolitanus per ecclesiæ collum, quod monilis instar decorum est, Theologicas virtutes interpretatur, & spiritus sancti dona, quibus ecclesia, seu virgo pulcherrima monilibus, exornatur; Aliqui tandem recentiores idem ferè quod Origenes, & D.Hieronymus asseuerantes aiunt, iàm verò per collum sponsæ indefessum studium disciplinæ, & præceptorum sponsi Christi; & in eius iugo perferendo infractum animum intelligimus,iuxta illud Salomonis Prouerb.cap. 1.aientis: *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Et quid si dixerimus sponsæ collum, seu monile speciosum ecclesiæ sapientiam indicare, qua filii Dei cohonestantur? illud certè verum est, collum Iosephi torquem aureum habens, de quo Genesis cap. 41.legimus mentem sapientia exornatam mysticè significare, vt placet Orig.homilia sexta super Ezechiel; & me herculè sponsæ Christi Ecclesiæ collum siue ipsius obedientiam, siue doctores sanctos, siue animę nostræ intellectum, siue Theologicas virtutes, & spiritussancti dona, siue indefessum disciplinæ studium, infractumque ecclesiæ animum in Christi iugo perferendo, siue tandem illius sapientiam præmonstrare dicamus, speciosum, seu monile iure optimo celebrare possumus,nam sicut monilia virginum, & mulierum collum exornant, pulcherrimaque sunt ornamenta; quibus spectatissimæ fiunt, ita, & ecclesiæ sapientia, vel infractus animus in Christi iugo perferendo, vel Theologicè virtutes, & spiritus sancti dona, vel animæ intellectus, vel sancti doctores, vel obedientia, ditissima sunt ipsius ecclesiæ, quasi in eius gutture, aurea monilia, quibus tanquàm præclarissimis ornamentis decorata, & hominibus, & Angelis, & Deo fit spectatissima: *Collum tuum sicut monilia*. Tribus sanè rebus à sponso Christo suæ sponsæ collum in his Canticis comparatur, turri nempè eburneæ, turri Dauidis, & monilibus, turri eburneæ cap.6.vbi dicitur: *Collum tuum sicut turris eburnea.* Turri Dauidis cap. 4. vbi legimus: *Sicut turris Dauid collum tuum*, & monilibus demum cap.primo, vt audistis: *Collum tuum sicut monilia.* Et quàmquàm ecclesiæ fidem, humilitatem, & doctores sanctos per huiusmodi turres, eburneam scilicet, & Dauidicam, ob harum virtutum altitudinem symbolicè designari astruunt D.Gregor.& Rupertus Abbas

in suis

in ſuis commentar. ſuper Cantica, in præſentia tamen noſtri muneris eſt, de monilibus duntaxat ſermonem habere. Illud autem monile dicitur, auditores, quod non ſolum ex hominum, ſed ex equorum etiam collo pendet, quemadmodum videre eſt apud Maronem Aeneadum lib. 7. vbi de equis Latini Regis verba faciens, inquit:

Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.

Licèt congruentius monile vocetur gutturis ornamentum, quod ſolet de virginum collo pendere, & monile appellari arbitror, quòd geſtantem virtutis admoneat, cùm antiquitus ob aliquod egregium factum monilibus homines donari ſolerent: at myſticè per monile plura exprimi in ſcripturis ſanctis inuenio, vt Geneſis cap. 41. monile aureum in collo Ioſephi, tùm Spiritum ſanctum eiuſque dona in hominis iuſti anima, tùm intellectum Chriſti bonum indicant, vt interpretantur Beda venerabilis ſuper Geneſi, ibidem, & Iſychius ſuper Leuiticum cap. 27. vt Hieremiæ cap. 4. Prouerbiorum cap. 1. Iſaiæ cap. 32. & 61. & Ezechiel 16. Monile aureum, & omnia animi ornamenta in vniuerſum, & præcipuè ſpiritalis intelligentiæ meditationem ſignificat, quinimmo, & ſapientiam, & intellectum bonum, vt placet Orig. hom. 26. ſuper Numer. & ſuper Ezechielem homil. 6. Diuo Ambroſio libro 7. de Ioſeph Patriarcha, & Bedæ venerab. cap. 1. ſuper Prouerbia, vt Canticorum cap. 7. torquis ſeu monile eſt inſigne, & honor virginei partus, per quem aſperum colli noſtri iugum ſolutum eſt, vt volunt D. Ambroſius in libro de inſtitut. Virg. cap. 14. & Rupertus Abbas in ſuis commen. ſuper Cantica, vt denique Eccleſiaſtici cap. 32. torquis aureus, quo forti animo dimicantes cohoneſtantur, virtutis eſt honor, & fortitudinis præmium, quo milites ad nauiter pugnandum, & ad maiorum ſuorum virtutes imitandas inflammantur, vt exponit D. Gregor. lib. 31. Moral. cap. 19. & Origenes in ſuis commentar. dum illa Ezechielis verba interpretatur; *Et impoſui tibi armillas circa manus tuas*. Vbi ita dicit Origenes: Cum mihi dederit Deus occaſionem bonorum operum, armillas circundat manibus meis. At monilia quibus ſponſæ collum hic comparatur, quid in ſenſu ſpiritali præmonſtrent, non omnes interpretes idem ſentiunt, ſed alii alia dicunt; nam Origenes, & Diuus Hieronymus per ſponſæ collum eccleſiæ obedientiam explicantes, per monilia ipſummet Chriſtum & Chriſti obedientiam exponunt, hoc pacto, ornamentum ergo, & monile ceruicis eccleſiæ, quæ eſt eius obedientia, Chriſtus eſt, & Chriſti obedientia, cui ſimilis effecta eſt Eccleſiæ obedientia, quippe quæ obedientiam Chriſti imitatur, aientis: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde*. Diuus Gregorius, Hugo Cardinalis, Beda Venerabilis, Diuus Thomas, & Haymon,

mon, qui sponsæ collum ecclesiæ Doctores sanctos, & diuini verbi concionatores esse volunt, per monilia ornamenta virtutum, & castæ doctrinæ gemmas intelligunt, quibus ipsi doctores decorant Ecclesiam: Diuus Bernardus per sponsæ collum animæ intellectum tropologicè interpretans, monilia vult esse virtutes, quibus insignitus est intellectus: dicit enim bonum monile est veritas, bonum puritas, siue simplicitas, bonum planè monile sapere ad sobrietatem, cum huiusmodi virtutum, nitorem non habeat philosophorum, hæreticorumque intellectus, & ideo multam curam gerunt, vt ipsum colorent, & fucent, phaleris verborum, & syllogismorum versutiis, ne si nudus appareat, falsi etiam appareat turpitudo: Iacobus Valentinus, etsi sponsæ collum virtutes esse Theologicas, & Spiritus sancti dona existimat, quid tamen eius monilia significent non declarat. At spiritalia quædam ornamenta, quibus ob has virtutes supernas, diuinaque dona Ecclesia exornatur, per eius monilia intelligi posse censeo, quemadmodum etiam recentiorum nonnulli per sponsæ collum infractum Ecclesiæ animum, in Christi iugo perferendo exponentes, putant per monilia Ecclesiæ summum decus, & ornamentum exprimi, quo ipsa sit exornata, cum Christi iugum fortiter ferat. Ego verò si inter tot tantosque viros egregios, quid in hac re dicendum existimem, proponere liceat, dicerem sicuti sponsę collum Ecclesiæ obedientiam ostendit, ita monilia, quæ mulieris collum cingunt & ornant, Christi legem Euangelicam suauiaque præcepta, quibus Ecclesia, liberè tamen constringitur, mysticè præmonstrare. Nam vestrum neminem latere arbitror, boum collo iugum imponi, vt sub illud colligati ad bubulci imperium terras arent, & sponsæ collo seu potius Ecclesiæ obedientiæ Euangelicæ legis iugum, iugum certè Christi suaue imponitur, vt illo circumligata, omnibus eius præceptis obtemperet; Nuncupatur autem monile hoc Euangelicæ legis iugum, quo Ecclesiæ collum præcingitur, tum propter eius pulchritudinem, & splendorem, tum propter eius dulcedinem, ac suauitatem, nam si monile gestantis collum cingit, ornat, ipsumque suæ laudabilis virtutis præmio afficit, Christi sanè lex Euangelica Ecclesiæ sponsæ collum, quod est eius obedientia, suauissimè ligat, pulcherrimè exornat, & copiosissimè illam remunerat; suauissimè ligat, quoniam apud D. Matthæum cap. 11. Christus Dominus noster de ea loquens aiebat: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*. pulcherrimè exornat, quoniam Psalmographus ait in Psal. decimooctauo: *Lex Domini immaculata conuertens animas*, copiosissimè demum remunerat, quoniam Diuus Paulus in epistola, quam scribit ad Romanos cap. 2. dicit: *Factores legis iustificabuntur*. Iam satis igitur probatum fuisse existimo, & per sponsæ collū

Eccle-

Ecclesiæ obedientiam, & per eius monilia Christi legem Euangelicam in hoc loco symbolicè significari: Reliquum modò est, vt Christi sodalium verba explicemus, quibus ipsi in huius primi Cantici fine ipsammet sponsam alloquuntur, inquientes: *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*: quæ verba, Deo Optimo Maximo fauente, in sequenti sermone declarabimus.

LECTIO LVI.

Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

INTER omnes huius Cantici Canticorum explicatores, duobus solis, & illis quidem iunioribus interpretibus, hoc est Iacobo Valentino, & Cosma Damiano dissentientibus, concordissimè conuenit, dramatis ordinem, ob personarum immutationem hic variari, nouamque scenam effici, quandoquidem (vt Origenes cæterorum omnium antiquissimus interpres, hom. 1. super Cantica astruit, cui Diuus Hieronymus, Diuus Gregorius, Beda Venerabilis, Diuus Bernardus, Hugo Cardinalis, & alii nonnulli huius libelli interpretes assentiuntur) sponsus postquam dilectam à se sponsam, quam septem illarum expostulationum voti compotem fecit, satis est allocutus, de scena discedens, eam ibi solam reliquit: quò interim in accubitu suo quiescente, ne sponsa absque vllo comitatu maneret, sponsi sodales ipsi apparuerunt, his eam sermonibus consolantes: *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* At D. Tho. & doctus Haymon, etsi ob personarum immutationem dramatis ordinẽ mutari, & nouã hic fieri scenam arbitrantur, veruntamen non sponsi tantum sodales, sed sponsum simul eiusque sodales sponsam hic affari dicunt: quidam verò recentiores interpretes nec dramatis ordinem mutari, nec aliam hic fieri scenam existimant, sed iisdem, quæ primò aderant, personis remanentibus, solum sponsum suam adhuc sponsam hic alloqui inquiunt: & quoniam in plurium numero personarum dictum est, *faciemus*, hoc tale esse dicunt, quale illud Genesi, cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Hæ sunt tres interpretum explicationes, ex quibus postrema vt inepta omninò reiicienda est; media verò ex quapiam parte amplectenda, ex altera est reprehendenda, & prima dumtaxat, vt pote cum dictis, & cum dicendis congruentior recipienda est, atque laudanda: quod igitur spectat ad secundam explanationem, quæ media est, ex verbis sanè quæ consequuntur in initio secundi Cantici (& sunt huiusmodi

iusmodi, *Dum esset Rex in accubitu suo*) hæc opinio falsa esse conuinci-tur, cum sponsum de scena iam discessisse, & in accubitu suo quieuisse satis dilucidè ex his verbis eliciamus, quare soli sponsi sodales cum eius sponsa loquuntur, aientes: *Murenulas aureas faciemus tibi &c.* quòd verò spectat ad postremam iuniorum interpretum explanationem, hanc omni ex parte veluti ineptam reiiciendam censeo: hoc autem, vt satis manifestum fiat, illud primum animaduersione dignum puto, nimirum illa Gen. verba: *Faciamus hominem, &c.* quadrifariam à sanctis Patribus explicari, aut vt loquatur Deus cum Angelis, quemadmodum Iudæi volunt, & Philo potissimum in libro de opificio sex dierum, vbi hanc enarrans propositionem ita scribit: *Dixit Deus, Faciamus hominem, quod indicat assumptos alios cooperatores, ut primus homo partim à Deo, & partim ab Angelis Dei cooperatoribus conditus sit:* quę sanè expositio, quam Basilides etiam & Cherinthus hæretici comprobarunt, impia est, & à Diuo Ioanne Chrysostomo hom. quarta in Genesi, & à Theodoreto quæst. 19. redarguitur, & iure quidem optimo auditores, vna est Dei, & Angelorum imago, cuius ad exemplum fieri possit homo, neque nos ad Angelorum, at Dei duntaxat imaginem facti sumus: præterquàm quòd non est Angelorum munus, aut alicuius alterius creaturæ quid creare, & cum Deo Opt. Max. ad creationis opus concurrere, quod vim immensam requirit, cuius nullæ creaturæ vtpotè virtutis intra naturæ cancellos occlusæ, capaces sunt. Rursus alio modo explicari possunt illa verba, vt eo loquendi modo vtatur hic Deus, quo mundi principes vti consueuerunt, inquientes, nos sancimus, nos imperamus, nos ita volumus, quæ Iudęorum quoque interpretatio, quam eruditus Caietanus Card. sequitur & tuetur ab Ambrosio Catharino suis in comment. super Genesim reiicitur, quoniam in scripturis sanctis huiusmodi loquendi modò Prophetas sanctos nunquàm vsos fuisse comperimus; immò verò cum de rebus etiam præclarissimis agitur, in vnius personæ numero Deus loqui passim inuenitur, vt Genesis cap. decimoquinto. *Ego protector tuus & merces tua.* Vt Exodi cap. secundo: *Ego Dominus fortis Zelotes.* Et cap. tertio: *Ego sum qui sum.* Vt Leuitici cap. vigesimo: *Ego Dominus, qui sanctificaui uos.* Vt Numer. cap. decimooctauo: *Ego pars, & hæreditas tua.* Vt Deuteronom. cap. trigesimosecundo: *Ego occidam, & ego uiuere faciam*, & alibi sæpe.
Vel adhùc tertio loco sic explicari possunt, vt sit vox patris cum filio tamen, & spiritusancto loquentis, nam etsi creationis opus, opus inquam Dei externum est indiuiduum, & toti diuinarum personarum Trinitati commune, propter originis tamen dignitatem primæ personæ ocest patri, à quo reliquæ duæ procedunt, & quicquid habent recipiunt,

piunt, satis aptè conuenire dicitur, cùm illud præsertim Diui Ioannis capite 5. legamus: *Amen, amen dico uobis, non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem; quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter faciet*. Quæ sanè verba originis dignitatem, non virtutis eminentiam in patre super filium, & spiritumsanctum ostendunt; nam omnia quæ pater facit, hæc & filius, & spiritussanctus facere possunt, & faciunt, at originis inquam dignitatem demonstrant, qua pater est fons, & principium omnium diuinarum actionum, ac totius diuinitatis. Postremo denique loco Diuus Augustinus, Hugo Cardinalis, Rupertus Abbas, Ambrosius, Catharinus, & cæteri omne catholici horum verborum explicatores, ita explanant, vt sit vox communis trium personarum, sicuti exterior hæc creandi actio toti simul ac indiuiduæ Trinitati conuenit, & ob hanc caussam sub plurium personarum numero legimus, *faciamus*, & *nostram*, vt personarum multitudo denotetur, & in minori numero dicitur *ad imaginem, & similitudinem*, vt substantiæ vnitas ostendatur: verùm protinus mihi obiicietis, nonne cœlum, & lucem, nonne reliquas omnes creaturas tota diuinarum personarum Trinitas effecit, cum igitur in hominis tantum creatione inquit Deus; *faciamus hominem, &c.* & in cæterarum omnium creaturarum efficientia dicit: *Fiat lux, & facta est lux, fiat firmamentum, & factum est firmamentum*. Huic certè dubitationi Rupertus Abbas eruditissimè satisfacit, & licet de Angelica tantum creatura iste doctor loquatur, quod tamen de hac sola affirmat, de reliquis omnibus, quarum hæc præstantissima est, intelligi posse videtur, inquit autem sic; *Angelica creatura semel facta; iam nec in illis, qui steterunt commouebitur, nec in illis, qui ceciderunt in antiquum restituetur, at homo post primam suam facturam casurus erat, & miserantis Dei recreatione erat innouandus*, & idcirco tres personæ diuinæ quasi mutuò se cohortentur, inquiunt, *faciamus hominem ad imaginem, &c.* ac si tota Trinitas magna sibi dignatione totum opus humanæ creaturæ diuiserit, vt pater conderet, filius redimeret, & spiritussanctus amoris sui radiis hominem igniret. cùm igitur res ita se habeat, necessum est, vt vno, aut alio ex his quatuor modis, illud verbum, *faciemus*, à Salomone Propheta, hic vsurpetur, si verum illud est, quod iuniores astruunt, sponsum nimirum suam adhuc sponsam hic affari, & illi dicere, *Murenulas aureas faciemus tibi*, &c. inquiunt enim hoc tale esse, quale illud est Gen. cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, &c.* at fieri vllo pacto non potest, vt sub illis duobus sensibus hic accipiatur, quos duæ priores Iudæorum interpretationes præbent, nam primus, quem Philo Iudæus amplectitur, est impius; secundus autem, quem Caietanus sequitur, est ineptus, neque rationi consentaneum est,

vt

vt sub altero ex duobus posterioribus significatis, quæ in vnum ferè incidunt, intelligatur; etenim quæ certè ratio satis apta adduci potest, qua congruenter probemus sponsum Christum in his magis, quàm in præcedentibus verbis sub trium personarum numero sponsam suam Ecclesiam compellare iure optimo voluisse? cur etiam non dixit, *equitatui nostro*, sed *equitatui meo*? cur non dixit, *assimilauimus te amica nostra*, sed *assimilaui te amica mea*? dicent fortè fortuna huiusce loquendi modi caussam hanc esse, quòd in his verbis præclariora sponsæ munera polliceantur, quàm in antecedentibus a sponso fuerint illi impertita? Aut quæ hic Ecclesiæ promittuntur, non à solo filio, sed à patre, filio, & spiritusancto dari possint? decipiuntur profectò si hanc esse caussam putent, nam neque præclariora hic munera, at vel equalia, vel etiam minus digna sponsæ pollicentur, cum in superiori sermone fortitudine, pudicitia, & obedientia præditam inter omnes mulieres pulcherrimam illam summopere commendarit sponsus, in hoc verò sacrarum scripturarum intelligentia cum aurea nimirum sapientia, argenteaque eloquentia, splendidè contexta, quæ solis certè christicolis congruit, sed bonis, & malis communis est, se eam donare velle promittat, dicens: *Murænulas aureas faciemus tibi, uermiculatas argento*. neque etiam quæ hic Ecclesiæ Christus spondet, quamuis non à filio solo, sed à patre simul, & spiritusancto dari possint, cùm opera diuinæ Trinitatis externa sint indiuidua, & toti Trinitati communia, in caussa sunt, vt sub plurium personarum numero sponsus hic loqui debeat, quando quidem sicut sacrarum scripturarum intelligentia Ecclesiæ tribui à solo filio non potest, ita nec fortitudine, pudicitia, & obedientia, absque communi trium diuinarum personarum beneficentia sponsa donari debet. Quare in non paruum inducuntur errorem hi iuniores interpretes, qui hoc in loco verbum, *faciemus*, sub eodem accipi sensu existimant, quale illud est Gen. cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem &c.* cùm nulla ratio sit tàm abstrusa, nullum argumentum tàm reconditum, quòd ad hoc comprobandum inuenire, & inuentum proponere queant; præter quàm quòd si in hoc primùm & præcipuum Canticorum canticum, qua si in scenam pulcherrimi Theatri, sponsa non sola inducitur, sed eius quoque adolescentulæ, quæ sunt animæ iustorum, quandoque introducuntur; qui fieri potest, vt primum hoc canticum hic absolutum terminetur in his verbis, & solus sponsus in huius cantici scenam inducatur, nunquàm verò illius sodales, & amici ingrediantur? satius igitur est si dicamus dramatis ordinem ob personarum immutationem hinc variari, & nouam effici scenam, in qua, vt reliqui omnes volunt explicatores, sponsi tantum sodales ipsi sponsæ hinc apparent, & his eam sermonibus


nibus ob sponsi absentiam consolantur: *Muranulas aureas faciemus tibi &c.* Verùm qui sint hi sponsi Christi sodales,& amici, non omnes idē sentiunt, etsi idem sentire videntur; Orig. enim hom. 1. super Cant. hos esse Dei Angelos arbitratur, alibi verò hoc est hom. 2. vnâ cùm D. Hieronymo,& Angelos,& Prophetas esse astruit; at D. Gregorius, Hugo Cardin. D. Thomas, & Haymon in suis comment. ibidem censent, Christi sodales esse Apostolos, & Apostolicos viros, qui sunt doctores sancti, & concionatores; rursus D. Bernardus hos esse Angelos, & concionatores asseuerat, at omnium optimè Bedam venerabilem putasse existimo, illos in vniuersum esse Christi sodales explicantem, per quos nobis,(vt ipsius verbis vtar) *Scriptura sacra, agente, & cooperante Dei spiritu, ministrata est.* ac si diceret, omnes qui sacrarum scripturarum sensus nobis aperiunt, esse Christi sodales, siue Angeli sint, siue Prophetæ, siue Apostoli,& apostolici viri; etenim in veteri non tantum lege, vt Origen. & D. Hieronym. innuere videntur, aut tantum in Euangelica, vt reliquos illos patres censere puto, sed tàm in veteri, quàm in noua lege, vt Beda venerab. ostendit, sacrarum scripturarum mysteria à Christi sodalibus nobis reuelari semper indiguimus, & quotidie indigemus. Restat ergo vt dramatis ordo mutetur, & noua hic scena efficiatur, quoniam sponso abeunte, illius inducuntur sodales, qui sunt Dei ministri sacrosancta scripturarum mysteria ecclesiæ reuelare pollicentes, dùm ita cùm ea loquuntur: *Muranulas aureas faciemus tibi, uermiculatas argento.* Quæ sanè verba in nostra editione hoc pacto leguntur: At alio modo septuaginta interpretes verterunt, nimirum: *Similitudines auris facicmus tibi, cùm notis argenteis.* & in Hebraicis exemplaribus sic habentur: *Ornamenta aurea faciemus tibi, cùm clauis argenteis.* Quicquid tamen de hoc sit, conuenit inter omnes, esse ornamenta muliebria siue hæc sint, siue illa, aut inquàm murænulæ aureæ sint vermiculatæ argento, vt nostra habet editio, aut auri similitudines cùm notis argenteis, vt Græci verterunt, aut aurea ornamenta cùm argenteis clauis, vt legunt Iudęi: Veruntamen nos Latini Latinorum editionem sequemur, quàm omnes, quos ego viderim, tàm prisci, quàm recentes Canticorum interpretes, duobus tantùm exceptis. Origenes videlicet & D. Hieron. vnanimi consensu amplectuntur; digladiantur autem hi Latini explicatores, quænam muliebria ornamenta historicè sint hæ murænulæ aureæ, cùm Lyranus putet esse ornamenta, opera plectili facta de filis aureis,& argenteis intextis lapidibus preciosis, quibus mulierum capita, & ora vestium, circa pedes, manum,& collum ornabantur; alii verò existimant murenulas istas, quasdam esse catenulas, quæ ex paruis annulis constituntur, vel pro ornatu colli, vt asserunt. Beda venerab. Rupertus Abbas, D. Thomas, Haymon,

& re-

& recentiorum nonnulli; vel pro ornatu aurium vt inquiunt D.Grego. D. Bernardus, Hugo Card. & Iacobus Valentinus, quibus ego quoque libentiſſimè aſſentior, tùm quoniam de ſponſæ colli ornatu iàm dictum eſt ibi: *Collum tuum ſicut monilia.* tùm quoniam ſi myſticè inueſtigemus quid per has muræmulas deſignetur, eccleſiæ potius aures, quàm collum eas exornare intelligemus, vt in ſequenti ſermone, Deo Optimo Maximo, fauente explicabimus, nunc ſatis ſit, ea nos vidiſſe, quæ ad confuſam, & Hiſtoricam horum verborum intelligentiam pertinere videbantur.

LECTIO LVII.

Muranulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.



QVONIAM Origenes & D. Hieronymus, iſte homil. 2. & ille prima ſuper Cantica canticorum alio pacto, ac fecerint cæteri omnes interpretes hæc ſponſi ſodalium verba verterunt, vt in calce antecedentis ſermonis adnotauimus, ab horum explicatione exordiri libet. Legunt igitur hi duo clariſſimi uiri ſic: *Similitudines auri faciemus tibi cùm notis, ſeu cum diſtinctionibus argenteis: quoadusque Rex ſit in recubitu ſuo.* Ita vt hæc poſtrema verba finis ſint huius primi Cantici, & non initium ſecundi, vt nos vna cum Iacobo epiſcopo Chriſtopolitano cenſemus, & putant Salomonis Prophetæ intentionem in his verbis, eſſe huiuſmodi, vt poſtquàm ſponſus ſummis laudibus ſuam commendauit ſponſam, in omnibus iis, quorum ſe voti compotem fieri efflagitarat, illi morem gerens, ipſo de ſcena abeunte, & in accubitu ſuo interim dormiente, ſponſi ſodales ipſi ſponſæ appareant, & his eam ſermonibus conſolentur, nos tibi aurea ornamenta facere non poſſumus, neque enim tàm diuites ſumus, vt ſponſus tuus qui aureum tibi monile largitus eſt, nos tibi ſimilitudines auri faciemus, & non vnam ſimilitudinem, ſed multas, de argento autem quoniam hoc non indigent, licèt paruam argenti materiam habeant, non ſimilitudines ſed notas argenteas ſe illi facere velle promittunt, quas parua veluti puncta interſererent illi operi, quod ei ex auri ſimilitudinibus faciebant, & hoc non omni tempore, ſed donec ſponſus accubitu ſurgat; cùm enim ille ſurrexerit, ille aurum ſponſæ dabit, & argentum. Verùm ſecundum myſticam intelligentiam hæc explicantes aiunt, ſponſi ſodales ſunt Angeli, aut etiam Prophetæ, & Patriarchæ, quæ ceu procuratores paruulæ ſponſæ eccleſiæ apparuerunt, donec

pleni-

plenitudo temporis veniret, & mitteret Deus filium suum, natum ex muliere, factum sub lege. Hi ergo similitudines auri faciebant sponsæ cum notis argenteis, hoc est sub similitudinum ac figurarum inuolucris, diuina ipsi Ecclesiæ, seu Christi fidelibus mysteria reuelabant, quoniam in figuris omnia contingebant illis; & ob hanc caussam similitudines auri tunc temporis erant, non verùm aurum, ita vt similitudo auri, esset tabernaculum manu factum, & verum aurum empyreum Cœlum, similitudo auri agnus, & verum aurum Christus, & demum omnis Iudaicus cultus erat auri similitudo: quæ verò per Iesum Christum facta sunt, verùm aurum erant, veruntamen quamuis auri similitudines efficerent, aderant tamen distinctiones, & notæ argenti; expono rem manifestius, licet omnia sub vmbris, & imaginibus declararent, ea tamen aliquando, (etsi raro) manifestis eloquiis sponsæ ecclesiæ aperiebant, vt exempli gratia, cum Isaias inquit: *Vinea Domini Sabaoth domus Israhel est*. & Ezechiel duas sorores nominans Oolam, & Oolibam, alteram Samariam distinguit esse, & alteram Iudæam, & sic ubi talia quidem ipsis Prophetis interpretantibus Ecclesiæ aperiuntur, hæ distinctiones, & notæ argenteæ dicuntur, sicuti auri similitudines vmbræ sunt, & imagines sub quarum inuolucris per Angelos, & Prophetas in veteri lege diuina mysteria fidelibus reuelabantur; at vbi venit Saluator, & Dominus noster Iesus Christus, omnia in auro verò, & solido argento collocata sunt, & palàm omnibus, quòd intrinsecus videbatur obtectum, reseratum est; nam quod in illa auri similitudine petra erat, nunc est Christus, mare est Baptismus, nubes Spiritus sanctus, manna verbum Dei, agnus Christus Redemptor, & sanguis Agni, Christi passio est: Verùm hæc Origenes, & Diui Hieronymi explanatio, etsi docta est, & ingeniosa, ad rem tamen facere nequaquàm videtur, quippe quæ nimis longè petita est, & dramatis progressum, vt Cosmus Damianus eruditè animaduertit, ad præterita sine caussa reuocat; nam vidimus hucusque sponsum Christum iàm hominem factum, suæ sponsæ apparuisse, eamque coram affatum fuisse planè audiuimus; cur igitur ea, quæ ante Christi aduentum contigerant, cùm iis quæ postquàm Redemptor noster aduenit, facta sunt, nunc permiscere oportet? cur ad Mosis Synagogam confugere debemus, si Christi ecclesiam in huius Cantici theatrum pulcherrimum iàm introductam vidimus? cur demum per sponsi sodales Angeli & Prophetæ designantur, si Apostoli, & Apostolici viri significari possunt? quamobrem sicuti simplex hæc verborum versio, eorumque historica narratio est inepta, ita & mystica expositio est incongrua. Necnon auditores, insulsa est Iacobi Valentini interpretatio, qui per murænulas aureas, spiritalia bo-

na, & temporaria mysticè intelligens, aut virtutes Theologicas, & Spiritus sancti dona explanant, quæ cum sint argento vermiculatæ, illas indicant virtutes, quæ ad mores spectant, virtutibus & donis supranaturalibus annexas, ipsum audite sic inquientem, faciemus tibi auricularia aurea, ex auribus pendentia, argento punctuata, depicta, & cœlata, idest bona spiritalia temporariis annexa, & virtutes Theologicas, donaque Spiritus sancti, cùm virtutibus moralibus copulata, hæc inquàm interpretatio duplici de caussa insulsa est, primùm quoniam huiusmodi murænulas aureas, ita mysticè explicatas ecclesiæ sponsæ largiri, & dare, non Christi sodalium munus est, siue Angeli sint, siue homines sancti: at ipsiusmet Christi, qui verus est Deus, à quo nobis omne datum est optimum, & omne donum perfectum, tàm spiritale, quàm temporarium, tàm theologicum, quàm morale: At protinus mihi obiicietis, hæc vtique donare, Christo conuenit: at Christus etiam est, non illius sodales, qui murænulas aureas suæ sponsæ pollicetur, dicens: *Murænulas aureas faciemus tibi*. Nequaquam auditores, res ita se habet, siquidem Charibdim euitare cupientes, in Scyllam inciditis, quemadmodum in superiori proximo sermone satis superque ostendimus, efficacibus rationibus comprobantes, non Christum: at Christi sodales sponsam ecclesiam in his verbis affari; præterquàm quòd nemo est inter omnes, aut Græcos, aut Latinos interpretes, qui (vt infrà declarabimus) per murænulas aureas vermiculatas argento, spiritalia bona cùm temporariis, seu Theologicas virtutes cùm moralibus copulatas, hic denique designari affirmet: & certè si murænulæ quædam catenulæ sunt, ex paucis annulis constitutæ, quæ ex auro argentoque contextæ conglutinantur, quæ copulatio est spritalium bonorum cùm temporariis? quę coniunctio Theologicarum virtutum cum iis quę ad mores hominum spectant? nulla mehercule, & ideò non est, vt hanc quoque expositionem approbemus; Nunc tertiò loco succedit proponenda Hugonis Cardinalis explanatio, quæ etsi omni ex parte laudanda non est, minimè omnium tamen est negligenda; putat enim vir iste egregius, hæc sponsi sodalium verba cùm præcedentibus ita connecti: ô sponsa, rogasti sponsum vt indicet tibi vbi ipse pascat, & cubet in meridie, ne post greges sodalium eius vagari incipias, hoc est post hæreticorum, & infidelium sectas, en exaudita nunc est oratio tua, nos ab illo missi, *faciemus tibi murænulas aureas vermiculatas argento*, hoc est Christi diuinitatem, & humanitatem tibi declarabimus, vt quid de vtraque illius natura sentire debeas, non ignores, & amplius errare nequeas: & certè, si per electrum ex auro conflatum, & argento, apud Ezechielem capite primo Christus verus Deus, & verus homo mysticè designa-

designatur, nullum sequetur incommodum, si per aurum illius diuinitatem, & per argentum humanitatem symbolicè designari hic asseueremus; Verùm omnium optima, & cum iis quæ hucusque dicta sunt maximè quadrans est aliorum quàmplurium interpretum explicatio, nempè Diui Gregorii, Bedæ venerabilis, Diui Bernardi, Diui Thomę, Haymonis, Hugonis etiam Cardinalis ibidem, & nonnullorum ex recentioribus explanatoribus, quippe qui vnanimi ferè consensu, (nam in aliquibus rebus accidentariis discordes esse videntur) omnes inquiunt per murænulas aureas diuinæ sapientiæ claritatem, seu spiritales sacrarum scripturarum sensus, & per argentum quo sunt vermiculatæ, eloquii nitorem allegoricè præmonstrari, quemadmodum per Christi sodales, qui cum sponsa loquuntur, omnes eius ministros intelligere oportet, quicunque illi sint, per quos nobis sacrosancta scriptura, cooperante Dei spiritu, reuelatur. Hi igitur Christi ministri, nè eius sponsa ecclesia in suiipsius ignorantiam iterum cadere pertimescat, & sic omnium miserrima effecta perpetuis apud inferos se damnet suppliciis, ipsi pollicentur murænulas aureas se ipsi facturos, vermiculatas argento, hoc est sacrarum scripturarum sententias, & sanctorum patrum institutiones, atque exempla sapientiæ auro intus resplendentia, & sacri eloquii argento foris distincta, se illi explicaturos, siquidem sponsa ecclesia abeunti Christo sponso obiicere potuisset: pulcherrima equidem sum (vt tu dicis) tot laudabilium virtutum ornamentis insignita, fortitudine scilicet, pudicitia, atque obedientia, sed cum hinc discesseris, vnde pulchritudinem hanc seruem non habeo, & ob hanc caussam sponsi sodales protinus introducuntur, inquientes: ò Christi sponsa, etsi tuus hinc abiit sponsus, nos illius vicem gerentes, *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*. Nos sacræ scripturæ præsidium tibi tra demus, ex qua præcepta, consilia, institutiones, & exempla sanctorum patrum, quibus teipsam optimè regas, seligere poteris: & quoniam sacræ scripturæ mysteria, de quibus Christi sodales (quasi quasdam similitudines) purissimos diuinæ sapientiæ sensus contexunt, non nisi auribus Ecclesiæ per mediam fidem repræsentari possunt, cum *Fides sit ex auditu, & auditus per verbum Dei*. Rom. cap. 10. hinc profectò est, vt aurium potius ornamenta, quàm colli huiusmodi murænulas aureas esse existimem, vt in calce præcedentis sermonis comprobauimus, & certè quæ cognatio est sacrarum scripturarum intelligentiæ, seu diuinorum mysteriorum sensus spiritalis, seu diuinæ sapientiæ claritatis, & eloquii nitoris, quæ per murænulas aureas mysticè intelliguntur, cum collo sponsæ, vt eius sint ornamenta? neque enim fides, aut rerum intelligentia ex collo est; at ex auribus, cùm *Fides sit ex auditu, & auditus per ver-*

bum Dei. Quare per has muraenulas aureas, quas sponsi sodales, se sponsae facturos pollicentur, aurium ornamenta historicè designantur; Ita inquit Diuus Gregorius per muraenulas sancta scriptura intelligitur, quae bene est vermiculata auro, & argento, quia sancta scriptura, & sapientiae auro fulget, & sonorae praedicationis argento per vniuersum mundum auditur: sicut enim per aurum sapientia, ita per argentum sancta praedicatio demonstratur. Ita inquit Beda Ven. aurum, de quo faciendae sunt muraenulae, sensus spiritalis claritas est, argentum verò, quo sunt vermiculatae, nitor est eloquii coelestis, & muraenulae istae significant contextum diuinarum scripturarum, quibus sanctae ecclesiae venustas augetur: Ita inquit D. Bernar. per aurum sapientia intelligitur, quę de sursum est, & per argentum nitor eloquii, muraenulae autem historicè sunt aurium ornamenta, & mysticè sunt mysteria fidei, de quibus texunt patres spiritales quasdam similitudines, & purissimos diuinae sapientiae sensus, quos auribus ecclesiae ipsi repraesentant, vt videant saltem speculum in aenigmate, quod denique facie ad faciem intueri poterunt; Ita inquit Hugo Card. muraenulae aureae scripturarum sententias significant, institutiones, & bona exempla sanctorum, auro sapientiae intus resplendentia, & argento sacri eloquii extra fulgentia; Ita inquiunt Diuus Thomas, & Haymon, muraenulae sunt perplexa scripturarum dogmata, si mysticè loquamur, & diuersis sanctorum patrum sententiis inter se coniuncta, sicut aurum significat claritatem sensus spiritalis, & argentum eloquii nitorem, & tunc Christus & Doctores sancti, qui sunt eius sodales, Ecclesiae sponsae muraenulas aureas faciunt vermiculatas argento, cùm illam doctrinis sanctorum patrum sensu, & eloquio fulgentib. instruunt atq; ad eorum fidem, & virtutem imitandam accendunt: ex quibus omnibus interpretum explicationibus facilè intelligere potestis, omnes in eo quod ad rem facit, vnanimes esse, licet in aliquibus rebus accidentariis ab inuicem dissentiant; Et de his hactenus.



LECTIO

LECTIO LVIII.

Muranulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.



QVAMQVAM ex variis ſanctorum Patrum, & Eccleſiæ doctorum explanationibus, à nobis hæc verba ſatis ſuperque declarata fuerunt, nonnulla tamen de murænulis, auro, & argento, adhuc dicere libet; & vt à murænulis exordiar, hæ ſunt catenulæ quædam ex paruis annulis contextæ, quæ à Muræna piſce marino flexuoſo, qui longitudine non diſsimilis eſt Anguillæ, & fœminei tantum ſexus (vt Licinius Macer tradit) murænulæ appellantur, & licet alibi catenulæ aureæ, vt Exodi cap. 28. in Rationali poſitæ, quod Pontifex in pectore geſtabat, pudicam dilectionem, & charitatem quæ in Pontificis corde ardere debet, myſticè deſignent, quemadmodum catenæ, quibus ligatus Hieremias Propheta in carcerem coniectus fuit, Chriſti Domini noſtri captiuam detentionem præmonſtrant, ſeu vt legimus Leuit. cap. 26. Iudicum 16. 4. lib. Regum, cap. 25. Iſaiæ 58. Hieremiæ 27. & Ezechielis 19. catenæ erratorum vincula, quibus homines impii conſtringuntur, & grauem peccandi conſuetudinem indicant, ſicut aſtruunt Origenes homilia 16. ſuper Leuitic. Diuus Hieronymus ſuper Iſaiam cap. 58. Diuus Cyrillus Alexandrinus libro 7. ſuper Diuum Ioannem cap. 23. & Iſychius ſuper Leuit. cap. 26. Veruntamen hæ catenulæ aureæ, quæ & Num. cap. 31. & Iſaiæ cap. 3. & in Canticis canticorum cap. 1. murænulæ nuncupantur, nec caſtam Pontificis dilectionem, nec captiuam Chriſti detentionem, nec grauem peccandi conſuetudinem, ſed quid aliud ſymbolicè nobis oſtendunt, vt infrà ſatis dilucidè declarabimus; in his autem tribus dumtaxat locis, de murænulis mentionem fieri reperio; & primùm Num. cap. 31. vbi cum Iſrahelitici exercitus principes, tribuni, & centuriones aduerſus Madianitas, ex Domini præcepto fortiter dimicaſſent, atque victoriam ex illis retuliſſent, vt læti aliquod victoriæ ſignum Moyſi oſtenderent, multa illi precioſa munera obtulerunt, inquientes: *Nos ſerui tui offerimus tibi in donarijs domini ſinguli quod in prǽda auri potuimus inuenire; Periſcelides, & armillas, & murænulas, vt depreceris pro nobis Dominum*. Rurſus apud Iſaiam cap. 3. de murænulis legimus, quò loci ſanctus Dei Propheta mala præuidens, & flagella, quibus Deus Optimus Maximus filias Syon affliget, & cruciabit, propterea quòd in ſuperbiam elatæ ambulauerunt collo extento, ita ſcribit: *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, &*

lunu-

lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & murænulas, & alia quamplura huius generis ornamenta. Demum in Cant. Canticorum cap. 1. legimus, sponsi sodales, murænulas aureas spō sæ se facturos polliceri: quibus sanè tribus in locis, murenulæ (vt omnes ferè interpretes vnanimi consensu explicant, & præcipuè Origen. hom. 26. super Num. Diuus Hieronymus, super Isaiam cap. 3. D. Bernardus, Diuus Gregorius, D. Thom. & alii, in suis commentariis super Cantic. ca. 1.) nihil aliud mysticè nobis designant, nisi doctrinæ sacræ, & verbi Dei connexiones, quæ auro texuntur, & argento, quoniam scripturæ sacræ aureæ sunt propter sapientiam, & vermiculatæ argento propter elo quium prædicationis. Nunc sequitur, vt de auro aliquid dicamus, quod sicut omnibus excellit metallis, & ob id Chymici aurum solare metallum vocant, cum Sol cæteris cœlestium globorum syderibus, & luce, & ma gnitudine præstet, ita mysticè aurum significat charitatem, quæ omnibus supereminet virtutibus, vt asseuerant Diuus Augustinus, & Diuus Hilarius super Psalm. 67. & Diuus Gregorius 18. Moral. cap. 30. & super Ezechielem hom. 15. aut potius diuinam naturam, & præcipuè Christi diuinitatem indicat, vt placet Orige. in suis commentariis super epist. Diui Pauli ad Rom. scriptam cap. 3. Clementi Alexan. lib. 2. Pædagogi, cap. 8. & Basilio Magno in hom. de Christi natiuitate, licet nonnulli sint, qui per aurum sacrosanctam scripturā interpretantur, & spiritales potissi mum sensus, qui sub literæ cortice absconduntur, vt Origen. hom. 2. super Cant. hom. 6. super Ezechielem, & hom. 25. super Diuum Matth. vt D. Hieronym. super Psalm. 44. & super Zachariam cap. 4. vt demum reliqui omnes interpretes in suis commentariis super Cantica canticor. Etenim aurum cùm argento præsertim coniunctum, de quo nunc aliquid dicere restat, sacrarum scripturarum sensus spiritales, cùm diuini eloquii nitore copulatos symbolicè præmonstrat; cùm argentum candidum sit metallum, lucidum, & sonorum, & ob id Dei verbum designat quod est candidum, quoniam lex Domini est immaculata, quod est lucidum, quoniam lucerna pedibus meis verbum Domini, quod denique est sonorum, quoniam in omnem terram exiuit sonus illius; ita inquiunt Origenes homil. nona super Exodum, & super Ezechielem hom. 3. Diuus Ambrosius secundo libro de Abraham cap. 5. & Arnobius super Psalmo 67. & 104. præterquàm quòd argentum, vt astruunt Origenes, homilia secunda super Cantica, Diuus Hieronymus super Iob cap. 28. Diuus Gregorius decimooctauo libro Moralium cap. 14. & Diuus Ambrosius primo Offic. cap. 3. eloquentes, & vi sermonis potentes my sticè significat, qua de caussa Diuus Hieronymus super Isaiam cap. 2. inquiebat: *Argentum Tharsis, & Niniue Hæreticorum ac Philosopho-*

rum

rum eloquentiam indicare poſſe. Quinimmo tubæ illæ argenteæ, de quibus Num. cap. 10. legitur, & columnæ argenteæ de quibus in Cantica cap. 3. fit mentio, ipſius verbi Dei concionatores præmonſtrant, qui nitore eloquii, quaſi argenti ſplendore refulgent, quemadmodum Diuus Gregorius ſuper Cantica eodem in loco affirmat. Quicquid tamen ſit, illud planè verùm eſt, & quàmplurium ſanctorum Patrum & Doctorum authoritate comprobatum, murænulas aureas vermiculatas argento, quas Chriſti ſodales, ipſius ſponſæ Eccleſiæ ſe facturos promittunt, diuinæ ſapientiæ claritatem eloquii nitore fulgentem, ſymbolicè ſignificare; Et hæc ſatis dicta ſint de iis omnibus quæ ad hoc primum, & peculiare horum decem Canticorum canticum, aut hiſtoricè aut myſticè pertinere videntur.

Primi Cantici Canticorum Finis.





PROSPERI ROSSETTI SERVITAE

In secundum Canticum canticorum Salomonis Prophetæ, Explanationum

LIBER SECVNDVS.



Personæ interloquentes in hoc secundo Cantico Canticorum.

1 Sponsa, quæ est Ecclesia Dei; hoc est Iudæorum, ac Gentium in Christo facta vnio: Hæc autem cùm sponsum Christum alloquitur, tùm eius sodales, qui sunt beati spiritus, tùm etiam suas adolescentulas.

2 Sponsus, qui Christus est, iàm factus homo. Hic verò & cùm sponsa, & cùm eius pedissequis verba facit, suis autem cùm sodalibus nequaquàm.

ARGVMENTVM SECVNDI CANTICI CANTICORVM.



Ecclesia sponsa, eorum quæ à sponso Christo beneficia postularat voti compos effecta, summopere lætatur, eorumque memor, summa animi gratitudine illi gratias agit; inde à sponso plurimum commendata, mutuò quoque sponsum, ipsiusque virtutes commendat, sub cuius denique vmbræ præsidio tuta quiescens, suaui diuinæ sapientiæ cibo, optimoque lætitiæ spiritalis vino refecta, & charitatis ordinem, modumque edocta, in eius sinu, vitæ contemplanti vacans, iam secura obdormit, quam ipsemet sponsus, nè excitetur summa vigilantia custodit.



Secun-

Secundum Canticum Canticorum, à Gilberto Genebrardo Theologo Parisiensi versibus Iambicis dimetris ita expressum.

Sponsa loquitur,	Quæ est Ecclesia (vt inquiunt) Primitiua.
Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum:	*Dum cùm suis domesticis,* *Sumens cibum Rex accubat,* *Nardi fragrantis vnguine* *Perfundo tota regiam;*
Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur,	*At hic mihi charissimus* *Inter papillas commorans,* *Ad fascis instar myrrhei,* *Me me sedentem recreat,*
Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.	*Mihique sicut Cyprius* *Botrus fit inter Engadas* *Olens suauè uineas.*
Sponsus loquitur,	Qui est Deus factus Homo.
	En tu mihi charissima,
Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.	*Es virginum pulcherrima,* *Es omnium bellissima,* *Habens columbæ lumina,* *Sancto pudore prædita:*
Sponsa loquitur,	Quę est eadem Ecclesia primitiua.
	Et tu uicissim chare mi
Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus: lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.	*Tu totus es pulcherrimus,* *Tu totus es gratißimus,* *Ac inde noster lectulus* *Vernat, viretque floreus.* *Quin & tigillis cedreis* *Nobis nitet palatium,* *Cuius tegunt solarium* *Pulchræ trabes cupresscæ.*
Sponsus loquitur,	Qui est Christus.
	Rosæ velut sum flosculus,
Ego flos campi, & lilium conuallium;	*Campis virens Saronijs,* *Sum sicut album lilium,* *Quod flagrat in Conuallibus:*

Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.	*Spinas ut album lilium* *Excellit inter aſperas,* *Amica ſic dulcis mea* *Præcellit inter virgines.*
Sponſa loquitur,	Quæ eſt Eccleſia Chriſti.
Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios; ſub vmbra illius, quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo:	*Qualem tenet malus locum* *Fœcunda, fragrans, mellea,* *Inter comatas arbores,* *Denſis uigentes ſaltibus;* *Talem inter ille filios,* *Quem mente totum diligo;* *Hinc eius umbra gaudeo,* *Sub hac ſedere geſtio,* *Cuius probatis fructibus* *Nil eſt palato dulcius.*
Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.	*Me duxit in uinarium* *Conclaue, flammulis ibi* *Me charitatis imbuit.* *Exinde amore langueo,* *Fulcite ſed me floribus,* *Firmate ſed me odoribus,* *Quos poma fundunt aurea.*
Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.	*Me ſic iacentem languidè* *Sponſus ſiniſtra fulciet,* *Me ſic amore ſauciam* *Firmabit arctè dextera.*
Sponſus loquitur,	Qui Chriſtus eſt.
Adiuro vos filiæ Hieruſalem, per capreas, ceruosq; camporum, nè ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.	*Adiuro uos per capreas,* *Ceruosque ſaltus incolas,* *O Sollymorum filiæ,* *Ne eius quietem rumpite* *Eiusue ſomnum frangite,* *Se ſponte donec excitet.*

Secundi Cantici Canticorum finis.

PRO-

PROSPERI ROSSETTI SERVITAE

In secundum Canticum canticorum Salomonis Prophetæ, Explanatio.

LECTIO LIX.

Dum esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum.



VM in præludiis de huius Cantici canticorum in debitas eius partes, distinctione pertractaremus, illud in decem Cantica peculiaria distribuimus, sicuti decem Euangelica mysteria ad incomprehensam diuini Verbi Incarnationem, & ad omnem vniuersæ ecclesiæ statum, tàm miserum, quàm fœlicem pertinentia, à Salomone Propheta hic explicantur. Et quoniam primum Canticum peculiare (Deo Optimo Maximo fauente) hucusque interpretati sumus, in quo Propheta maximum omnium Christi fidelium tàm viuetium quàm vita functorum in Lymbo commorantium desiderium præuidet & manifestat; quippe qui Messiam (vt ad genus humanum à Dæmonis seruitute liberandum properaret) plurimũ obsecrantes, septem diu desiderata à sponso implorant, ac voti compotes fiunt; Modò nobis secundum Canticum explanandum succedit, in quo Salomon ex alta quidem, at clara specula, admirabile & augu-

stum iamiam effectę diuini Verbi incarnationis mysterium prævidet & contemplatur, inquiens: *Dum esset Rex in accubito suo, &c.* Huic autem mira profectò huius cùm præcedente Cantico apparet connexio, nam quod in primo tanquam desideratum incarnationis mysterium explicatur, illud idem in hoc secundo Cantico seu iàm adeptum proponitur; Ita vt ibi rei desiderium, hic verò adeptio pertractetur. Verùm huius secundi Cantici in varias eius particulas perfecta diuisio, ex mutuis variarum personarum colloquiis, quæ fiunt in ipso, colligi potest; hæc verò cùm quinque tantummodò sint, totidem etiam huius secundi Cantici partes enumerantur: etenim sponsa ecclesia modò suas adolescentulas, modò verò Christum sponsum affatur; sponsus verò Christus cùm sponsam ecclesiam, tùm sodales suos, tùm etiam ipsius sponsæ pedissequas hic alloquitur; Quare ex his omnibus satis manifestè apparet & Prophetæ intentiò in hoc secundo cantico, & huius cùm præcedente connexio, & demum ipsius diuisiò in quinque præcipuas partes, quę his quinque præcipuis colloquutionibus perbellè respondent. Verùm cùm in hoc vniuersum Canticum canticorum, quod totum est parabolicum & dramaticum, sub triplici præsertim metaphora, nunc sponsi & sponsæ, nunc pastoris & gregis, nunc demum agricolæ & vineæ, Christus & ecclesia seinuicem compellantes à Salomone, quasi in comicam scenam aut tragicam inducantur; in hoc secundum peculiare Canticum, veluti in pulcherrimam scenam, primò prodit ecclesia sub Regio sponsæ indumento, & dramatis ordine mutato sponsum Christum Regem iamiam hominem effectum fuisse, suis nunciat adolescentulis, & inquit: *Dum esset Rex in accubitu suo*. Etenim quàmquàm antiquus Origenes homilia secunda, Diuus Hieronymus hom. tertia, Diuus Bernardus sermone 42. & Hugo Cardinalis suis in commentar. super Cantica cantico rum astruunt, dramatis ordinem hic non mutari, neque nouam effici scenam, cùm nulla personarum mutatio fiat, sed quæ in calcem primi Cantici veluti in scenam personæ inductæ fuerant, eædem etiam in huius secundi Cantici exordio remaneant, sponsa nimirum ecclesia, & sponsi Christi sodales se inuicem alloquentes; Cum hoc solo discrimine, vt sicuti in calce primi Cantici, Christi sodales sponsam ecclesiam alloquebantur, ita vicissim in huius secundi initio, sponsa sponsi sodales compellet & dicat: *Dum esset Rex in accubitu suo.* Veruntamen cùm cæteris aliis tàm antiquis quàm recentioribus interpretibus, & dramatis ordinem hic immutari, & nouam effici scenam magis asseuerandum opinor, ob nouam personarum & colloquiorum immutationem; non quòd Christi sodalibus discedentibus, sponsus Christus inducatur in scenam, cum quo sponsa loquatur, vt placet docto Haymoni, D. Thomæ, Ia-

cobo de Valentia, & Alphonso ex instituto D. Augustini, qui putant sponsam ecclesiam hic sponsum Christum affari, illique dicere. Dum esses ò Rex mi sponse in ecclesiæ militantis ambitu; Nardus fidei & bonorum meorum operum, tunc dedit odorem suum; Quamobrem maximas & immortales tibi gratias ago: Neque illud etiam approbo, vt ipsis sponsi sodalibus abeuntibus, eorum loco Synagoga ecclesiæ æmula atque incredula introducatur, vt censet Cosmus Damianus dicens, vnionem Gentium & Iudæorum, Christi fidelium, quam ecclesiam primitiuam appellant, veterem Synagogam sui æmulam in his verbis alloqui, illique dicere, quid miraris ò Synagoga? quid obmurmuras, quòd ad me diuertat Christus Rex noster? Quòd mecum edat & bibat? quòd arctam mecum inierit amicitiam & fœdera nuptialia? ecce ex quo in humanitate sua accumbit, fides mea (veluti Nardus pistica) odorem nardinum Regi gratissimum protulit; At opinor vt Christi sodalium loco, qui iàm in primi Cantici fine è scena discesserant, ipsiusmet sponsæ pedissequæ, quæ sunt incipientium animæ, in huius secundi Cantici exordium, veluti in scenam inducantur, quas ipsa sponsa, quæ est Ecclesia primitiua, his iucundissimis verbis compellat: *Dum esset Rex in accubitu suo*. Ita censet Hugo Cardinalis ibidem, licet aliter etiam de hac re censuerit, vt suprà adnotauimus. Huic ergo opinioni satis libenter ego assentior; & rationes quæ ad hanc potius amplexandam sententiam me compellunt, non parui sunt momenti, nam primùm ex ipsa verborum vi satis manifestè colligimus, sponsam in hoc loco, vbi Diuini Verbi cùm humana natura vnionem hypostaticam iàm effectam, seque à sponso Christo ob id in maximas euectam fuisse dignitates nunciat: nequaquàm sponsum Christum, aut sponsi sodales, qui sunt beati spiritus, affari posse, cùm neque istos, neque illum, quæ in huiusmodi incarnationis mysterio contigerint, latere queant: Præterquàm quòd iis reuelanda sunt mysteria sacra, qui illorum ignari (vti sunt incipientium ac proficientium animæ) ab ecclesia Dei, eiusque doctoribus quàmmaximè erudiri opus habent; & demum si margaritæ ex Domini præcepto apud Diuum Matthæum cap.7. non sunt ponendæ ante porcos, qui fieri potest vt ab ecclesia Dei, ipsi veteri atque incredulæ Synagogæ, tot præclara diuinæ incarnationis mysteria aperiantur? Satius igitur est, si sponsam suis cùm adolescentulis, quæ sunt animæ fideles, adhùc in Christi fide proficientes, hic habere sermonem statuamus, illisque in scenam prodeuntibus, id nunciare: *Dum esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum.* Ita inquit Hugo Cardin. *Vox est sponsæ ad sodales sponsi*; quæ est prior opinio, quam non probo: *Aut ad suas adolescentulas*, quæ posterior est opinio, quàm meliorem existimo;

 Quare

Quare & dramatis ordo mutatur, & noua hic efficitur scena. Verùm ad ipsam verborum explicationem tàm literæ sensum, quàm Spiritus mysteria respicientem, iàm accedamus; & primùm si speciem dramatis externam consideremus, sponsum quidem in his verbis suam conuiuio sponsam excepisse cognoscimus, quæ in calce primi Cantici, ipso abeūte, in accubitumque suum ingrediente, foris cùm sponsi sodalibus remanserat, ipsi sponsæ pollicentibus, se illi facturos murænulas aureas vermiculatas argento, donec Rex sponsus foret in accubitu suo; quibus deinde sponsi sodalibus è scena discedentibus, ipsa quoque recedens, & in sponsi conuiuium introducta, illum vnguento nardino vnxerit, & miro quodam modo dederit odorem suum, quod quidem officium sponso gratum extitisse intelligens, in huius secundi Cantici exordio, à conuiuio rediens, in scenam prodit, ad suasque conuersa adolescentulas, illis hæc nunciat: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Et certè si *Accubitus*, vt legitur in nostra versione, vel vt alii vertunt, *Circuitus* (inquiunt enim, *Dum fuit Rex in circuitu suo*) lectum designant, in quo veteres conuiuæ discumbere solebant, & olim Hebræi non iacentes, Græcorum instar antiquiorum, & Romanorum: at in circuitu sedentes, circa epulas grauitatis decore seruato, in sinistrum latus suprà mensam innixi accumbebant, nonnè per accubitum sponsi, ipsius lectum & conuiuium ex literæ sensu intelligere possumus, in quod sponsa fuerit introducta? at si mysticè exponamus hęc verba, varii interpretes varia dicunt.

Et primùm est opinio Rabbi Salomonis Tarhii, suis in commentariis super Cantica, vt refert ibidem Gilbertus Genebrardus, qui putat Synagogam cum Deo Optimo Maximo loqui, cui dicat: ò summe Rex dum esses in accubitu montis Synai, dans mihi legem per manum Mosis, tunc nardus mea putruit (per contrarium videlicet sensum) quippe quæ vitulum aureum venerari non erubui. Verùm Origenes, Diuus Hieronymus, & Hugo Card. per accubitum sponsi, aut Christi sepulchrum, aut illud conuiuium interpretantur, quò Christus in Castro Bethaniæ à duabus sororibus earumque fratre Lazaro exceptus fuit, cum inquiunt, dum Christus fuit in sepulchro, in quo dormiuit vt Leo, Catulusque Leonis, Nardus mea dedit odorem suum, hoc est ecclesię primitiuæ bona opera, coràm Deo & proximo apparuerunt; nam tunc Maria Magdalene cum Maria Iacobi & Salome, habens alabastrum vnguenti nardi pistici, venit ad monumentum, vt vngeret Iesum: Siue hoc altero pacto exponunt; Dum esset Rex Christus in sepulchro, nardus mea, quæ est ipsemet Christus, seu Christi diuinitatis gloria & maiestas, dedit odorem suum, quandoquidem ipsius corpori hypostaticè

vnita,

vnita, illud corrumpi aut putrefieri non reliquit, sed tertia die viuum à mortuis resurgere fecit, vt dicitur in Psalmo 15. *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. aut denique ita explanant: Dum Christus in castro Bethaniæ cõuiuio exceptus fuisset, Maria Magdalene attulit librã vnguenti nardi pistici preciosi, & vnxit pedes eius, & ita ipsamet mulier recepit odorem non tàm nardi, quàm Christi fragrantiam; ac si dicere possit, nardus mea in Christi corpus missa, mihi reddit odorem, vt dicitur in Euangelio D. Ioannis cap. 12. *Domus impleta est ex odore vnguenti*, hóc est bonus odor Euangelicæ doctrinæ, qui de Christo procedit, & spiritus sancti fragrantia totius ecclesiæ domum repleuit, ita vt sponsę nardus, quę sunt ecclesię opera bona, prius odorem non dederit, quàm cum sponsi Christi corpus contigit, tiam *Omnis nostra sufficientia ex Deo est*, vt scribit Apostolus cap. 3. posterioris epistolæ ad Cor. neque ex nobis, quasi ex nobis, nisi diuinæ gratię pręsidio suffulti, aliquid boni agere, quinimmo nec cogitare valemus. Ego tamen has omnes interpretationes non satis bonas existimo, vt per accubitum sponsi, Christi sepulchrum, aut Bethanię conuiuium intelligatur, quandoquidem Christum primò hominem effectum conspicere debemus, deinde mortuum, & tandem sepultum fuisse; at hęc in proximè sequentibus verbis à Propheta declarantur, vbi de acerbissima Christi morte, eiusque accubitu in sepulchro, sub pulcherrima fasciculi myrrhæ similitudine pertractatur. Alii verò sunt, vt Hugo Card. qui per accubitum sponsi Christi, crucis patibulum exponentes, tunc opinantur sponsę nardum dedisse odorem suum, hóc est ecclesiam bonorum operum famam tunc effudisse in Maria matre Iesu, in discipulo Ioanne, mulieribus, Centurione, & aliis: Verùm hæc quoque Hugonis explanatio minimè gentium est admittenda, & eadem qua prior sententia, ratione conuincitur; neque enim adhùc factus homo in accubitu crucis esse, aut mori poterat. Item nonnulli sunt, vt Diuus Gregorius, Diuus Bernardus, Hugo Card. & Alphonsus Augustinianus, qui per accubitum sponsi, cœleste regnum exprimi volunt, ac Dei patris dexteram, vbi Christo requiescente, tanquam in excelso habitaculo suo, sponsę nardus dedit odorem suum, ecclesię scilicet virtus suauem bonitatis famam longè latèque sparsit, tunc etenim cùm dominus in cœlum ascendit, spiritum sanctum super Apostolos misit, quo ipsi repleti, verba salutis mundo prædicarunt, & per sancta opera, boni nominis odorem diffuderunt; Aut ita interpretantur, primitiuę ecclesię hunc sermonem congruè aptare possumus, si dies illos recordemur, quibus in cœlum assumpto domino, & ad dexteram Dei patris sedente, discipuli congregati erant in monte Syon, vnanimes cùm mulieri-

bus in

bus in oratione perseuerantes; nam tunc temporis nardus (humilis herba) hoc est preces & orationes humilis ac trepidantis ecclesiæ, dederunt odorem suum, cuius humilitati facta est copiosa remuneratio; cùm factus sit repentè de cœlo sonus; tamquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Hæc autem opinio mihi non satisfacit, & eadem ratione, qua duæ priores, satis benè conuincitur; quandoquidem Christus nondum factus homo, nec mortuus, nec à mortuis resurgens, in cœlum, vnde numquam discesserat vt Deus, quatenus homo conscendere nequiuerat. Quidam rursus vt Hugo Cardinalis, & Aegidius Romanus asseuerant accubitum sponsi, æterni patris sinum mysticè designare, in quo Christus nondum factus homo, seu potius Dei filius vnigenitus, ab ipsamet æternitate gloriosus accubuit, & ita exponunt: Dum esset Dei filius in sinu patris illi coæqualis Rex & coæternus, tunc (vt ait Aegidius) ecclesiæ sanctæ humilitas in antiquis patribus dedit odorem suum, quam ipse Deus excelsus respiciens, hominem fieri voluit; vel ita (vt inquit Hugo) tunc nardus mea, hoc est dilectio sponsi quæ dicitur mea, cum mihi sit vtilis ac necessaria, dedit odoriferam & claram sui notitiam in omnem terram, humanam carnem assumens; & hæc expositio (quamuis satis bona sit) aliquo tamen pacto probari non potest, cùm in hoc sensu diuini Verbi incarnatio, ceu nondum facta explicetur, at ex antiquorum patrum humilitate citò facienda declaretur. Quare optima est illorum opinio, qui per sponsi accubitum, aut Virginis vterum, aut humanitatem nostram figuratè significari volunt, vt Diuus Thomas, doctus Haymon, Hugo Cardinalis, dominus Henricus Harphius libro 1. mysticæ theologiæ, cap. 67. Iacobus Valentinus, & Cosmus Damianus in suis omnes Commentariis super Cantica, tunc etenim Dei verbum iam factus homo, atque Rex Regum, quem Deus vniuersorum hæredem constituit, in virginalis vteri, aut humanitatis nostræ accubitu, quæ sua est benignitas, dum accumbere voluit, humilisque quiescere, tunc inquam humilitas ancillæ suæ, quæ per nardum paruam herbam & humilem exprimitur, dedit odorem suum, seu tunc nardus mea, quæ est ecclesiæ fides, magis enituit, quando Christus factus est homo; licet enim ante Christi natiuitatem temporariam, sancti Dei reperirentur in terris, tempore tamen incarnationis Christi sanctitas magis excreuit; & ecclesia considerans Deum propter se hominem factum, ad spiritualium virtutum studium suique conditoris amorem eò magis accenditur. Hæc igitur explicatio à me quoque probatur, præterquàm quòd isti volunt sponsam, quæ est ecclesia primitiua, hîc sponsum Christum iam hominem factum alloqui; ego verò opinor ipsam suas compellare adolescentulas; & de spon-

so Christo cum illis loqui, quibus sanè quinque explicationibus, sextam quoque nos addere possumus, si dicamus sponsi accubitum militantis ecclesiæ regnum esse, in quo Rege Christo & per corpoream suiipsius præsentiam tres annos supra trigiuta, & per gratiam & sacramenta vsq; ad sæculi consummationem accumbente & residente, ipsius sponsæ ecclesiæ nardus, quæ sunt fides, & opera bona, ex humilitate facta, quammaximè hinc inde dedit odorem suum, ita placet Gilberto Genebrardo suis in Commentariis super Cantica, & Iacobo Valentino ibidem; & me hercule, sponsi accubitus, etsi Christi crucis patibulum, eius sepulchrum, Bethaniæ conuiuium, Dei patris dexteram, diuinumque ipsius sinum mysticè designat, potissimum tamen aut Virginis vterum, aut humanitatis nostræ tabernaculum, aut ecclesiæ militantis regnum figuratè exprimit: Etenim in his tribus præcipuè locis nuptiæ factæ sunt, & epularis sponsi Christi, sponsæque ecclesiæ accubatio, hæc autem sacrarum sunt scripturarum testimonia id comprobantia, ita inquit Dauid in Psal. 18. de Virginis vtero, *Tamquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo*. ita inquit Salomon Sapientiæ cap. 8. de humanitatis nostræ tabernaculo: *Hanc amaui, & exquisiui sponsam mihi assumere*. ita demum inquit Oseas cap. 2. de ecclesiæ militantis regno: *Desponsabo te mihi in sempiternum, & desponsabo te mihi in iustitia & fide*. & Apocalyp. cap. 3. *Cænabo cum illo, & ipse mecum*. In hoc autem triplici sponsi Christi accubitu, triplex etiam facta est vnio, primùm hypostatica cùm humana natura assumpta, à qua nunquàm disiungitur; adhuc materna cùm virgine matre, cùm qua per nouem menses vnitus fuit: & mystica demum per gratiam, cùm ecclesia sancta, cùm qua spiritali fidei & gratiæ vnione vsque ad sæculi huius consummationem coniunctus erit in terris, & semper in cœlo. Verùm in primo sensu loquitur vt sponsa Christi, humana natura, illa videlicet peculiaris & indiuidua quam Dei verbum ad suam assumpsit hypostasim, in secundo verò sensu loquitur Maria Virgo sponsa & mater vnigeniti filii Dei, in tertio demum sensu loquitur ecclesia primitiua, quę est Gentium ac Iudæorum Christi fidelium vnio, & hunc præcipuè sensum ego amplector. Proh Deus optimus maximus, si sacrum incarnationis mysterium sub pudico sponsi sponsæque connubio, ac nuptiarum nomine aptissima similitudine declaratur, vt ait Diuus Gregorius hom. 38. super Diuum Matthæum, illa verba quæ cap. 22. habentur, explanans: *Simile factum est regnum cęlorum, homini Regi, qui fecit nuptias filio suo*, inquit enim, *nuptiarum thalamus fuit vterus Virginis, & tunc Deus pater filio suo nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis humanę naturæ coniunxit, & ei per incarnationis mysterium sanctam ecclesiam sociauit*. Nonnè per accubitum sponsi, qui lectus est, ac epularis accubatio, huiusmodi incarnationis mysterium perbellè expri-

mi dicemus? O fœlicem, & ter & quater beatum Regis nostri accubitum, hoc est humanæ naturæ tabernaculum, in quo diuina æterni verbi natura in temporis plenitudine residens, & accumbens, perpetuóque ibi mansura (cùm quod semel assumpsit nunquam dimittat) omnium mortalium conuiua facta est atque contubernalis; fœlix inquàm & infinitè beatus est accubitus iste, in quo Rex sponsus suam diuinam hypostasim humanæ naturæ largitur, quæ contrà Dei verbo dedit esse humanum, vt Deus homo, & homo verè factus sit Deus; & ob hanc caussam humanitatē nostram summi Regis accubitum appellat sponsa, inquiens: *Dum esset Rex in accubitu suo*, suum namque quod nostrum erat fecit, vt quod suum erat faceret nostrum; ipse vilis in nobis factus est & pauper, vt nos in ipso diuites essemus ac nobiles, ipse demum in terris visus est, & cùm hominibus conuersatus, vt homines in cœlum conscenderent, & cum beatis Angelis communi gloria donati conuersarentur: hic ille est accubitus, hęc illa est epularis accubatio, hoc illud est regium conuiuium, hæc demum sunt illæ nuptiæ, ad quas Rex æternus per seipsum primò nos inuitauit, posteà verò per seruos suos tùm prioris ordinis, tùm posterioris, tàm blandè vocauit, tunc inquàm ad has nuptias nos inuitauit Deus per seipsum, cùm ex libera suiipsius voluntate, non à prima mundi constitutione, sed antequàm essemus ab ipsamet æternitate, nos imagini filii sui conformes fieri prædestinauit, vt essemus sancti & immaculati coram ipso, eiusque deliciis suauissimis in huius ecclesię non solum militantis, at triumphantis etiam regno, beati cum ipso frueremur, vt ipsemet ait in Euangelio D. Lucæ cap. 22. *Ego dispoſui vobis mensam, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Posteà verò per seruos suos tàm prioris quàm posterioris ætatis, ad huiusmodi nuptias regia maiestate dignas, nos vocauit, cum in antiqua primum lege per Patriarchas & Prophetas sanctos, mox verò tempore gratiæ per Apostolos & apostolicos viros, ad hunc sacrum diuini verbi in humana natura, dicam etiam in vtero, & in Ecclesiæ militantis regno, accubitum candida fide credendum, summaque charitate colendum nos accersiuit. His igitur nuptiis nos paremus, veste nuptiali nos induamus, & tales demum nosipsos exhibeamus, quales illos exhibere decet, qui tàm regii accubitus epulis magnificentissimis perfrui desiderant; & de sponsi Regis accubitu hæc hactenus, iàm verò quæ sit sponsæ Nardus inspiciamus.

LECTIO LX.

Nardus mea dedit odorem suum.

SPONSA suas alloquens adoleſcentulas, ſumma illis cum lætitia nunciat, ſuam nardum tunc ſuum dediſſe odorem, cùm Rex ſponſus eſſet in accubitu ſuo, quod eſt primariũ Chriſti ſponſi beneficium, quod in ſponſam eccleſiam factus homo contulerit: & quoniam de ſponſi Regis accubitu ſatis ſuperque dictum fuit in præcedenti ſermone, nunc de ipſius ſponſæ nardo aliquid dicendum ſuccedit. Primùm autem illud animaduerto, quatuor genera nardi apud naturaleş Philoſophos reperiri, nimirum nardum Celticam, quæ in montibus Liguriæ, in Iſtria, in Carinthia, & in alpibus Soriæ frequens reperitur; adhùc nardum Indicam, quæ naſcitur in montibus Indiæ, & circa fluuium Gangem; rurſus nardum Italicam, & pſeudonardum Italicam, quæ vernaculè dicuntur: *Spigo* & *Lauanda*; & hæ in collibus, lociſque petroſis, & vt plurimum apricis naſcentes frequenter conſpiciuntur: Verùm ex his quatuor nardi generibus, duo tantum priora verè ſunt nardus, & duo poſteriora pſeudonardus, cùm hoc ſolo diſcrimine, vt tertium mas ſit, quartum verò fœmina. Sponſę igitur nardum primi generis, hoc eſt Celticam eſſe opinor, cùm nardus Indica ſecundi generis, vtpotè virus redolens, in totum damnetur, & quæ ſunt duorum generum poſteriorum, pſeudonardus potius, quàm nardus nuncupentur & ſint. Eſt autem nardus vt Plinio placet libro 12. naturalis hiſtoriæ cap. 12. Frutex graui & craſſa radice, ſed breui, nigra, & fragili, quàmuis pingui ſitum redolente, vt Cyperi, aſpero ſapore, folio paruo, denſoque, cuius cacumina in ariſtas ſe ſpargunt: prętereà nardus ſpicas habet & folia, etſi foliis ſpicas præſtare docet Plinius ibidem cap. 2. lib. 13. cùm vnguentum regium non ex foliis, at ex ſpicis nardi, multiſque aliis rebus conficiatur; & ſicuti nardi folia non patula ſunt, ſed parua, ita ſpicæ non breues ſunt, at longæ ex vno tantum cacumine plures excreſcentes: Et tandem nardus herba eſt aromatica, modica, odorifera, & calidæ naturę, quæ eò potentiùs vim ſuam & efficacitatem oſtendit, quò fortius manibus compreſſa teritur, & guſtata frigus expellit, calefacit membra, & purgat pectus. Hæc igitur ſunt, quæ de ſponſę noſtræ nardo ſuauiſſimum effundente odorem, iuxta literę ſenſum, hinc inde colligere potui, tùm ex Plinio locis citatis, tùm ex ſanctis patribus in eorum commenta-

mentariis super Cantica canticorum. Quid verò nardus aut hic, aut alibi, in scripturis sanctis mysticè nobis designet, non omnes idem sentiunt, sed alii alia dicunt: Etenim qui volunt per accubitum sponsi Regis intelligi Christi sepulchrum, vt Origenes, Diuus Hieronymus, & Hugo Cardinalis, nardum sponsæ ecclesiæ primitiuæ bona opera figuratè exprimere dicunt, quæ tunc temporis coràm Deo & proximo apparuerunt, aut etiam ipsummet Christum, seu maiestatem diuinitatis Christi significat nardus, quæ tunc maximè suum odorem dedit, à putredine seruans corpus illud beatum in sepulchro positum, cùm quo semper à primo ipsius incarnationis momento hypostatica vnione coniuncta fuit; & licèt sponsa hanc nardum suam appellet, quæ tamen erat Christi, hoc est ipsius diuinitas, id tamen dicit, quòd illius bonus odor hinc inde diffusus, ad suam spectabat vtilitatem: neque mirum videri debet, vt optimè Diuus Hieronymus ratiocinatur, vt Christus, quemadmodum fons est, & panis, qui dat vitam æternam, ita sit nardus & vnguentum, quo qui vncti fuerint, & Christiani fiunt, & Christi, de quibus dicitur in Psalmo 104. *Nolite tangere Christos meos*. At si per accubitum sponsi, Bethaniæ conuiuium interpretemur, quo Christus à duabus sororibus, earumq; fratre Lazaro exceptus, à Maria Magdalene nardi pistici vnguento perungitur, nardus certè sponsæ Mariæ Magdalenę humilitatem & charitatem designat, vt iisdem explicatoribus placet; nam sicuti nardus est herba modica & calida, ita non ineptè humilitatis virtutem indicat, quæ spiritus sancti vaporibus, seu charitate flagret, vt ait D. Bernardus sermone 42. super Cantica: nam duplex est humilitas, vna quam nobis veritas parit, & non habet calorem charitatis, altera verò est, quam in nobis charitas efficit; & hæc in Dei proximique amorem nos accendit; nardus itaque erat Mariæ Magdalenę humilitas charitatis ardore flagrans, quippe quæ humilis ad Christi pedes prostrata, lachrymis cępit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, vnguento vngebat, atque osculabatur, cuius officium, eximiæ charitatis argumentum, aduersus Simonem à Christo commendatur, inquiente: D. Lucæ cap. 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. O preciosam, & odoriferam nardum Mariæ Magdalenę, modicam quidem herbam ob humilitatem, at calidam ob charitatem, quæ bonæ opinionis summæque sanctitatis odorem dedit: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. Verum qui sponsi accubitum, Christi crucis patibulum esse affirmant, nardi nomine bona opera, piasque virtutes nascentis ecclesiæ exponunt, quæ bonam famam effundentes dederunt odorem suum, in Maria matre Iesu, Diuo Ioanne Christi discipulo, Centurione, piis mulieribus, & aliis qui charitatis ac bonorum operum officiis Christum in

crucis

crucis accubitu existentem prosequuti sunt; ita placet Hugoni Cardin. Qui verò dicunt per accubitum Regis cœleste regnum, ac dexteram Dei Patris intelligi posse, ad quam Christus sedet, postquàm factus homo in cœlum conscendit, vti sunt Diuus Gregorius, Diuus Bernardus, Hugo Cardinalis, & Alphonsus August. per nardum tàm Ecclesiæ primitiuæ opera bona, quàm preces humiles & orationes paruulæ, & trepidantis sponsæ, interpretantur, quæ, ceu nardus humilis herba & parua, paruula & trepidans ob Iudæorum metum, ianuis clausis, domi manebat, & suauem orationum odorem in cœlum vsque, ac cœlestem Regis accubitum grata suauitate effundens, spiritum sanctum per Christum ad dexteram Dei patris sedentem, à patre de cœlo, sub linguis igneis, sibi missum recepit, quo Apostoli sancti repleti, verba salutis mundo prædicarunt, & per sancta opera boni odoris famam diffuderunt; *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. Alii sunt qui Regis accubitum diuinum æterni patris sinum symbolicè significare astruunt, in quo Christus nondum factus homo, seu potius Dei verbum ab ipsa iet æternitate gloriosus accubuit, & hi, qui sunt Hugo & Aegidius Card. per nardum sponsæ, non idem, at diuersa exponunt, quandoquidem Hugo Cardinalis exponit dilectionem sponsi erga genus humanum, qui de cœlo descendens, in accubitu tamen & sinu patris accumbens, humanam carnem assumere dignatus est, & tunc ipsius dilectionis nardus odoriferam sui notitiam dedit in vniuersum mundum, quæ tamen nardus seu dilectio dicitur sponsæ nardus, quoniam sponsę vtilis extitit ac necessaria; Aegidius autem Romanus exponit, vt sponsæ nardus, Ecclesiæ hoc est antiquæ Synagogæ in sanctis patribus humilitatem significet, quàm ipse Dei filius vnigenitus in accubitu & sinu patris accumbens respexit, & hominem fieri voluit. Demum qui meliori, vt ego censeo, ratione ducti, per accubitum sponsi aut humanitatis nostræ tabernaculum, aut virginis vterum, aut Ecclesiæ militantis regnum interpretantur, vt Diuus Thomas, Haymon, Hugo, Henricus, Iacobus Valentinus, & Cosmus Damianus, hi profectò ex hac triplici Regii accubitus mystica acceptione, triplicem quoque nardi significationem spiritalem assignant: in prima namque accubitus notione: Dùm esset Rex vnigenitusq; Dei filius, vnione hypostatica, in humanitatis nostrę accubitu, tunc nardus humanæ naturę humilitatem significat, quæ ex hoc sponsi Regis Christi accubitu, hoc est ex hac admirabili ipsius humanitatis cùm diuina hypostasi, vnione, cùm ad tàm pręclaram & excelsam dignitatem euecta sit, vt verè sit Deus, sicut Deus verè factus est homo, tunc inquit ecclesia, nardus mea dedit odorem suum, quod est, tunc humanę naturę humilitas, boni nominis, immo verò immortalis glo-

riæ odorem dedit, & quæ antea omnibus ludibrio erat, nobilis effecta est, & ab Angelis vsque colenda: *Dum eßet Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. At in secunda accubitus Regis acceptione, quæ huiusmodi est: Dum esset Rex ac Dei verbum, per nouem continuos menses, in vteri virginalis accubitu, tunc nardus odoriferam Mariæ & incorruptam virginitatem symbolicè designat, quæ sanè ex hoc accubitu Regis, ex hac incomprehensa diuini verbi incarnatione, in eius ytero virginali absque viribus humanis, soliusque spiritus sancti virtute obumbrante effecta, cùm ad tantùm honoris & glorię fastigium conscenderit, vt non solum hominis, verùm etiam Dei vera sit mater ac realis, qua nulla in creaturis omnibus (quę purę sint creaturę) aut illustrior, aut sublimior dignitas est, aut esse potest, tunc inquit Maria virgo: *Nardus mea dedit odorem suum.* hoc est vteri mei virginitas incorrupta (aduersus omnes hęreticos) gloriosè apparuit, & quę antea ancilla domini eram, Dei mater iàm constituta, & super omnes choros angelicos exaltata, bonę famę odorem suauissimum vbique diffundo; Et tandem in tertia & postrema regalis accubitus mystica significatione, quæ talis est: Dum esset Rex & sponsus Christus in ecclesiæ militantis regno, in quo & per corpoream sui præsentiam, tres annos suprà triginta accubuit, & per gratiam & sacramenta, vsque ad sæculi consumationem accumbet, tunc sponsæ nardus, ecclesiæ fidem catholicam, & bonorum operum iustitiam figuratè nobis exprimit, vt placet Iacobo nõ solum Valentino, & recentioribus interpretibus super Cantica canticorum: at Diuo Hieronymo etiam, cap. 13. super Diuum Marcum, & Diuo Augustino tractatu 50. super Diuum Ioannem, cap. 12. sub his verbis: *Nardus pistica, hoc est verè syncera, designat integritatem fidei ecclesiæ ex gentibus, atque iustitiam*. Quæ certè fides catholica ac bonorum operum iustitia, ex hoc Christi accubitu & aduentu in suam ecclesiam, quam factus homo, suauissimo coniugii nodò sibi sponsam sociauit, cùm longè latèque diffusa sint in vniuersam terram, tunc inquit ecclesia primitiua: *Nardus mea dedit odorem suum*, hoc est tunc catholicæ fidei sonus, per Apostolos sanctos in omnem terram exiuit, & bonorum operum iustitiæ fama, in fines orbis terræ peruenit, vt quæ ante Regium hunc accubitum, & Christi aduentum, seu nardus humilis paruaque herba, suum non mittebat odorem, nisi vni tantum populo Iudæorum, vt cecinit Dauid in Psalmo 75. *Notus in Iudæa Deus, in Israhel magnum nomen*. In hoc Regis accubitu vbique sit promulgata, eiusque suauissimus odor in vniuersum mundum & in omnes gentes effusus, eò penetrarit, vt ad antipodas, vt inquiunt, ad nouos etiam mundos permanarit, iuxta illud Apostoli dictum, quod cap. 2. posterioris epist.

epistol.ad Corin. scriptæ habetur: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* Quare iure & quidem optimo, sponsa Christi ecclesia primitiua, quę est Gentium ac Iudæorum fidelium vnio, suas in his verbis adolescentulas alloquens, quæ sunt incipientium atque in Christi fide proficientium animæ, illis summa cùm animi lætitia nunciat, cùm Rex Christus ac Dei verbum esset in humanæ naturæ accubitu, tunc nardum humilitatis suæ summum dedisse odorem; Cùm Rex esset & filius Dei vnigenitus in vteri virginalis accubitu, tunc nardum virginitatis suæ suum dedisse odorem; Cum denique Rex esset & sponsus Christus in ecclesiæ militantis accubitu, tunc catholicæ fidei nardum maximum ac suauissimum dedisse odorem.

LECTIO LXI.

Nardus mea dedit odorem suum.



QVAMQVAM in his verbis, sponsæ nostræ odorifera nardus multa & illa quidem diuersa figuratè significat, ecclesiæ videlicet humilitatem, supplices orationes; bonorum operum fragrantiam, Mariæ deiparæ virginitatem, diuini verbi dilectionem, & charitatem, ipsummet Christum, seu potius ipsius diuinitatis gloriam & maiestatem, potissimum tamen, vt ego censeo, symbolum est ipsius catholicæ fidei, cuius odor (vt satis manifestè ex sanctorum patrum auctoritate, in sermone proximè præcedente ostendimus, in vniuersam terram diffusus est; neque me latet candidam & veram Christi fidem sub variis rerum tàm naturalium, quàm artificiosarum similitudinibus symbolicè exprimi posse; Etenim eana fides tùm apud sacros, tùm ethnicos auctores, tropicè designari legitur per annulum, scutum, speculum, ianuam, & fundamentum, quę res sunt artificiosę; Adhuc per riuulum fontis, collum, cor, manum dexteram, lumen, oculum, Carbunculum, Iaspidem, radicem arboris, sinapin, & canem, quę sunt res naturales, verùm nardus etiam mirabile est ipsius fidei, & præsertim nascentis ecclesię fidei symbolum, vt asseuerant Diuus Hieronymus super Diuum Marcum cap. 13. Diuus Augustinus tractatu 50. super Diuum Ioannem cap. 12. Iacobus Valentinus, & Cosmus Damianus in eorum commentar. super Cantica canticorum: Et certè annulus, vt à rebus artificiosis exordium sumam, ingenui hominis fidem perbellè significat, vt legimus in euang. D. Lucæ cap. 15. quò loci pater ille familiàs lætitia gestiens, quòd filius

eius, qui mortuus erat, reuixerat, & qui perierat, inuentus erat, iubet seruis, vt dent annulum in filii manum, inquiens: *Date annulum in manu eius*; quæ verba Theophylactus suis in commentar. ibidem interpretans, ait: *Annulum esse pignus Spiritus sancti, seu desponsationis & pacis signaculum*; quod idem astruunt Origenes hom. 26. super Num. & D. Ambros. tùm lib. de Ioseph, cap. 7. tùm lib. 2. de pœnitentia, cap. 3. inquientes: *Annulum datum ipsi Thamar à Iuda, symbolum esse pignoris spiritus sancti*; tunc enim annulum in manum recipiunt coniuges, cùm fidem sibiipsis mutuam pollicentur; Et ob hanc caussam prisci illi patres, qui non ornatus, at significati caussa annulum circumferebant, non plures vno habere poterant, sicuti vna est fides, de qua inquit Apostolus Ephes. cap. 4. *Vnus dominus, vnum baptisma, & vna fides*. imò verò nec cuiquam antiquitus annulum ferre licebat, nisi hominibus liberis, aut libertate donatis, quos solos fides decerneret, quæ hoc signaculo præmonstraretur, serui autem atque liberti cùm ius annulorum impetrabant, ingenuitatem quoque ac libertatem impetrasse dicebantur: quod si ita se habet, nobis sanè qui Christicolæ sumus, & vere liberi: *Qua libertate donauit nos Christus*; vt Galatum cap. 4. Diuus Paulus ait, annulum certè & vnicum annulum in digito ferre, hoc est, vnā fidem in corde habere quammaximè decet: scutum verò non ineptè fidem præmonstrat; Quemadmodum enim clypeo muniti, omnia aduersariorum acerrima tela, quæ in nos coniiciunt, tutè euitamus, ita fidei scuto armati, iacula dæmoniorum ignea effugimus & declinamus, ita censet Apostolus Eph. cap. 6. *Super omnia accipientes scutum fidei, in quo possitis omnia tela maligni ignea extinguere*; Ac si dixerit (vt diuo Hieronymo placet suis in com men. ibidem) in omni opere portate clypeum fidei, vt possitis tecti atque muniti accipere venientes sagittas, illasque huc atque illuc arte bellica declinare: Adhùc sub speculi similitudine designatur Catholica fides, vt ostendit Apostolus ca. 13. prioris epist. ad Cor. scriptæ. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*; Hic namq; in obscura quasi caligine positi, per fidem ex parte cognoscimus Deum, ibi verò in futuro sæculo, seu potius in cęlesti gloria illū palā cognoscemus, sicut & cogniti sumus: Præterea ianua ipsius fidei symbolum est, & quāuis Christum etiam figuratè designet, vt ipsemet astruit apud D. Ioannem cap. 10. inquiens: *Ego sum ostium*; veruntamen fidem quoque congruè significare videtur, ex D. namque August. tract. 45. super D. Ioan. Si qui per ostium non intrant, hæretici sunt, Catholicam Christi fidē non habentes, dubio procul Christi fides per ostium exprimi potest, quod confirmatur ex Diui Gregor. auctoritate, hom. 17. & 19. super Ezechielem cap. 40. dicentem: *Ostium contra ostium est*; vbi dicit Diuus doctor:

Ostium

Oſtium cõtra oſtium eſt, quia per aditum fidei, aperitur aditus viſionis Dei; Cui aſſentiuntur Origenes in diuerſis homeliis, hom. 10. & D. Ambr. 4. lib. de fide cap. 1. D. Hieronym. ſuper Hieremiam cap. 2. & D. Auguſtin. lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 28. & ſuper Pſal. 33. Sicuti enim per oſtium patet aditus ad domum, ita per fidem Chriſtus habitat in cordibus noſtris Epheſ. cap. 3. & ob hanc cauſſam D. Cyrillus Alexan drinus lib. 4. in D. Ioannem fidem diffiniens, ait: *Fides eſt ianua & via in vitam, & recurſus quidam à corruptione in immortalitatem;* tandem fundamentum figuratè nobis indicat fidem, quando quidem ſpiritalis ędificii fundamenta in anima ſunt fides & charitas, quas virtutes qui ha bent, Dei ædificatio dicuntur & ſunt; Et certè cum fides datur, ad ſubſequentis operis ædificium, iam fundamentum iaciunt, ſic inquiunt Diuus Gregor. lib. 25. Moral. cap. 15. & 18. libro cap. 9. & 10. & D. Auguſtin. in epiſtola 120. & ſuis in commentar. ſuper illud Appoſtoli: *Fundamentum aliud nemo ponat; præter illud quod poſitum eſt, Chriſtus Ieſus,* quæ verba Epheſ. ca. 3. leguntur, vbi D. Auguſt. ita optime ratiocinatur: *Si Chriſtus fundamentum eſt, certè Chriſti fides etiam eſt fundamentum, per quam habitat Chriſtus in cordibus noſtris;* Quod D. Ioann. Chryſ. in ſerm. de fide, ſpe, & charitate, idem confirmat, inquiens: *Fides eſt origo iu ſtitiæ, ſanctitatis caput, & Catholicæ religionis fundamentum.* Verum à re bus artificioſis, ad naturales iam conſcendamus, & primum riuulus fontis aut fluminis ſymbolicè fidem ſignificat, vt aſtruit non dicam D. Gregor. lib. 15. Moral. cap. 8. cùm ait: *Riuuli fluminis ſunt dona Spiritus ſancti, riuulus fluminis eſt fides, eſt ſpes, eſt charitas;* Sed Dauid Propheta in Pſal. 64. cùm dicit: *Riuos eius inebrians, multiplica genimina eius;* quemadmodum enim riuulus à fonte manans, per camporumque latitudinem decurrens arbores & plantas omnes ſęcundat, ita fides, quæ eſt donum Dei Epheſ. c. 2. à perenni diuinitatis fonte fluens, & per catholicorum corda decurrens, omnia & ſingula ipſorum opera ſęcundat, hoc eſt fructuoſa, & vt inquiunt meritoria reddit, hinc D. Ioannes capite ſeptimo aiebat Chriſtus: *Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ;* Adhùc lumen fidem oſtendit, ſicut enim quæ nobis occulta ſunt & abſcondita, aut ardentium lucernarum lumine, aut ſiderum coruſcantium ſplendore nobis aperta fiunt & manifeſta, ita quæ naturæ viribus minimè percipimus, & ignoramus fidei lumine intelligimus & ſcimus, vt ait redemptor noſter in Euang. D. Ioan nis cap. 12. *Qui credit in me, in tenebris non manet;* quinimmò Euſebius Emiſſenus, homilia ſecunda de ſymbolo quid ſit fides diffiniens, dicebat: *Fides religionis Catholicæ lumen eſt animæ, oſtium vitæ, fundamentum ſalutis æternæ;* Item oculus: at oculus dexter mirabile eſt Catho-

licæ fidei indicium, vt asseuerat Diuus Cyrillus Hierosolymitanus Cathecheſi 5. ait enim: *Fides est oculus omnem illuminans conſcientiam, & intelligentiam efficiens;* & mehercule ſicuti ſiniſter oculus, aut parum, aut nihil, abſque dextero in operibus noſtris rectè peragendis nobis prodeſſe poteſt, ita opera noſtra bona ſine fide peracta, fructuoſa non ſunt; nec vllius meriti apud Deum, inquente Apoſtolo Hebræor. cap. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo;* Præterea collum perbellè exprimit fidem, vt ait D. Gregor. ſuper Cantica canticorum cap. 4. illa verba exponens: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui;* Vbi dicit doctor ſanctus: *Sicuti per collum fit capitis corporisque coniunctio, ita per fidem, & Chriſti capitis; & myſtici ipſius corporis Eccleſiæ fit vnio, dum Chriſto quicunque eò tenacius inhæret, quò fidelior in bona conuerſatione habetur;* Etenim vt ait Apoſtolus, Rom. cap. 5. *Per fidem habemus acceſſum ad Deum;* Verum cor etiam Chriſti fidem congruenter demonſtrat; nam ſi cor eſt, quo viuimus, nonnè *Iuſtus ex fide viuit?* Ita cenſet Apoſtolus Roman. cap. primo; Præterquam quòd ſi cor eſt animi ſedes, & omnium ipſius animi facultatum domicilium, nonnè fides eſt omnium virtutum receptaculum, quæ ad Chriſticolas ſpectant? & demum vt ait Baſilius Magnus ſuis in commentariis ſuper Pſalmum quadrageſimumoctauum; Cordis meditatio, nihil aliud eſt niſi fides in corde; At dextera manus pulcherrimum ipſius fidei ſymbolum extitiſſe legitur apud Arabes non ſolum & antiquiores Romanos, verùm etiam ad hæc vſque tempora huiuſmodi adoleuit conſuetudo, vt amicis in fidei ſignum dexteram porrigamus; Et hac de cauſſa factum eſſe putandum eſt, vt egregius Poeta Maro ſexto libro Aeneidos fidem ſimul & dexteram coniunxerit; inquiens:

——En dextra fideſque,

Dat dextram, atque animum præſenti pignore firmat.

Et Marcus Tullius ad Atticum, non longè à principio idem aſtruens, aiebat: *Dexteræ quæ fidei teſtes eſſe ſolebant, perfidia ſunt et ſcelere violatæ;* neque vos latere arbitror Numam Pompilium ſecundum Romanorum Regem ſuis imperaſſe ſacerdotibus, vt dextera manus, quæ fidei ſacra faceret, cuius templum à Roma Aeneæ filia omnium primum Romæ conditum fuit, candido obtegeretur velamine, vt dexteræ non ſolum, at candoris etiam ſymbolo fidem ſignificari ex hoc Numæ Pompilii inſtituto intelligeremus. Quòd verò lapis ille precioſus vulgò Carbunculus nuncupatus, fidei ſit indicium, ex hoc maximè patere poteſt; nam lapis iſte colore ſplendidus eſt, & igneus, noctis tenebras vincens, & fides charitatis igne accenſa, ita ſplendet, ut omnem

infide-

infidelitatis & perfidiæ nigrorem, tenebrasque depellat; immò verò suæ lucis radiis corda nostra illustrans, illa ab omni peccatorum labe abstergit, vt Actuum Apostolorum cap. 15. legimus: *Fide purificat Deus corda eorum*; & Ecclesiast. cap. 32. dicitur: *Gemmula Carbunculi in ornamento auri;* vbi vt opinor ego, aurei ornamenti nomine charitas intelligitur, per gemmam verò Carbunculi, fides, nam Carbunculus tunc in auro ponitur, cùm fides ex charitate operatur. Necnon Iaspis catholicam fidem ostendit, quippe qui primus est lapillus preciosus, & primum fundamentum muri ciuitatis Hierusalem cœlestis, vt legimus in Apocalypsi cap. 21. *Et fundamentum primum muri ciuitatis Iaspis*; nam fides est primum omnium virtutum fundamentum in ecclesia militante, vt dicit Apostolus Colossens. cap. 1. *Si autem permanetis in fide fundati*; cum absque fide hanc vniuersam ecclesiæ Dei ciuitatem ruere necessum sit; Adhuc sub radicis similitudine fides apud sanctos patres exprimitur, sicuti namque ex radice omnis arbor consurgit, ita ex fide omne spiritale construitur ædificium; & quemadmodum ex radicis aut perfectione, aut defectu, vniuersa procedit ipsius arboris vita, & decor, aut siccitas, & euulsio, ita ex fide omnes qui Christum profitentur, aut viuunt & iustificantur, aut condemnantur & puniuntur, ita legimus hinc inde in Euangelio: *Iustus ex fide viuit, arbitramur hominem iustificari per fidem, qui non credit iam iudicatus est, & qui non crediderit condemnabitur*. Quod D. August. auctoritate confirmatur suis in commentar. super Diuum Ioannem cap. 15. cum inquit: *Sicut in arboris radice nulla prorsus apparet pulchritudinis species, etsi quicquid est in arbore pulchritudinis & decoris, ex illa procedit, ita in sola fide, quæ sine operibus mortua est, quàmquàm nulla reperitur vita, aut iustificatio, ex ipsa tamen consurgit quicquid meriti, & beatitudinis suscipit anima fidelis*. Et quicquid dicemus de synapi, cum qua fides catholica ab ipsomet domino nostro in euangelio Diui Lucæ cap. 17. apertè comparatur? cum inquit: *Si habueritis tantam fidem sicut granum sinapis*; Illud certè dicemus quod uerum est; granum videlicet synapis mirabile esse ipsius fidei symbolum; nam minimum quidem est granum synapis, attamen ex ipso multa grana producuntur, quæ fronde, flore, & semine mirum in modum dilatantur, & hinc fidei cum grano synapis similitudo apparet, quippe quæ parua primum in ecclesiæ nascentis exordio, & in paucis gentium campis seminata, mox verò variis succedentibus temporibus in immensum ita propagata est, ac dilatata, *Vt fides nostra* (quem admodum scribit Apostolus Roman. cap. 2.) *annuncietur in vniuerso mundo*; præterquam quod (vt placet Clement. Alexandr. 1. libro Pædagogi cap. 11. Diuo Hieronymo suis in commentariis super Diuum Mat-

thæum capite 11.& Diuo Augustino.sermone 31.de sanctis) sicut synapi expellit venena, ita humilitas fidei vitia fugat, & vt synapi facit plorare, sed purgat, ita fidei feruor idem in nobis efficit, vt dicitur in Euang. D. Ioannis cap. 16. *Plorabitis, & flebitis vos*, Christi fideles, *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium*. & demum canis fidem figurate significat, & apud antiquos Aegyptiorum sacerdotes ipsius fidelitatis indicium erat; hinc Socrates in Phrædo per canem iurasse legitur, cùm Phrædum amicum suum, extrà muros ciuitatis deambulantem alloqueretur. Sed quid Ethnicorum propono testimonia? ipsemet D. August. super Psalmo 67. illa prophetæ verba explanans: *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*; inquit, *eosdem ipsos; qui ad sanguinem vsque pro fide catholica decertarunt, canes vocat pro suo domino latrantes*, attamen non illos canes hos esse censeo, de quibus dicit Apostolus Philippens. cap. 3. *Canete canes*; at illos de quibus dicit mulier Cananæa apud D. Matthæum cap. 15. *Etiam Domine, nam & Catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*; Quod quidem asseuerant Diuus Hieronymus super Iob cap. 30. & Diuus Gregorius libro vigesimo Moralium cap. 7. Veruntamen etsi sub harum omnium rem tàm naturalium quàm artificiosarum similitudinibus, catholica fides designatur, ipsa Nardus longè omnium pulcherrimum est, atque clarissimum ipsius fidei symbolum, quod ex nardi generibus, natura, & proprietatibus luce clarius manifestatur; nam si quatuor sunt nardi genera apud philosophos naturales, Celtica nimirum Indica, Italica quæ est mas & Italica fœmina, quatuor itidem apud catholicos patres fidei significata reperiuntur, cum fides nomen sit amphibologicum plura significans; Primùm enim accipitur fides, vt animi fidelitatem & synceritatem exprimit, qua homines seipsos obstringunt reipsa seruare velle, quod verbis promittunt amicis, & de hac loquitur Apostolus Hebræorum cap. 11. cùm inquit: *Fides est substantia dictorum vel factorum*; adhuc fides bonam & rectam significat conscientiam, qua benè volumus, & operamur, de qua loquitur Apostolus cum ait ad Roman. cap. 16. *Quod non est ex fide peccatum est*. Rursus fides est ipsarum rerũ à nobis creditarum obiectum, hoc est fides in huiusmodi sensu non sumitur pro habitu infuso, quo credimus nobis reuelatis à Deo, at pro reipsa quam credimus, & de hac loquitur D. Athanasius in initio sui symboli, inquiens; *Quicunque vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat catholicam fidem*. Postremò sumitur fides, vt est quidam habitus supernaturalis, à Deo in animos nostros infusus, quo mysteria à sensibus nostris aliena, illisque minimè euidentia credimus, & de hac loquitur Apostolus Hebræorum cap. 11. cum inquit: *Fides est substantia sperandarum rerum, argu-*

argumentum non apparentium; Præterea sicuti ex illis quatuor nardi generibus, duo tantum priora verè sunt nardus, & duo posteriora pseudonardus, ita ex his quatuor fidei notionibus, duæ tantum posteriores vere catholicæ fidei nomine decorantur, duæ verò priores nequaquam, nam prima totius humana fidelitas nuncupatur, quàm fides; secunda verò recta conscientia dicitur: Item ex duobus nardi generibus, quæ uerè nardus sunt, Celtica solum nardus proficua est, ac salutaris, & hincinde suauem spargit odorem; Indica namque noxia est, virusque redolens dánatur, quemadmodum ex duabus fidei significationibus quæ vere catholicæ fidei nomine sunt insignitæ, postrema duntaxat, quæ habitus est infusus, ac supernaturalis, magis proprie fides appellatur, nam tertio modo fides accepta rem potius creditam, quam fidem, qua credimus, nobis designat. Etsi nardus frutex est, graui & crassa radice, sed breui, nigra, & fragili, nonne cùm fide Catholica hæc optimè quadrant? illum enim qui Christi euangelium crediturus est, se deiicere oportet, humani ingenii aciem obtundere, & humanæ sapientiæ splendore neglecto, illam quodammodo denigratam apud homines obscurare, & apud illos seipsum reddere stultum, vt apud Deum sapiens habeatur; Adhuc nardus habet quidem folia non patula sed parua, at spicas non breues sed longas, ex vno tantum cacumine enascentes, sicut etiam fides virtus est, primùm quidem parua & in vno terrarum angulo coarctata, postea uero ex maximo credentium numero per uniuersum mundum propagata, qua multa credimus, quamuis eius vnitas in omnibus Christi fidelibus indiuisa seruetur: Et demum nardus, quo fortius manibus compressa teritur, eò potentius vim suam & efficacitatem ostendit, quemadmodum Christi fides, omnesque fideles, quo magis afflictionibus cruciantur, eo magis bonum famæ odorem longè latèque diffundunt, cum diuinæ literæ, vt D. Cyprianus ait, gloriosam famam odoramenta nuncupare soleant; hinc vnguentum in Aaronis pontificis barbam diffluens, bonæ famæ est indicium, quam sibi quilibet sacerdos & pontifex comparare debet. Ita censet D. etiam Bernardus in hoc loco, inquiens: *Odor deuotio est, odor bona opinio est, quæ ad omnes peruenit, vt Christi bonus odor simus in omni loco;* atque de Nardo hæc satis dicta sint.



LECTIO LXII.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.


PERGIT sponsa in his verbis, suas compellare adolescentulas, quibus nunciat sponsum dilectum, ceu myrrhæ fasciculum, inter eius vbera, hoc est in medio ipsius corde perpetuò commoraturum, quod est secundum beneficium recolere in seipsam à sponso rege collatum, quemadmodum in verbis præcedentibus primarium quod ab ipso accepit, beneficium recoluit, inquiens: *Dum esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum;* Hæc autem si mysticè interpretemur, dicemus ita: Ecclesia primitiua postquàm incipientibus & proficientibus Christi fidelibus nunciauit & recoluit incarnationis Christi beneficium, nunc alterum recolit, quod est ipsiusmet passionis & mortis beneficium, & ait: vniuersam dilecti sui afflictionum & perpessionum congeriem, quas ipse & in hac uita mortali, & in ligno crucis, pro generis humani salute sustinuit, ceu myrrhæ fasciculum in mulieris sinum, quotidie commoraturum in corde eius, quod est in medio uberum, & nunquam ab eius memoria discessuram; ita censeo huiusmodi verba explicanda esse vnà cum Hugone Cardin. Diuo Thoma, docto Haymone, Aegidio Romano, & Cosma Damiano interprete recentiore; ita inquit Hugo, sponsa in verbis præcedentibus Incarnationis Christi beneficium recensuit, nunc verò ipsius passionis & mortis beneficium commemorat, inquiēs, tota congeries tribulationum, & passionum dilecti mei, quas pro salute mea sustinuit, nunquàm à memoria mea excidet, sed in præcipua cordis mei parte commorabitur vsque in finem; ita inquiunt Diuus Thomas, & Haymon, dicit ergo sponsa ecclesia, fasciculus myrrhæ dilectus meus factus est mihi, quia propter me mortuus est & sepultus, & id in memoria cordis mei perpetuò commorabitur, & nunquam tantorum eius erga me beneficiorum obliuiscar, siue in prosperis sim, siue in aduersis; ita inquit Aegidius Romanus: Confitetur ecclesia secundum Christi beneficium, hoc est passionem eius & mortem, quam ex summa charitate pro illa passus est, & ob hanc caussam semper ipse commorabitur inter intellectum & voluntatem ipsius sponsæ, quæ nihil uult sapere, quod ei displiceat, & nihil amare, quod ipse sponsus abhorreat; ita demum inquit Cosmus Damianus, pergit sponsa (quam tamen non suis

cum

cum adoleſcentulis vt dicimus nos; at cùm veteri Synagoga ipſius æmula loqui opinatur) cauſſas exponere, propter quas ipſa ſponſa ſuo chara ſit ſponſo, & viciſſim ſponſus quammaximè ſibi dilectus, ſit purus & incorruptus amor eius, quia nimirum propter ipſam mortuus eſt & ſepultus. Ab hac autem explicatione parum ſanè aut ferè nihil diſcrepat Origenis & D. Hieron. interpretatio, qui myrrham, ſeu potius myrrhę guttam, quæ parua eſt & modica ſtilla, putant eſſe ſponſum, de quo ſponſa ſuis cum adoleſcentulis loquitur, quaſi admirans tam magnam ſui ſponſi humilitatem, qui cum ſit excelſus, humilia tamen ita reſpiciat, vt quaſi ſtilla quædam defluxerit, hoc eſt, eccleſia gentium primitiua animas incipientium electas affatur, & dicit, Chriſtus fratruelis meus mihi alligamentum guttæ in medio uberum meorum commorabitur, quoniam exinanita diuinitatis forma, formam ſerui ſuſcepit, factus obediens vſque ad mortem, quàm pro humano genere paſſus eſt: At Diuus Gregorius, & Diuus Bernardus alio modo exponũt inquientes, ſponſam ſub faſciculi myrrhæ ſimilitudine, non de afflictionibus loqui, quas pro ſua ſponſa paſſus eſt ſponſus: at de iis quas ipſa ſponſa pro ſui ſponſi nomine pati parata eſt, & dicunt: ſponſa eccleſia primitiua, recepto ſpiritu ſancto, & tot tantiſque donis affecta, vtpotè beneficii memor, deuotioneque repleta, ad omnes cruciatus ſe parat, & incommoda omnia forti animo perferenda, pro nomine Chriſti ſui ſponſi, inquiens: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi &c.* Nam ſub myrrhę nomine, quæ eſt herba amara & aſpera, afflictionum & cruciatuum amaritudinem ex communi conſenſu accipimus; verùm Diuus Bernardus hanc non ſolum expoſitionem cum Diuo Gregorio proponit, verum illam quoque affirmat, quam cæteris probabiliorem primo loco propoſuimus; Etenim ait, hic loquitur primitiua eccleſia dicens, ſemper aſſidua meditatione in corde meo reuoluam memoriam paſſionis & mortis Chriſti, quę ueluti myrrha amara eſt, hoc eſt labores & cruciatus meditabor, quos ipſe pertulit prędicando, fatigationes, diſcurrendo, vigilias, orando, tentationes, ieiunando, lachrymas, compatiendo, & demum conuitiorum, ſputorum, clauorumque pœnas, quas in ſalutem pertulit noſtri generis. Quidam verò recentiores interpretes vt Alphonſus Auguſtinianus nouam adducunt horum uerborum explicationem, nimirum, ut ſponſa ſua proſequens uerba amatoria, oſtendat, talem ac tantum erga dilectum eſſe ſuum amorem, vt ex donis ac beneficiis in ſeipſam collatis, necnon ex laboribus & ignominiis, quas pro ipſa paſſus eſt ſponſus, faſciculum collegerit, & quotidie illum mente reuoluat, quem non niſi inter ubera, hoc eſt in corde perpetuo ſeruatura ſit, vbi ipſe commorari deſiderat,

vt di-


vt dicitur D. Ioan. cap. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Adhuc Gilbertus Genebrardus ita exponit, vt Ecclesia sponsa dicat: dilectus meus qui factus est mihi radix immortalitatis moriendo, & caussa vitæ sempiternæ à mortuis resurgendo, semper in sinu meo commorabitur instar serti florum, aut fascis myrrhæ; hoc autem confirmat, quoniam myrrha symbolum quoque est incorruptionis, qua corpora à putredine incorrupta seruantur; & tandem Iacobus Episcopus Christopolitanus existimat, vt in his verbis sponsa Ecclesia sponsum Christum alloquens dicat, ex eius præsentia in humanitatis naturæ accubitu, aut in Ecclesiæ militantis regno, aut in virginalis vteri tabernaculo, ipsam triplicem dedisse odorem nardi, videlicet, myrrhæ, & botri Cypri, seu balsami; odorem inquã veræ humilitatis, virginitatis incorruptæ, & fidei Catholicæ, quæ per nardum significatur, sicuti per myrrham incorrupta virginitas exprimitur, & per botrum Cypri uera humilitas: quare harum omnium expositionum (quæ sunt numero septem) quàmmaximè probabilem, & cum dictis plurimum quadrantem illam esse opinor, quam primo loco attulimus, & quamplures ex Interpretibus amplectuntur, nempè vt sponsa, quæ ex vnanimi omnium consensu est Ecclesia primitiua, alloquatur non sponsum Christum, vt aliqui volunt, neque vt aliis placet, veterem Synagogam incredulam ac sui æmulam, at suas adolescentulas, quæ sunt animæ electorum incipientium, & in Christi fide paulatim proficientium, quibus nunciat suum sponsum Christum iam hominem factum, & in accubitu humanitatis nostræ, aut Ecclesiæ militantis solio regnantem, suæ non solum fidei nardum vbiq; effudisse, verum etiam pro salute humani generis in ligno crucis passum, & mortuum, inter eius ubera, ceu myrrhæ fasciculum, perpetuò commoraturum, ob perpetuam passionis & mortis eius memoriam, quam semper in corde suo seruabit, ita vt sicut in verbis præcedentibus primum recoluit Incarnationis Christi beneficium, inquiens: *Dũ esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* nunc secundum recenseat, quod est passionis & mortis eius beneficium, dicens; *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.*



LECTIO

LECTIO LXIII.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.



QVONIAM duplicem de his verbis explicationem proponere solemus, vnam quæ literæ sensum, alteram verò quæ spiritum respicit, ab illa doctrinæ ordine seruato exordiri libet. Et primum illud adnotandum censeo, trifariam horũ verborum versionẽ reperiri; Nã apud Hebręos ita legimus: *Fasciculus myrrhæ amor meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* apud Græcos autem, vt est Origenes, ita habemus; *Alligamentum guttæ seu stactes fratruelis meus mihi, in medio vberum meorum commorabitur.* apud Latinos demum in nostra versione sic dicitur; *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Quapropter in hac triplici versione tres varias verborum differentias inuenimus, vna est, quoniam sponsus ab Hebræis amor sponsæ, à Græcis fratruelis, & à Latinis dilectus nuncupatur: & certè inter Latinos, & Hebræos nullum intercedit discrimen, si verborum vim consideremus, quandoquidem sponsæ dilectus, ipsius quoque amor congruenter dicitur; & in hoc solo differunt, quod Græci hanc sponsæ dilectionem & amorem erga suum sponsum, sub nomine, quod vocant substantiuum, declarant; Latini verò sub nomine adiectiuo: at Græci non ab re illum fratruelem sponsæ appellant, nam cum ipsa sit Ecclesia gentium primitiua, quæ est Synagogæ soror: sunt enim duæ sorores, ambę Dei filiæ, iure, & quidem optimo, sponsus Christus qui secundum carnem filius est Synagogæ, nam *semen Abrahæ apprehendit Deus*, vt inquit Apostolus Heb. cap. 2. Ecclesiæ gentium fratruelis dicitur & est. Altera rursus differentia est, nam quem Hebræi & Latini fasciculum, Græci alligamentum vocant, illis respicientibus rerum congeriem, ex quibus factus est fasciculus, istis verò vinculum, quo veluti alligamento res simul vnitæ constringuntur. Tertia & Postrema differentia est, quoniam Gręci legunt alligamentum stactes, hoc est guttæ seu stillæ; Latini verò atque Hebræi fasciculum myrrhæ, cùm isti velint sponsam fasciculum effecisse ex extremis myrrhæ surculis concinnatum, quem ipsa in pectore suo gestare instituerit, illi verò myrrhæ ramos minime bene olere cognoscentes, & duram esse sponsi comparationem ad myrrhæ fasciculum, satius dicere voluerunt sponsum inter vbera sponsæ commorari, ceu guttam myrrhæ

rhæ aliquo constrictam panniculo, quod sanè & naturæ rei, & decoro ipsius personæ magis conuenit; nam ex myrrha arbore fasciculi ex variis ipsius arboris ramusculis concinnati non facilè aut commodè colligi videntur, quales ex aliis herbis aut floribus benè olentibus in pratis ab adolescentulis concinnari videmus; præterquàm quod cum nihil oleant myrrhæ ramusculi, quid opus est vt fasciculum ex illis concinnatum sponsa in pectore suo gestet? Melius igitur esse Græci putarunt, si guttæ alligamentum, quæ liquor est, ex hac arbore sponte fluens, quàm si myrrhæ fasciculum legamus, cum myrrhæ gutta & bene oleat, & panniculo inuoluta & colligata inter vbera à mulieribus quàm sæpe gestari conspiciatur, vt ibi excalefactus liquor ille, suauem reddat odorem, & alios quos proximè dicturi sumus præstet vsus. Præterea triplex dubitatio etsi leuis paruique momenti ex his verbis consurgit; Prima nimirum, cur sponsa non amplius Regem at dilectum, seu amorem, seu fratruelem, hic sponsum appellet? altera uerò, cur illum fasciculum myrrhæ nuncupet & non fascem? Postrema, cur sponsa inter ubera sua non in pectore suo, ceu fasciculum, dilectum commorari dicat: Quod igitur ad primam spectat difficultatem, respondeo cum D. Bernar. sermone 43. super Cantica, vbi dicit, dilectum appellat non Regem demonstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam; etenim in his verbis, cum sub myrrhæ similitudine: aut de sponsi afflictionibus & morte, quam pro nobis passus est, sermo fiat, aut de cruciatibus & miseriis, quas pro sui sponsi nomine forti animo se passuram sponsæ pollicetur, maxima profectò aut sponsi erga sponsam, aut contra sponsæ erga sponsum dilectio declaratur, cùm maiorem charitatem nemo habeat, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis, ex euangelio D. Ioannis cap. 15. vel dicamus nos, non Regis esse, at dilecti inter vbera sponsæ commorari, sicuti non dilecti; sed Regis est in accubitu sedere, solioque Regali; Ad secundam autem difficultatem respondet Hugo Card. inquiens; fasciculum uocat non fascem dilectum suum, quia pro eius amore leue ducit & iucundum, quicquid laboris imminet & doloris, cum omnia mala pro amicis tolerare facilè sit ac suaue; est autem fasciculus parua lignorum, aliarumuè rerum colligatarum congeries; Ad postremam denique difficultatem respondet Origenes homil. 2. super Cantica, inquiens, per locum, qui est inter vbera, intelligi quidem pectus seu cor sponsæ, quod residet in medio pectoris inter vbera, uerùm in carmine nuptiali decuit potius ubera quàm pectus appellari, cum dulcius sit & iucundius, inter ubera sponsæ, quàm in pectore sponsum commorari; demum de myrrha & uberibus sponsæ iuxta literæ sensum nobis aliquid dicendum esset, sed quoniam de uberibus

satis

satis superque dictum fuit in primo Cantico, dum illa verba interpretaremus. *Quia meliora sunt vbera tua vino*; nonnulla solum de myrrha proponemus, cùm potissimum facilè sit de vberibus loqui, quæ duæ sunt mammæ in mulieris pectore à natura positæ, vna in dextero, altera verò in sinistro latere, in quarum cauernas à venis apertis, quæ sitæ sunt in mamillis, lac transfusum, manente integra, quæ subiicitur sanguinis substantia, & sola qualitatis specie mutata, vnde instar agitatum albescit, & inde effluens, illud puerili infantes labris & ore sugunt è matrum aut nutricum mammis; sed de his satis. Myrrha igitur secundum Glossam (vt referunt etiam Hugo, & Aegidius Cardin. est arbor Arabiæ, altitudinis quinque cubitorum, quæ ex seipsa minimè olet; At stactes Græcè, & Latinè gutta ab ipsa arbore fluens, tres qualitates insigniter obtinet, nam viridis est, amara est, & suauiter olet; Verùm gemina est myrrhæ gutta, vna quæ spontè manat & preciosior est, myrrhaque electa vocatur, altera verò quæ ex corticis incisione fluit, & hęc vilior est & non probata, vtraque tamen est salutaris infirmis, vt ait Plinius libro 12. naturalis historiæ cap. 15. & Dioscorides lib. 1. cap. 67. quò loci myrrhæ seu potius ipsius guttæ spontè fluentis salutares effectus enumerans, inquit, calefacit, cohibet, saporem gignit, glutinat, siccat, astringit, & aduersus alarum tædia illini solet, & hæc hactenus de sensu literæ: Accedamus modò ad sacra mysteria, quæ sub literę cortice spiritaliter latent. Multiplices in scripturis sanctis variarum rerum fasciculi reperiuntur, fasciculus nimirum Hyssopi, fasciculus spicarum, fasciculus Dei, fasciculus zizaniorum, & fasciculus myrrhæ; de fasciculo itaque Hyssopi, Exod. cap. 12. sermo habetur, vbi Moses omnes seniores filiorum Israhel coram se vocans, ait ad eos: *Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase, fasciculumque Hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem*; Qui quidem Hyssopi fasciculus (vt ait Beda Venerabilis ibidem) memoriam designat humilitatis seu potius passionis & mortis Christi; de fasciculo autem spicarum legimus Leuitic. cap. 23. sub his verbis: *Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis fasciculos seu manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem qui eleuabit fasciculum coràm Domino, vt acceptabile sit pro vobis*; & figuratè exprimit corpus Christi à mortuis suscitatum, qui est primitiæ dormientium, vt exponit Glossa interlinearis super Leuiticum ibidem; Adhùc de fasciculo Dei ita loquitur Amos Propheta cap. 9. *Qui ædificat in cælo ascensionem suam, fasciculum suum super terram fundauit*; & est Christiana religio, qua Dei populus fidelis colligatus tenetur, vt habitent fratres omnes in vnum; Ita

placeet

placet Diuo Hieronymo, & Ruperto Abbati in eorum commentar. super Amos ibidem; Rursus zizaniorum fasciculi apud D. Matth. ca. 13. commemorantur, inquiente Domino nostro; *Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum*; & sunt dogmata hæreticorum, seu malorum hominum collectiones, qui sunt ad inferos mittendi, vt perpetuis suppliciis puniantur, ita ait Diuus Hieronym. & Diuus Augustinus ibidem: Demum fasciculus myrrhæ habetur hic in Canticis canticorum, & mysticè nobis varia designare potest; primùm enim si mirrham consideremus, vt eius gutta parua est ac modica, corporeæ natiuitatis & mortalitatis Christi sacramentum significat, eiusque maximam diuinæ maiestatis humilitatem, vt placet Origeni & Diuo Hieronymo in hoc loco inquientibus: *Alligamentum guttæ corporea natiuitatis Christi indicat sacramentum, nam corpus est quoddam alligamentum animæ, & verè filius Dei in humanitate carne assumpta dicitur gutta, & quasi breue aliquid & exiguum nominatur.*, quemadmodum etiam Isaiæ cap. 9. dicitur; *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*; hinc de ipso apud Danielem cap. 7. dicitur, illum esse paruum lapidem sine manibus de monte excisum, & factum post hæc montem magnum; Ipse enim Dei filius factus homo, modica quoque stilla nuncupatur, cùm oporteret, vt is qui pro omnium salute factus est omnia, stilla quoque fieret ad illos liberandos, seipsumque exinaniret factus obediens vsque ad mortem; & hanc myrrhæ mysticam significationem vnanimi consensu affirmāt Basilius Magnus super Psalmum 44. & in hom. de Christi natiuitate, Diuus Hilarius super Diuum Matthæum can. 1. Diuus Gregorius hom. 10. Diuus Bernardus sermo. 43. super Cantica, & Diuus Fulgentius in sermone Epiphaniæ. Alii tamen sunt, qui myrrhæ nomine, quæ herba amara est atque aspera, carnis vt inquiunt mortificationem, & pœnitentiæ amaritudinem, quam pro nostris patimur erratis, intelligi voluūt, vt D. Ambros. libro de institutione Virginis, cap. 15. & lib. de Cain, & Abel, cap. 5. vt D. Hieronym. aduersus Iouinianum hæreticum, vt D. Greg. super Cant. cap. 1. vt demum D. Bernardus ibidem sermo. 43. vbi sic inquit: *Et propterea non fascem, sed fasciculum suum dilectum appellat Ecclesia sponsa, quoniam præ Christi sponsi amore, leue ducit, & suaue, quicquid laboris imminet & doloris; seu quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*; vt dicitur Roman. cap. 8. seu tandem quoniam *Christi iugum suaue est, & onus leue*; vt apud Diuum Matthæum cap. 11. habemus; attamen non leue est in seipso, neque enim leuis est afflictionum asperitas, & mortis amaritudo, sed leuis amanti, & hinc est vt non solum dicat; *Fasciculus myrrhæ*

dilectus

dilectus meus ; at superaddat etiam *Mihi* fasciculus est , quæ diligo illum , cùm amor omnia sufferat & patiatur : Præterea quidam sunt, qui per myrrham qua mortuorum corpora condiuntur, ne putrescant, nostrorum corporum immortalitatem & incorruptionem , quam post generalem omnium mortuorum resurrectionem omnes consequemur , designari opinantur, vt D. Ambros. lib. 1. de Cain & Abel cap. 5. affirmat , illa verba explanans , quæ Canticorum cap. 5. habentur: *Veni in hortum meum soror mea sponsa , messui myrrham meam, cùm aromatibus meis* : inquit enim doctor sanctus : *Vindemiabis myrrham in horto Ecclesiæ , idest Christi sepulturam , vt consepultus cum illo per baptismum in mortem, quemadmodum ille resurrexit à mortuis , & tu resurgas* ; cui quoque assentitur D. Bernar. sermone 43. super Cantica, cùm dicit ; *Duplex myrrha in Christi passione habetur, vna qua in cruce potatus est , & altera qua vnctus est in sepulchro , in prima Christus meorum delictorum amaritudinem ad seipsum applicauit , in altera verò mei corporis incorruptionem dedicauit*; Nonnulli etiam sunt, qui sub myrrhæ similitudine, quæ est arbor amara , martyrum cruciatus & mortem, quam pro Christi nomine forti animo patiuntur , significari putant , vt D. Greg. super Cantica cap. 5. illa verba exponens : *Labia eius lilia distillantia myrrham primam*; vbi dicit : *Labia sponsi Christi sunt concionatores, qui dum martyrum cruciatus & mortem , populo prædicant, quasi myrrham carnibus mortificandis ad condimentum distillant* ; Quod idem etiam astruit diuus Bernardus sermone 43. super Cantica . At omnium optime illi putant , qui per myrrhæ fasciculum , in hoc potissimum loco , Christi passionem amaramque mortem & sepulturam symbolicè designari volunt , vti sunt Hugo , & Aegidius Card. diuus Thomas , Haymon , diuus Bernard. & nonnulli ex recentioribus interpretibus in suis omnes comment. super Cantica canticorum , quinimmò & D. Ambros. lib. de Institutione Virginis , cap. 15. vbi dicit : *Illi myrrham distillant, qui Christi passionem & mortem loquuntur , & celebrant , eiusque mortificationem in suo circunferunt corpore* ; & demum Diuus Gregorius cum illa verba D. Matth. quæ cap. 2. leguntur , explanat : *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham* ; inquit enim aurum regi congruit , thus in sacrificium Deo offertur , & myrrha mortuorum corpora condiuntur ; Christum ergo Magi , quem adorant, mysticis etiam muneribus prædicant , auro Regem, thure Deum , & myrrha mortalem . Neque mihi ullo pacto displicet domini Henrici opinio , qui primo libro Theologiæ mysticæ cap. 21. fasciculum myrrhæ appellat, vniuersam Christi miseriarum & afflictionum congeriem, quas à primo suæ natiuitatis temporaneæ momento, vsque ad mortis horam passus est, inquit

enim

enim,est autem fasciculus myrrhæ qui componitur ex infantilibus necessitatibus quas in præsepio sustinuit Christus, ex laboribus quos in prædicando pertulit,ex fatigationibus in discurrendo, & vigiliis in orando, ex tentationibus in ieiunando, ex lachrymis in compatiendo, ex insidiis in colloquendo, & demum ex sputis,colaphis,verberibus,flagellis, clauis,spinis, & morte, quæ pęnarum genera pro generis humani salute pati voluit; Quapropter myrrhę fasciculus inter vbera sponsæ perpetuò commoraturus Christi pasionem designat,mortem,& sepulturam, in ecclesiæ corde, ex perpetua illius meditatione mansuram:& quamuis non fasciculus, at fascis, & maximus myrrhæ fascis ipsimet Christo extiterit eius pasio & mors,quippe quæ cùm ex modo,tùm ex caussa, tùm etiam ex persona quæ patiebatur omnium asperrima & amarisima, vniuersas omnium ac singulorum martyrum afflictiones & cruciatus superauit, vt ipsemet sub maris fluctuum similitudine in Psalmo 87. affirmat, dicens; *Omnes fluctus tuos induxisti super me;* & adhuc manifestius apud Hieremiam Threnorum cap. 1. cùm inquit; *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis sicut dolor meus;* Sponsæ tamen ecclesiæ, cui summopere salutaris Christi mors extitit ac proficua, fasciculus fuit,& profectò fascis est, si vulnera spectes & plagas quas passus est Christus; at fasciculus est si fructum consideres & salutem quam attulit vniuerso mundo; fascis inquàm est in corpore sponsi; at fasciculus inter vbera sponsæ; fascis in capite, at fasciculus in membris, fascis demum in ipso Christo; at fasciculus in nobis qui Christicolæ sumus. Audite res omni admiratione dignas, si myrrha Arabiæ arbor est, altitudinis quinque cubitorum, ex seipsa naribus nostris minimè olens, nisi incidatur ac resecetur; nonnè Christi passio & mors non longè ab Arabiæ regione, Hierosolymis extitit, nonnè in sublimi Caluarii montis vertice quinque vulneribus completa fuit? nonnè ex seipsa duntaxat omnis efficacitatis erga nos est expers, nisi efficaci ipsius Christi sacramentorum virtute ad nos applicata proficua fiat? O rem pulchram, si myrrhæ gutta, quæ spontè manat, precioslor est, quàm quæ fluit ex corticis incisione, en Christi passio & mors, quàm cùm spontè Christus sustulerit: *Oblatus est enim quoniam ipse voluit, habens potestatem ponendi animam suam, & iterum sumendi eam;* vt ipsemet inquit D. Ioañ. ca. 10. quàm maximè Deo gratam & nobis salutarem extitisse compertum est. Si demum hæc myrrhæ gutta viridis est, amara, salubris infirmis, & suauiter olens; certè Christi passio & mors viridis est, quoniam vniuersa salutis humanæ spes in ea reponitur, amara est, quoniam diris cruciatibus aduersus hominem innocentem ita sæuire visi sunt Iudæi, vt non posis non credere, vniuersum inferorum regnum contrà

Chri-

Christum conspirasse; adhuc omnibus hominum infirmitatibus salubris est, quoniam diuturnum ac perpetuum erratorum nostrorum languorem, sacro ipsius Christi sanguine sanans, nos à peccato, à morte, à demone liberat; & tandem suauiter olet, quoniam salutaris ipsius virtus hincinde diffusa, apud homines non solum in terris, sed apud angelos etiam in cœlo, dicam etiam apud inferos in sedibus purgatorijs maximum suauitatis suæ odorem, imò verò saporem incredibili omnium cùm vtilitate fundit & spargit; Audite si viridis est Christi mors: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*; inquit Apostolus ad Galat. cap. 6. audite si amara est & aspera: *Attendite & videte, si est dolor similis sicut dolor meus*; Threnorum capite 1. audite si salubris est infirmis: *Hic mortem nostram moriendo destruxit*; canit ecclesia in paschate resurrectionis, audite demum si suauiter olet, nam *In nomine Iesu flectitur omne genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum*; Philip. cap. 2. Quare iure optimo sponsa Christi ecclesia primitiua, de sui sponsi passione & morte acerbissima, in hoc Cantico, veluti in pulcherrima scena suis cum adolescentulis, quæ sunt animæ incipientiũ ac paulatim in Christi fide proficientium verba faciens, illam sub fasciculi myrrhæ similitudine satis apta, perpetua contemplatione in corde habendam proponit, inquiens: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*; ac si dicat, super omnia Domine Iesu te mihi reddidit dilectum calix, quem bibisti, opus redemptionis nostræ; nam maiora in me dona redimendo, quàm creando contulisti; Etenim creando me mihi dedisti, at redimendo te mihi largitus fuisti, & me mihi qui perieram reddidisti. Quid igitur gratiarum ò mi carissimè sponse, quid digne pro his omnibus tibi retribuam, cum sim puluis & cinis? reddam quod possum, reddam tibi animam meam, cor meum, totam dilectionem meam, nam ceu fasciculus myrrhæ, inter vbera perpetuò commoraberis, ibi te sequar, ibi te diligam, ibi te amplectar, ibi te suauissimè fruar.



LECTIO LXIIII.

Inter vbera mea commorabitur.


RELIQVVM modò esset, vt de sponsæ vberibus diceremus, verùm quoniam de his plura dicta sunt in primo Cantico, hæc pauca ad spiritus mysteria pertinentia illis addidisse sat erit, atq; vt hinc exordiar, non me latet sub sponsæ vberum similitudine; res varias exprimi posse: etenim quando que designant duo charitatis præcepta, vt Diuo Gregorio placet illa verba exponenti, quæ Canticorum cap. 7. leguntur; *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris*; inquit enim Doctor sanctus, vbera sponsæ duo, sunt præcepta charitatis, quæ animam quam possident, vino cœlesti inebriant, & nutriunt. Nonnunquam verò duos concionatorum ordines, hæc sponsæ vbera indicant, vnum in circuncisione apud Iudæos, alterum apud Gentes in præputio; vt astruit idem diuus Gregorius Cantic. cap. 4. illa verba explanans; *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreę, qui pascuntur in liliis*; nam dicit per duo vbera, duo Prędicatorum ordines designantur, qui bene sicut duo hinnuli capreę dicuntur, quia filij Synagogę existunt, & in montibus contemplationum pascuntur; gemelli verò ideò dicti sunt, quia concorditer prædicant & sapiunt. Sæpè etiam per vbera sponsæ sacri eloquij verba intelliguntur, quæ tam in veteri, quàm in nouo testamento leguntur, ut censet Diuus Hieronymus illud Prouerbiorum capite trigesimo, explanans; *Qui premit fortiter vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum.* & ait vbera fortiter premimus, cùm verba sacri eloquij subtili intellectu pẽsamus, qua pressione dum lac quærimus, buthyrum inuenimus, quia dum nutriri uel tenui intellectu quærimus, internæ pinguedinis vbertate iungimur: nisi dicamus Salomonem prophetam per Metonymiam vbera pro lacte ibi accipere, quod paruulorum innocentiam indicat; Verum quid in hoc loco vbera sponsæ designent, quàmquam interpretes tam prisci, quam recentiores, quò ad litteræ sensum idem exponentes asseuerant, per locum qui est inter vbera, intelligi pectus, in quo cor sedem habere manifestum est, nam amor & res amata in amantis corde residere dicitur; in sensu tamen spiritali non omnes conueniunt, sed alij alia dicunt. Primum Origenes, & Diuus Hieronymus, qui per huiusmodi locum, qui est inter ubera, dicunt designari partem cordis præcipuam, hoc est animum rationis participem, in

quo etiam sensu cor accipitur apud Diuum Matthæum capite decimo quinto, cum dicitur; *De corde exeunt cogitatione malæ*. Cui antiquorum interpretum explicationi nonnulli recentiores assentiri videntur, & potissimum Cosmus Damianus, inquiens, per vbera sponsæ, intelligi in hoc loco humanæ mentis recessum, seu principem animi nostri partem, in qua versatur Dominus, quando ipsius sponsa ecclesia ipsi adhærens, unus fit spiritus cum illo: Alii vero, vt Diuus Thomas, & doctus Haymon ita exponunt, in memoria cordis mei, quasi sponsus inter vbera perpetuò Christus commorabitur. Quidam autem vt Aegidius Romanus, per vbera sponsæ interpretantur intellectum, & voluntatem, vt sponsus Christus veluti inter ubera sponsæ inter intellectum ipsius, & voluntatem commoraturus sit, quippe quæ nihil velit sapere, quod illi displiceat, & nihil amare, quod ipse abhorreat. Adhuc nonnulli sunt, vt diuus Gregorius, qui vbera sponsæ dilectionem Dei, & proximi esse volunt, inquientes; Sponsus Christus inter ubera sponsæ ecclesiæ commorari dicitur, quia in dilectione Dei, & proximi, habitatio Christi sancta ædificatur, quasi enim duobus vberibus Christus nutritus roboratur, dum hac gemina dilectione, vt fortius inhæreat, delectatur: & hanc expositionem amplecti videtur Alphonsus Augustinianus, per vbera sponsæ amoris affectus explicans, quibus sponsum Christum prosequimur; tunc enim Christus in nobis commoratur, cùm ipsum diligimus, vt ipsemet ait Diui Ioannis capite decimoquarto; *Siquis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & mansionem apud eum faciemus*. Præterea Hugo Cardinalis sponsæ vbera putat esse gratitudinem ecclesiæ erga sponsum Christum, & humilitatem, quæ duæ virtutes sponsum maximè detinent, & delectant, nam dum nosipsos tantis beneficiis indignos per humilitatem reputamus, & per gratitudinem (vt ipsius verbis vtar) Deo gratias agimus, ipsum detinemus, ac summopere delectamus. Rursus Dominus Henricus Harphyus ibidem capite uigesimoprimo ait, per vbera sponsæ intelligi (vtor autem ipsiusmet verbis) amorosam compassionem, & studiosam imitationem, de primo etenim ubere dicitur Threnorum capite tertio; *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea*; De altero autem ubere dicitur Philippens. cap. secundo: *Fratres, hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu*; quod est fasciculum passionis Dominicæ in pectore suo gestare, non solum compatiendo, verùm etiam imitando. Et tandem diuus Bernardus sermone quadragesimotertio super Cantic. per vbera sponsæ, ipsius ecclesiæ lætitiam, & tristitiam significari opinatur, seu ipsius iucunditatem, & dolorem, & ait: quoniam igitur sponsa inter prospera, & aduersa ver-

sans, nouit vtrobique pericula non deesse, medium huiuscemodi vberum suorum vult habere dilectum, cuius continua protectione, aduersus utraque munitam, nec læta extollant, nec tristia deiiciant, quam etiam interpretationem Diui Gregorii amplectitur, inquiens: sponsa quæ inter prospera versatur, & aduersa, hunc fasciculum myrrhæ ex omnibus Christi amaritudinibus collectum, medium inter vbera sua collocauit, ne læta illam extollant; & tristia deiiciant. Ego uerò si quid tot tantisque interpretum expositioιibus addere liceat, dicerem profectò & fortè fortuna non ineptè, per duo sponsæ vbera, duos ecclesiæ populos; Iudæos nimirum & Gentes, ex quibus ipsa collecta est, & quotidie colligitur, mysticè designari posse, quandoquidem etsi per ubera sponsæ res variæ vt audistis symbolicè exprimuntur, attamen hi duo populi congruenter etiam significantur, quod pariter placet Diuo Gregorio suis in commentariis super Cantica capite quarto, vbi exponens illa uerba, *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli Capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs*, inquit, *Duo ubera sponsæ, duo populi existunt, quia dum in amore fraterno semper uiuunt se innicem pietatis lacte in charitate nutriunt*; Inter vbera igitur sponsæ Ecclesiæ, ceu myrrhæ fasciculus commoratur sponsus Christus passus, mortuus, & sepultus; quoniam inter utrumque populum locum medium ipse tenens, ex æquo pro omnibus passus est, apud quem non est acceptio personarum, sed diues est in omnibus qui inuocant illum, ac diligunt, præ lætitia canentes; *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mibi, inter vbera mea commorabitur.*

LECTIO LXV.

Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.


VAE hucusque suas allocuta est adolescentulas, easdem quoque in his verbis sponsa affatur, tertium coram illis beneficium recolens, in seipsam à sponso collatum, & ait dilectum suum apud se esse, ceu botrum Cypri in vineis Engaddi, vt ex his adolescentulæ hæc audientes, magis ac magis ad amorem sponsi concitentur; & si mysticè explicemus, ita interpretabimur hæc verba; Ecclesia primitiua incipientibus ac proficientibus Christi fidelibus nunciat gloriosæ Christi resurrectionis beneficium, cùm in uerbis præcedentibus tùm incarnationis

& natiuitatis, tùm passionis & mortis ipsius beneficia recésuerit, & ait omnem dilecti sui lætitiam, quã à mortuis resurgendo nobis comparauit, sibi esse in ecclesia, seu potius in ecclesijs particularibus, veluti botrum Cypri in vineis Engaddi, ita hęc verba exponũt Diuus Bernardus, Hugo Cardinalis, Diuus Thomas, doctus Haymon, & Aegidius Romanus omnes in commentar. super Cantica cãticorum; ita inquit Diuus Bernardus sermone 44. sponsa ecclesia loquens ait, Dilectus meus Iesus Christus qui myrrha mihi fuit in morte, botrus etiã mihi est in resurrectione sua, immò verò si dilectus est in myrrhæ amaritudine, multò magis in botri suauitate, nam mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram; Ita inquit Hugo, quoniam mortis dolorem, resurrectionis gaudium secutum est, ideò sponsa congruè post recordationem mortis Christi, ipsius resurrectionis meminit, inquiens: *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi*; hoc est non solum inter vbera mea commorabitur sponsus Christus, quoniam factus est mihi fasciculus myrrhæ in passione, & morte, verùm etiã quia factus est mihi botrus Cypri in resurrectione; & sicuti in passione caussa mihi tristitiæ fuit, ita caussa lętitiæ in resurrectione; Ita exponunt D. Thomas, & Haymon, adhuc loquit' eadem spõsa, Christi ecclesia, & loquitur de ipsius Christi resurrectione, ac si dicat, sponsus meus qui mortis amaritudinem pro me gustauit, fasciculusq; myrrhæ mihi fuit, in resurrectione certè sua factus est mihi botrus Cypri, quando me suæ resurrectionis gaudio lætificauit. Ita demũ interpretatur Aegidius Romanus Ecclesia primitiua tertiũ cõfitetur beneficium, quod à Christo à mortuis resurgente accepit, inquiens: valde dulcis & suauis mihi est dilectus meus in sua resurrectione. Ab hac verò horum interpretum explicatione, cęteri omnes discrepãt expositores, & primùm Origenes, quem Diuus Hieronymus, & Alphonsus Augustinianus sequuntur, horum verborum sensum huiusmodi esse existimat; vt Ecclesia primitiua suis loquatur cũ adolescentulis, illisq; dicat fratruelem meum, qui Christus est, Synagogę filius secundum carnem, mihi esse veluti botrum Cypri, hoc est suauitatem floridamq; spem, quæ per florem symbolicè designatur, in vineis Engaddi, hoc est in oculis tentationis, dum in hoc mũdo varias afflictiones patitur, atque perturbationes, siquidem dum in hoc mundo sumus, in tentatione manemus, dum in hac luce viuimus, in vineis sumus Engaddi: At alij sunt vt Diuus Gregorius, & Diuus Bernardus, qui tropologicè hæc verba de anima exponentes, dicunt, Christum sponsum illis esse botrum Cypri in vineis Engaddi, qui relictis peccatis in fonte hœdi; hoc est in Christi baptismate, in spem vitæ respirant, volunt enim En-

euti faciunt uineæ in uuis,ideo Propheta Salomon dixit;*Botrus Cypri*; Etsi propriè botrus est uuarum;Seu Cyprus,ut uult Iacobus de Valentia,est arbor,ex qua nascitur balsamum,quàm Salomon ex Assyria in Iudæam transtulit,& ex hac arbore uineam in loco qui dicitur Engaddi,plantauit,in tribu Iuda, uidelicet,iuxta mare mortuum; Vocatur autem botrus,quoniam crescit instar uitis,& grana simul iuncta facit ueluti uineæ in uuis;& hanc arborem Cyprum ferrum non pati asseuerat Valentinus,quippe quæ si ferro tangatur,illicò arescat, si uerò lapide aut osse acuto scindatur, tunc liquorem emittit suauissimum, qui dicitur Balsamum, à ciuitate Balsem, ubi hæc arbor antiquitus crescebat,quàmuis Græci arborem non solum, & liquorem etiam ex arbore diffluentem, quem nos uocamus Balsamum,Cyprum,aut Cyperum appellarent, quod huiusmodi arbor in insula Cypro vt plurimum cresceret. Verùm Cyprus in hoc loco non est insulæ nomen, quæ in Mari Mediterraneo Veneri à poetis dicata reperitur, cùm ibi non adsint huiusmodi vineæ Engaddinæ,vt infrà declarabimus: licèt Diuus Bernardus sermone 44. super Cantica, Hugo Cardinalis,Diuus Gregorius,Diuus Thomas,& doctus Haymon opinari uidentur Cyprum insulam esse in Græcia, vbi vites nobiles maximosque botros producentes esse feruntur, vnde fiant vina omnibus transmarinis præposita,quemadmodum affirmat Plinius libro decimoquarto. Et quoniam dubium remanebat, quod dictum est in insula Cypro non adesse vineas Engaddinas,quæ sunt in Palæstina,iuxta mare mortuũ, ideò,hi Doctores sancti huic satis difficultati faciunt,inquientes à Salomone Propheta, Botrum Cypri vineis Engaddi reponi, quoniam vuæ Engaddinæ botro Cypri, hoc est vuis & uino quod fit in insula Cypro, quàmproximè accedát. At Origenes,& Diuus Hieronymus qui legunt botrus Cyperi non Cypri aiunt in litteræ sensu aliquid esse ambiguum,quandoquidem Cyperus tum vua florens appellatur, tùm species quædam uirgulti,quæ floridum quendam fructum & odoratũ producit,instar uuæ florentis, quàmquàm ad priorem potius significationem hoc est ad fructum uitis Prophetæ sermo respicere uidetur, cùm satis apertè de uineis Engaddi mentio fiat, quod etiam astruunt Diuus Gregorius,Diuus Bernardus,Diuus Thomas,Haymon,& Hugo Cardinalis in hoc loco; Quinimmò & Diuus Augustinus in enarratione Psalmi octaui, cùm dicit uerbum diuinum potest uua intelligi,quod dictum est botrus uuæ, quem ligno suspensum, de terra promissionis qui præmissi erant à populo Israhelitico tanquã cruci affixum attulerunt. Demum Cosmus Damianus per Cyprum, quod Hebraicè dicitur *Hagofer*,seu,ut alij uolunt *Copher* appellatur, credit

ſignificari piaculum, & precium,quod in alicuius captiui redemptio nem datur,ita vt verti poſſit hoc pacto ; *Botrus expiationis, ſeu Botrus expiatorius* ; cùm hæc dictio *Cyprus*, ſeu *Hagofer*, aut *Capher*, iuxta vim Hebraicæ linguæ,idem ſit, quod piaculum & precium. Quare ex dictis colligimus Cyprum tria ſignificare poſſe, aut arborem aromaticam producentem floridum fructum & odoratum, aut inſulam apud Græcos Veneri à Poetis dicatam,in Pamphilio mari poſitam, in ter Ciliciam & Syriam, maximos vuarum botros procreantem, aut tandem piaculum & precium,quod in alicuius redemptionem datur; Ego autem primam duntaxat ſignificationem approbandam opinor, licèt etiam ſecundam & tertiam minimè negligam, & ratio eſt: quoniam cum vineis Engaddi,quæ (vt ſcribit Lyranus)ſunt loca,vbi Balſamum creſcit,in Palæſtina poſita,iuxta mare mortuum,non Cyprus inſula,vbi fiunt optima vina, nec Cyprus quod eſt precium aut piacu lum,at Cyprus,quæ eſt arbor aromatica Balſamum producens cogna tionem habere videtur;& confirmatur, quia Engaddi,vt Diuus Hiero nymus ait,locus eſt in regione illa Campeſtri & deſerta,vbi ſe abſcō-dit Dauid in ſolitudine,vt legimus in primo libro Regum cap.24. & Ezech. c.47. ſeu quemadmodum refert Hugo Card. Engaddi eadem ciuitas eſt,quæ & Hierico, vbi olim fuit vinea Balſami, quàm poſtea Cleopatra Babylonem tranſtulit, & hæc ciuitas à Cypro inſula non parum diſtat: Verùm ſi in hoc loco arbores Balſami creſcere ferūtur, quonam pacto Engaddi vineæ appellantur, quæ ſunt multitudo vitiū ſimul conſitarum ? cui difficultati Diuus Bernardus ibidem ſatisfaciens,inquit:quoniam arbores illæ Balſamum producentes, in modū vinearum ab indigenis excoluntur, & inde Propheta forſitan vineas appellauit: Quod autem ad ſpiritalem ſenſum & myſticum ſpectat, botrus Cypri vt aſſeuerant Origenes,Diuus Hieronymus,& Alphon ſus Auguſtinianus,indicat ſpem floridam,& vineę Engaddi varias hu ius mundi afflictiones deſignant,ita vt ſit huiuſmodi ſenſus, Chriſtus dilectus meus mihi eſt ſumma ſuauitas, & ſpes florida in omnib. quas in hoc mundo patior calamitatibus; ratio eſt, quoniam botrus Cypri eſt vua florens,flos autem ſpei indicium commendatur, vt infrà aptio ri loco declarabimus. Alij verò(vt D.Gregor.& D.Bernar.) per botrum Cypri ſpem vitæ exponunt, quam illi recipiant, qui peccata in baptiſmatis fonte relinquunt,& ſenſus eſt huiuſmodi: ſponſus Chriſtus dilectus meus mihi eſt, ſpes vitæ in fonte baptiſmatis, ratio eſt: quoniam botrus Cypri, cum ſit vua florens, flos autem ſpei ſymbolum ſit, ſpem ſignificat, & Engaddi, quod interpretatur fons hœdi, Baptiſmum præmonſtrat, qui fons Chriſti eſt, in quo omnia
homi-

hominum peccata abluũtur, nam hœdus peccatores significat,quemadmodum in veteri quoque lege Deo pro ipsis offerebatur: quidam autem volunt botrum Cypri generalem esse ecclesiam, & per vineas Engaddi multas intelligi ecclesias particulares,vt Diuus Gregorius,qui horum verborũ sensum eiusmodi proponit, Christus est veluti botrus Cypri ipsi sponsę ecclesię,in vineis Engaddi,quãdo vniuersalis ecclesia,quæ per Cyprum significatur,vinũ quod lætificat cor hominis, gignit,hoc est Christianam libertatem,& spiritalem lætitiã efficit in ecclesijs particularibus:Nõnulli etiam sunt ex recentioribus,vt Cosmus Damianus,qui opinãtur per botrum Cypri copiosam significari redẽptionem,seu redemptionis pretium,qđ Christus, in ligno crucis sanguinem fundẽs,pro nobis ipsi Deo soluit,& per vineas Engaddi particulares ecclesias exprimi putat,quę sunt fons fœlicitatis,seu fõs hœdi, ita vt sit huiusmodi sensus:Christus dilectus meus clauis,& lancea cõfixus,& in cruce quasi in torculari expressus, factus est mihi copiosa redẽptio in omnibus ecclesijs particularibus, qñquidem pro omnib. mortuus est. Et tandem Iacobus Valentinus per Botrum Cypri, seu per Balsamum ex arbore Cypro diffluens,humanitatis Christi subtilitatem,& per vineas Engaddi sacri Virginis vterum exponens, hunc sensum proponit,dilectus meus Christus fuit in vtero meo ceu Balsamum,sicut enim Balsamum in corpus humanum absq; læsione penetrat,ita Christus in Virginis vterum,quem nec tantillum quidẽ offendit,penetrasse dicitur. At omniũ optimè rem ipsam tetigerunt Diuus Bernardus,Hugo,& Aegidius Cardinales,Diuus Thomas,& Doctus Haymon, quibus placet botrum Cypri mysticè nobis indicare lætitiã cordis,& spiritus libertatem,vel etiam(vt ego censeo)pacem, & victoriam,quam Christus resurgens à mortuis,& sibi,& nobis gloriosè cõparauit:Verùm quid vineæ Engaddi significent, nõ omnes idem sentiunt,nã Diuus Bernardus ait, has vineas particulares ecclesias figurare,at Hugo Cardinalis inquit illas designare vniones illorũ,qui in fonte baptismatis,& lachrymarũ loti sunt à peccato.Adhuc Diuus Thomas,& Haymon per vineas baptismatis fontem exponũt, in quo omnia scelera abluuntur,& demũ Aegidius Romanus spiritus sancti missionem intelligit super Apostolos in die Pentecostes, audite eorummet verba.Ita inquit Diuus Bernardus, vineę Engaddi sunt plebes ecclesiæ,quæ habent Balsami liquorem,id est,spiritũ mansuetudinis,in quo paruulos adhuc tenellos in Christo blandè fouet, pęnitentiumq; dolores consolatur;Ita inquit Hugo Cardinalis,& hoc *in vineis Engaddi*,id est in collectionib. eorum,qui in fonte baptismatis, & lachrymarum loti sunt à peccatis,cũ *Engaddi*, interpretetur fons hœdi,aut ocu-

lus

lus tentationis: ita inquiunt Diuus Thomas, & Haymon *Engaddi* interpretatur fons hœdi, & designat baptismi fontem, in quo omnia scelera abluuntur; hœdus.n. peccatores designat: Ita demum inquit Aegidius Romanus. Tu dilectus meus non solùm mihi es Cypri botrus, lætificans animam meam per resurrectionem tuam, verùm etiam mihi es botrus Balsami in missione Spiritussancti, nam dona Spiritussancti accipimus per vnctionem chrismatis, quod ex Balsamo conficit' in vineis Engaddi nascente. Ego verò Diui Bernardi opinionem potius amplectendam existimo, vt per vineas Engaddi particulares ecclesiæ symbolicè intelligantur, vbi sanctum est chrisma ex Balsamo & oleo Episcopi benedictione cõfectum, sub quo Spiritussancti dona mysticè exprimuntur, ita vt horum verborum sensus germanus huiusmodi, sit; Spõsus & dilectus meus Christus, qui ex summa eius dilectione factus est mihi fasciculus myrrhæ, in passione & morte, factus etiam mihi est ex maxima ipsius charitate botrus Cypri, in sua à mortuis resurrectione; Seu hoc pacto, qui fuerat tristitiæ caussa in morte, factus est mihi lætitiæ caussa in resurrectione, & non solùm mihi, sed vineis etiam Engaddi, quippe qui à mortuis resurgens, me non solùm lætam effecit, verùm etiam per vniuersas ecclesias suæ lętitiæ fragrantiam diffudit. Quare sicuti per botrum Cypri, quæ arbor est aromatica, ex qua manat Balsamum, pax intelligitur, & victoria, quinimò cordis lætitia, spiritusq; libertas, ita per vineas Engaddi ecclesię particulares mysticè exprimuntur: Neque enim botrum Cypri in hoc loco expiationem aut pretium designare puto, vt volunt aliqui ex recentioribus, neque vuam florentem, quæ nascitur in insula Cypro præmonstrare opinor, vt volunt quã plures ex antiquioribus interpretibus; & quãquàm vua florens, aut uinum etiam lætitiæ symbolum est, & libertatis, ut dictum est in primo Cantico, dum illa verba explicaremus, *Quia meliora sunt vbera tua vino;* Balsamum tamen, & oleum, hæc eadem figuratè designãt, immò verò & pacem, & victoriã, vt satis manifestè ostendimus, dum illa uerba interpretaremur, *Oleum effusum nomen tuum.* Et certè Christus à mortuis resurgens, nobis attulit cordis lętitiã, spiritus libertatem, pacem, & victoriã. Nam de cordis lętitia legimus tum apud Diuum Marcum cap. 16. quò loci Angelus ille stola cãdida coopertus, in dextris Christi sepulchri sedens, tres illas fęminas in Christũ magistrum maximè officiosas consolatur, illisq; gaudium (expulso timore) nunciat, inquiens: *Nolite timere, Iesum quæritis Nazarenum, surrexit, non est hic;* tum apud Diuum Ioannem cap. 20. ubi dicit: *Gauisi sunt discipuli, viso Domino.* Præterea de spiritus libertate, quam per Christi resurrectionem adepti sumus, loquitur Apostolus Gal. cap. 4. cum inquit:

quit: *Quà libertate Christus nos liberauit.* De pace verò ipsemet Christus postquàm maxima nominis sui cum gloria à mortuis resurrexit, apud Diuum Lucam, cap. 24. aiebat: *Pax vobis, ego sum, nolite timere.* De victoria demum, quam Christus ex inimicis nostris strenuè superatis gloriosissimè reportauit, inquit Apostolus cap. 15. prioris epist. ad Corin. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per Iesum Christum Dominum nostrum.* Non est autem, vt in præsentia de botro Cypri plura dicamus, quoniam de hoc, aut vuam fluentem significet, aut arborem Balsamum producentem, in primo Cantico satis superque diximus; De vineis etiam Engaddi, hæc pauca sufficiant, quæ ex varijs explicatoribus hic adnotauimus; nam multa de vineis dicta sunt in primo etiam Cantico, sub illis verbis: *Posuerunt me custodem in vineis.* Et de his hactenus.

LECTIO LXVI.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.



VONIAM hucusque suas adolescentulas affata est sponsa, ipsisque recedentibus inducitur sponsus, qui sponsam alloquẽs, & amicam suam, bis illam pulchram appellat, ideo mutatur hic dramatis ordo, & noua efficitur scena, vt placet omnib. explicatoribus, dẽptis his paucis Diuo Thoma, Haymone, Iacobo Valentino, & Alphonso Augustiniano, qui putantes sponsam in præcedentibus verbis, non suis cum adolescẽtulis, at cum sponso locutam fuisse, hic autem contrà, sponsum cum sponsa sermonẽ habere verè quidem opinãtes, asseuerant nec dramatis ordinẽ mutari, nec effici nouam scenã, quod sanè verùm esset, si in huius secundi cantici initio, sponsa cum sponso, & nõ potius suis cũ adolescentulis verba fecisset, vt cęteri omnes interpretes vnanimi consensu affirmant: Sponsus igitur suam in his verbis sponsam, quam vocat amicam, compellans, inquit: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es;* ac si dicat, ò amica mea, tu dicis tuam nardum, dum essem in accubitu meo, suum dedisse odorem; item me esse fasciculum myrrhæ inter vbera tua, & botrum Cypri in vineis Engaddi; & ecce tibi dico, te gemina pulchritudine decoram, tum pulchram esse, intus videlicet & foris, hoc est animo, & corpore; neque enim sponsus noster, amicus ingenuus, ac munificus, præclara audiens encomia, quib. illum sponsa laudauerat, sub fasciculi myrrhæ, & botri Cypri

pri appellatione,continere se potuit,quin sponsæ, venustatem patefaciat,& pulchritudinem,ita exponunt iuxta literę sensum omnes,quos ego viderim,interpretes;in quo sanè sensu nonnulla sunt adnotatu digna declaranda: Primum est, nos in nostra editione sic legere: *Ecce tu pulchra es amica mea,ecce tu pulchra es.* Græci verò,vt Origenes Homil.2. ita legunt, *Ecce tu speciosa es proxima mea,ecce tu speciosa es.* & demum Hebraicè ita habemus: *Ecce tu pulchra es socia mea, ecce tu pulchra es.* ita vt duplex adsit discrepantia in his tribus versionibus: prior est,nam quòd in vna dicitur à Græcis speciosa,in duabus tùm apud Hebræos,tum apud Latinos habetur pulchra,nam isti fortè fortuna internum sponsę decorem respicientes,illam pulchrã appellarunt:illi verò exteriorem venustatem cõsiderantes,speciosam illã nuncuparunt. Altera verò discrepantia est, quoniam Hebraicè legimus spõsam vocari sociam,græcè proximam,& Latinè amicam: quę tria etsi differunt in verbis,in sensu tamen verborum idem significãt; nam qui alicuius est amicus,illius pariter socius existit,& proximus;nisi dicamus sociũ nũcupari in labore,proximum in requie, & amicum in vtraque fortuna tàm prospera,quàm aduersa.Pręterea ex Origene & D.Hieron.vobis animaduertendũ duco,sponsam in primo Cãtico perangustè pulchrã à sponso vocatam fuisse,nimirũ inter mulieres dũtaxat;at in hoc loco sponsus in maiorem laudis titulum sponsam extollit, eamque absolutè(vt inquiũt)pulchram,immo verò bis pulchrã appellat,& ait: *Ecce tu pulchra es,&c.* quibus in verbis (vt eruditè animaduertũt & Diuus Bernardus,& Hugo Cardin.& Cosmus Damianus) plurima inest emphasis,& vehemẽs pulchritudinis amplificatio: etenim vox illa ecce, quod est aduerbium demõstrandi,rem nouam,illamque magnam designat,hoc est raram quãdam,& admirabilem sponsæ pulchritudinem, quæ antea per multa annorum sæcula turpis extiterat,& deformis;pręterquàm quòd illud pronomẽ *Tu*,repetitum,geminatã habet emphasim,cùm epithasi Hebræis familiari, & tacitam continet antithesim, ac si dicere velit sponsus. O rem nouam & admirandam, ecce tu pulchra es amica mea,tu speciosa,tu pura instar columbæ. Adhuc in sensu literæ illud consideratione dignũ propono, sponsum videlicet optima ratione ductum non sponsam,sed amicam, sociam suam vocasse, quandoquidem multę reperiuntur sponsæ,quæ à sponso minimè amãtur:at hæc summopere amabatur,quippe quę valde pulchra erat,& idcircò sui sponsi amore digna,cùm potissimum amor pulchri sit desideriũ,vt voluit Plato in Phædro,aut boni, quod idem est quod pulchrũ, vt cẽsuit Aristoteles in ijs libris qui sunt de morib.Cumq; amicitia ab amore ducat̃,& dicat̃,necessum est,eos qui amici futuri sunt pulchras

esse.

esse. Postremò adnoto vobis, sponsum bis pulchram sponsam nuncupasse, vt geminam eius pulchritudinem nobis indicaret, corporis nimirum, & animæ; Vtraque enim laudabilis est, & donum Dei, quamuis sola corporis pulchritudo absque animi decore vana sit & negligenda, vt ait Salomon Prouerbiorum cap. 3. Hinc Diogenes Philosophus Cynicus (vt refert Laertius libro de vita, & moribus Philosophorum) cùm vidisset quendam iuuenem decora facie, & moribus inhonestum, ait: *O quàm bona domus & malus hospes;* Verùm cùm vtraque simul iuncta reperitur, vt sit pulcher animus in corpore pulchro; omni certè laude dignissima est, vt aiebat Menander, sub his verbis; *quàm suauis res est pulchritudo, quando habet mentem sapientem;* nam vera animi pulchritudo est sapiẽtia qua sola, vt ait Plato in lib. qui inscribitur Phædrus, seu de pulchro cæteris omnino neglectis Socrates erat contentus. Iam verò ad mysteria accedamus, sponsus Christus ecclesiam sponsam in his verbis compellat, quam bis pulchram vocat, & ob id suam amicam: & primum Rabbinus Salomõ Tarchius putat Deum his verbis placidis Synagogam confirmare; postquàm scelera multa in locis Arabiæ desertis perpetrata est, illique dicere, peperci vt postulabas, en te igitur pulchram aspicio, quia oculi tui columbini, id est quia iusti apud te sunt, vt Moyses, Aaron, & alii qui cohæserunt mihi, veluti columbæ, quæ nunquàm mares suos, ut aliis iungantur, deserunt. At Origenes, & D. Hieronymus ita exponunt, vt sponsa ecclesia speciosa quidem sit in hoc sæculo, uim proxima est ipsi Christo, hoc est cum Christum imitatur, quòd verò iterauit & absolutè dixit. *Ecce es speciosa;* potest ad futurum sæculum pertinere, vbi iàm non solum imitatione Christi, sed ipsa suiipsius perfectione formosa est, & hoc pacto ii volunt interpretes spõsum Christum de gemina sponsæ ecclesię pulchritudine hic uerba facere, quarum vnam in hoc sæculo habet dum laborat, & præliatur; alteram verò possidebit in cęlo, quãdo brauium æternæ beatitudinis accipiet, & quiescet: Verum D. Gregor. existimans, vt res vere se habet, ex dilectione & charitate nos Dei amicos constitui, ideò asserit Christum sponsum ecclesiam amicam nuncupare; & quoniam gemina est dilectio, erga Deum videlicet & proximum, idcirco bis pulchram illam appellat, nam cui dilectionem Dei & proximi donat Christus, geminam illi pulchritudinem largitur, qua ipse summopere delectatur: Adhuc D. Bernardus tropologicè ita exponit: Dei verbum cum anima iusta loquitur cuius gemina est pulchritudo, humilitas nempè & innocentia, quibus geminis virtutibus Christi amica constituitur. Rursus D. Thomas, & Haymon inquiunt: Christum sponsum sponsam ecclesiam bis pulchram dicere, propter operis perfectionem, & cordis munditiam, ac si dicat, ecce tu per-

fecta

fecta es in bonis operibus sanctè & iustè viuendo; ecce tu mundam & simplicem habes cordis intentionem, quia non propter terrena commoda, aut inanem mundi gloriam, at solum Deo placens bona operaris. Hugo verò Cardinalis opinatur Christum ecclesiam bis pulchram appellare, variis de caussis, aut ob amoris magnitudinem detegendam, quo ipsam prosequitur, aut vt eam intus & foris speciosam ostendat, intus nimirum virtute, & foris conuersatione, aut propter dilectionem Dei & proximi, aut propter fidem & operam, aut propter humilitatem & innocentiam, aut propter pulchritudinem intellectus quæ est veritatis cognitio, & pulchritudinem voluntatis, quæ est bonitatis amor, aut propter pulchritudinem vtriusque populi ad Christi fidem conuersi, Iudęorum nimirum & Gentium, aut propter duplicis vitæ decorem, quarum vna actiua est, altera verò contemplatiua, aut propter geminam iustitię partem, quæ sunt declinare à malo, & facere bonum; aut vt significet regimen prælatorum, & subditorum obedientiam, aut vt indicet pœnitentium candorem & munditiam innocentium, aut demum vt in ecclesia præmonstret cordis simplicitatem, & corporis integritatem. Aegidius autem Romanus vnam tantum ex his interpretationibus amplectens ait, sponsus dicit illam bis pulchram, vt ostendat eius pulchritudinem intus & foris. Item Iacobus Valentinus ita explicat, vt Christus ecclesiæ sponsę dicat, ò amica mea tu dicis me propter incarnationem, mortem, & resurrectionem veluti nardum odoriferam, & fasciculum myrrhę, & botrum Cypri tibi esse, & ecce ego dico tibi, me te effecisse bis pulchram, in animo nimirum ob omnium gratiarum decorem, & in corpore ob honestatem & castitatis candorem; Recentiores tandem interpretes, vt Cosmus Damianus, & Alphonsus Augustinianus tres duntaxat explicationes proponentes, inquiunt; Primum ecclesiam & intus & foris esse pulchram, hoc est opere & meditatione; Rursus illam esse bis pulchram ob duplicem amorem, in Deum videlicet & proximum; postremò asserit bis illam esse pulchram ob duplicem eius virtutem, quæ sunt humilitas & sanctitas; Ego autem etsi omnes istas explicationes approbari posse opinor, dicerem tamen horum verborum mysticum sensum huiusmodi esse, vt Christus sponsus sponsam ecclesiam primitiuam, vt aiunt, quæ est Gentium ac Iudæorum Christi fidelium vnio, sic alloquatur, ò amica mea, pro qua nasci volui, ac homo fieri, tot cruciatibus diræque morti subiici, ecce ego à mortuis iam suscitatus, te maximis erratorum sordibus pollutam sanctificaui, teque baptismatis aqua mundans in verbo vitæ, omnem tum originalis, tum actualis culpæ maculam abstuli, vt quæ nigra eras & fusca, pulchra effecta sis & decora, ita legimus in epistola quam scribit

Aposto-

Apoſtolus Epheſ.cap.5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, in verbo uitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam neque rugam*; Bis igitur, vt ego cenſeo, Chriſtus eccleſiam pulchram vocat, quod per mortem & ſuam à mortuis reſurrectionem, ab omni peccati labe, quæ duplex eſt, illam mundauit, ab originali nempè & actuali, vt ait Apoſtolus Romanorum capite octauo: *Mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*; ſicuti namq; erratorum ſordibus turpes efficimur & deformes, ita efficaci tàm mortis quàm reſurrectionis Chriſti uirtute pulchri facti ſumus & ſpecioſi, & qui primum Dei inimici eramus, illius iam conſtituti ſumus amici, ut ait Apoſtolus Paulus Romanorum capite quinto: *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius*. Et hæc ſatis dicta ſint.

LECTIO LXVII.

Oculi tui columbarum.

VOCAVERAT ſponſus amicam ſuam bis pulchram, cuius laudis rationem, vt ego opinor, in his verbis proponit, inquiens: *Oculi tui columbarum*; ac ſi dicat, verè quidem tu es pulchra amica mea, & hoc eſt ſignum, quoniam oculi cui ſunt veluti oculi columbarum, quæ ſunt animalia candida, ſimplicia, innocentia, & coniugalis fidei tenaciſſima; Et me herculè ſimilitudine quammaxime apta vſus eſt ſponſus, ut ſummam ſuæ ſponſæ pulchritudinem patefaciat, quemadmodum enim columbæ pulcherrimos habent oculos, ita præcipua pars mulicbris pulchritudinis in oculis bene natura formatis, acutis nimirum ac venuſtis ſita eſt. Præterquàm quòd columba felle caret, roſtro non lædit, in cauernis petrarum habitat, pullos nutrit alienos, iuxta flumina manet, eligit grana meliora, pro cantu dat gemitum, gregatim uolat, alis ſe ſe defendit, & nouem uicibus viſum recuperat, quæ ſunt decem ipſius columbæ naturales proprietates, hæ profecto omnes ſi myſtice exponantur, ipſi ſponſæ eccleſiæ perbelle congruunt, ut erudite animaduertit Hugo Card. in hoc loco; quod idem fere ante ipſum de columba dixerat Diuus Cyprianus in iis quæ aduerſus Nouatianum ſcripſit; quo loci columbam nobis perbelle deſcribens, ait: *Eſt animal ſimplex, & lætum, non felle amarum, non morſibus ſæuum, non vnguium lacera-*

tione

tione violentum, cuius ingenium est hospitia humana diligere, & vnius domus, seu maris consortium nosse ; Hæc autem sunt, quæ pro sensu literæ adnotatu digna proponere decreui, vt ex his ad mysticam horum verborum intelligentiam facilè conscenderemus, & primum apud Hebræos Rabbinus Salomon Tarchius per oculos columbarum, intelligit in veteri Synagoga illos homines iustos, qui Deo semper adhæserunt, neque idola, aut Deos alienos, venerati sunt, instar columbæ, quæ coniugem suum nunquam relinquit, vt alteri iungatur amatori : At Origenes, & Diuus Hieronymus homilia secunda super Cantica, duas proponunt interpretationes, sicuti geminam sponsæ ecclesiæ pulchritudinem declararunt, tùm in hoc, tum in futuro sæculo, nam si loquamur de ecclesiæ pulchritudine, quam ex Christi imitatione ipsa in hoc sæculo habet, tunc ecclesiam habere oculos columbarum, designat, illam quæ recta sunt, videre, & puris oculis intueri quæ conspicit, ita vt veterem legem, non iam secundum literam, at secundum spiritum intelligat, item Euangelium quoque intelligat, vt intelligi debet, & prædicari, ac si Christus dicat ecclesiæ sponsæ ô amica mea pulchra es in hoc sæculo, ex eo, quò mihi proxima es, meque imitaris, & ob id oculi tui spiritales sunt, spiritaliter uident, & spiritaliter intelligunt ; Nam columba Spiritus sancti est indicium, qui sub huiusmodi specie suprà Christi caput in Iordane descendit : Si verò de Ecclesię pulchritudine loquamur, quàm in futuro sęculo habebit, dubio procul habet ecclesia oculos duarum columbarum, hoc est filium, & spiritum sanctum, qui non incommodè columbæ uocantur, cum uterque sit & dicatur aduocatus à Diuo Ioanne, tùm in eius Euangelio capite 14. vbi loquens de Spiritu sancto, inquit: *Paraclytus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo* ; tum capite secundo suæ primæ epistolæ, vbi de filio sermonem habens, ait : *Aduocatum habemus apud Patrem Dominum nostrum Iesum Christum* ; & quàmuis Diuus Thomas, & doctus Haymon priorem Origenis, & Diui Hieronymi expositionem amplectantur, alteram tamen à posteriori diuersam proponunt, & aiunt per columbam, ecclesiæ sponsæ simplicitatem atque innocentiam designari, quippe quæ columbarum oculos habeat, cùm ab omni simulatione se immunem custodiat, & Deo sincerè seruiat. Diuus autem Gregorius ab his omnibus discrepans, tropologicè magis de anima iusti, quàm allegoricè de ecclesia Christi, hæc verba explicat, & inquit huius sponsæ oculi benè columbarum esse perhibentur, quia dum in rebus temporariis gemit instar columbæ, quæ pro cantu gemit in amore, & ad æterna desideria rapitur, tunc in simplicitate sensus suos custodit, & carnis concupiscentiam detestatur : Allegoricè verò idem

dem Doctor Sanctus hæc eadem verba explanans, ait: ecclesiam oculos columbarum habere, qui sunt verbi Dei concionatores catholici, & doctores sancti, quoniam simplicitatem, quam prædicant, & docent, re ipsa seruant, & hæc terrena contemnentes, ad cœlestia bona, magnis cum gemitibus seu columbæ anhælant, & hanc interpretationem Hugo Cardinalis, & Alphonsus Augustinianus commendant; nam verè concionatores & doctores sancti oculi sunt ecclesiæ, qui super eam uigilantes, dic noctuque illam custodiunt, & ab hæreticis falsisque hominum dogmatibus tuentur; sunt autem oculi columbarum ob illas decem columbæ proprietates naturales, quæ Christi concionatoribus quàmmaximè congruunt, nam hi felle iniquitatis carere debent, rostro detractionis neminem lædere, in cauernis petrarum, hoc est in vulneribus Iesu Christi habitare, alienos pullos, qui sunt infideles ad Christi fidem accedentes sacræ eruditionis cibo nutrire, iuxta flumina diuinæ sapientiæ quàmsæpe residere, vt ibi accipitris vmbram, qui sunt Dæmones, & sibiipsis, & aliis præcauere doceant, adhuc grana meliora, hoc est, si quas laudabiles sententias apud Poetas inuenerint, & Philosophos, ad ecclesiæ vtilitatem illas redigere debent, gemitum pro ipsorummet aliorumque peccatis emittere, gregatim volare, quod est cum hominibus conuersari, vt illos moribus bonis instruant; rursus duabus alis, quæ sapientia sunt, & tolerantia à Christi nominis inimicis se defendere debent, & tandem visum nouem uicibus recuperare, cùm nouem sint tentationum genera, quibus verbi Dei concionatores, & doctores sancti, quasi collyrio quodam peruncti; turbantur quidem ad tempus, sed postea perspicatiores fiunt, magisque perspicuè vident; & hæc sunt, Prima tentatio tenuis est, nam paulatim animum pulsat, & eò periculosior est, quominus sentitur; Secunda est dubia, cùm animum tàm magnæ hæsitationis nubilo inuoluat, vt quod rectum tenere debeat, discernere nesciat; Tertia subita est rationis iudicium perturbans, vt mens ipsa tentationis impetu præuenta, illius insidias præcauere vix possit; Quarta est occulta, quæ adeò nos excæcat, vt res etiam noxias non consideremus, aut illas à proficuis minimè distinguamus; Quinta violenta est, quæ hominum vires ferè transcendit, vt iure aliquando, aut nunquàm humana duntaxat industria percipi possit; Sexta fraudulenta est, & hæc animum dolo seducit vt dicat bonum malum, & malum bonum; Septima est ambigua ac multiplex, quæ vno eodemque tempore variis vitiorum generibus animum nostrum ita impedit, vt nullum perfugium inuenire queat; Octaua summopere timenda est, cùm tàm magno animum timore occupet, vt aliquod bonum opus aggredi minimè audeat; Nona deni-

que & postrema vana est quæ nobis suggerit, vt ob bene gesta insolentes, ac superbi extollamur. Verum licèt Hugo Cardinalis vnà cum Diuo Gregorio hanc recipiat explicationem, quàm audistis, alteram tamen adducit, quàm nec Gregorius Sanctus, nec alius interpres proponit, & hæc est, vt oculi Ecclesiæ intentio sint, & affectus, qui sunt oculi columbarum, cùm tàm intentio, quam affectus, simplices sint in ecclesia Dei, absque vlla erroris prauæque delectationis ruga, vt intentio, quod verum est intelligat, & affectus, quod bonum est, appetat, ex qua oculorum simplicitate, vniuersum ecclesiæ corpus mysticum pulchrum efficitur, ac simplex, vt dicitur in Euangelio Diui Matthæi capite sexto, & Diui Lucæ capite vndecimo: *Si oculus tuus simplex erit, totum corpus tuum lucidum erit*; At Dominus Aegidius Romanus, qui geminam sponsæ pulchritudinem, & intus per intentionem, & foris per opus bonum, explicauit, affirmat etiam vnum ex oculis sponsæ, eius bonam intentionem esse, vt placet Hugoni, at alterum oculum non affectum esse opinatur cum ipso Hugone, sed opus bonum: inquit enim, opus & intentio sponsæ ecclesiæ, sunt duo oculi columbæ, quæ est animal fęcundum, & simplex; tunc enim oculos columbarum habemus, cum opus nostrum fęcundum est, ratione bonitatis eius intentio nostra simplex est ratione optimi finis. Diuus autem Bernardus sermone quadragesimoquinto cùm per geminam sponsæ pulchritudinem duas animæ iustæ virtutes Tropologicè explicarit, humilitatem nimirum, & innocentiam, asseuerat etiam sponsum Christum hoc symbolicè declarare, dum inquit: suam sponsam habere oculos columbarum, quæ sunt animal mansuetum & simplex, ac si dicat, ò mea sponsa, & amica, iàm non ambulas in magnis, neque in mirabilibus super te, sed instar simplicis columbæ, atque humilis, tu nidificas in foraminibus petræ, hoc est in meis vulneribus habitas; Et huic interpretationi assentiri videtur Iacobus de Valentia, inquiens, per oculos columbarum quos habet sponsa, eius honestatem intelligi atque humilitatem; Sunt denique nonnulli ex recentioribus interpretibus, qui columbarum oculos in sponsa pudicitiam esse volunt, & innocentiam in Ecclesia, vt Cosmus Damianus sub his verbis, sponsus vt insignem sponsæ pudicitiam & innocentiam, in quibus perfecta consistit animi pulchritudo, significaret, ipsius oculos columbarum oculos esse dixit, cum in his animalibus singularis innocentia commendetur, & pudicitia, vt legitur in Euangelio apud Diuum Matthæum capite decimo, vbi Christus a suis fidelibus simplicitatem exigit columbarum, dum inquit: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*; præterquàm quòd harum pudicitiam, & honestatem manifestè declarat Plinius

nius libro decimo capite 34. dicens: *Columbis pudicitia est prima, & neutri nota adulteria, coniugij fidem non uiolant, communem domum seruant;* quod primum docuerat Aristoteles libro 19. de Historia animal. cap. 7. inquiens: *Columbæ cum pluribus coire non patiuntur, neque coniugium iam inde à primo ortu initum deserunt, nisi cælebs aut vidua.* Quibus explicationibus hæc vna additur à Gilberto Genebrardo, dum ait: *Per oculos columbarum accipe Ecclesiæ perspicacitatem in ijs, quæ ad cultum Dei, & mores pertinent, sincerè & absque errore dijudicandis;* Ego verò, qui geminam sponsæ pulchritudinem, ecclesiæ munditiam ab omni labe peccati, tam originalis, quàm actualis per Christi mortem, & resurrectionem ademptam significare asserui, oculos etiam columbarum, quos sponsa habere dicitur, Ecclesiæ sanctitatem, & fidelitatem, in intellectu, & voluntate, qui sunt duo animi nostri oculi, mysticè præmonstrari arbitror, vt sanctitas sit in ecclesia, ratione suiipsius, & fidelitas erga Christum spōsum, cū sanctitas in candore, & fidelitas in pudicitia colūbarū designet; ac si Christus dicere uelit, ecce ego ò spōsa mea ecclesia, postquā pro te mortē pertuli, & à mortuis resurrexi, te à duplici erratorum macula mundans, bis pulchram effeci, quæ prima fusca eras, & nigra, ex quo Dei amica iam constituta, hoc habes signum quod oculi tui sunt columbarum, hoc est quod sancta es in bonis operibus, & fidelis in pudicitia, quæ mihi vni adhærens, nullis amplius dæmonum, aut mundi, aut carnis illecebris, oblectamentis, & laqueis inde te separas, sicuti fecit Synagoga, quæ propter assiduas fornicationes, fidem violauit, & me vnicò ipsius sponsò derelicto, alios sibi amatores comparauit, & ob id ipsa turpis est, & impura instar viperæ, tu verò pulchra, & pura instar columbæ: *Ecce tu pulchra es amica, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum;* At in sequenti sermone adhùc manifestius hæc declarabimus.

*

LECTIO LXVIII.

Oculi tui columbarum.



VM sponsus suæ sponsæ honestatem, & fidelitatem symbolicè hic commendare instituerit, nulla profectò aut aptiori similitudine, aut pulchriori vti potuit, ista, quæ ab oculis, & ab oculis columbarum desumitur. Quandoquidem si primum quæ ad oculos pertinent, inspiciamus, illa profectò ad sponsæ honestatem, & fidelitatem in sponsum detegendam, hoc est ad ecclesiæ sanctitatem & fidem in Christum præmonstrandam quàmmaxime aptari cognoscemus; & mehercule si animi indicium manifestius nullum reperitur, ac dilucidius ipsis oculis, in quibus animus residere dicitur, & per ipsos seipsum manifestare, vt ait Plinius libro vndecimo cap. 37. ita vt oculi (teste Aristotele primo libro de histor. animalium, cap. 10. finiant in cerebro in quo viget animus, vt medicis placet, nonnè sponsus suæ sponsæ animum declarare volens, hac ab oculis sumpta metaphora congruenter vtitur? etsi animum sponsæ honestum patefacit, & fidelem, certè ab oculis columbæ quæ candida est, & fidei coniugalis tenacissima, optimè parabolam sumpsit, immò verò sicuti duo sunt in animalis capite oculi, ita duæ sunt animi nostri præcipuæ potestates, intellectus nimirum, & voluntas, vt sanctitas, aut honestas ad voluntatem, fides autem siue fidelitas ad intellectum pertineant; præterquàm quòd vt D. Aug. ait in sua regula: *Si impudicus oculus impudici cordis est nuncius;* pudicus sanè oculus, pudici cordis & animi nuncius erit; quare sponsæ oculi, si columbarum sunt oculi, pudici quidem sunt, & pudici ipsius animi sunt indicium; at illud etiam addam, si post hanc vitam, quæ tàm dulcis est, nihil honestate carius habetur, vt cecinit ille Florentinus Poeta, cùm lingua vernacula, dixit:

Cara la vita e doppo lei mi pare
Vera honestà ch'in bella donna sia.

Nonnè per oculum sponsæ honestas intelligi potest, si nihil carius oculis esse legimus apud Catullum, inquientem: *Ni te plus oculis amarem;* Sed quid Catullum hic commemoro? propono etiam D. August. auctoritatem, qui primo libro de sermone Domini in monte, illa verba, quæ D. Matth. ca. 5. habentur, explanans: *Si oculus tuus scandalizat te; erue eum, & proijce abs te,* inquit, *Quicquid est quod significat oculus, sine dubio tale est quod vehementer diligitur; Solet enim ab ijs, qui dilectionem suam in ali*

quem

quem exprimere volunt, ita dici, diligo eum seu oculos meos; quod etiam astruunt Diuus Hilarius,& Theophilactus ibidem, & Diuus Cyrillus Alexandrinus libro 12.super Diuum Ioannem cap.28. & sicuti nihil est carius honestate,in voluntate,ita nihil pulchrius fide in intellectu; quam hac de caussa, canam omnique frandis macula carentem Maro appellat. O rem pulchram,& oculus rei symbolum perhibetur,quæ omnium pulcherrima habeatur,hinc Pindarus Ode secunda Agrigẽtum omnium Siciliæ ciuitatum pulcherrimum locum,Sicilię oculum nuncupauit:Imò verò ipsemet Sol,quo nihil purius est,nihilque pulchrius,oculus cœli dexterà Poetis nũcupari solet; Vt interim illud omittam oculos esse aqueos, eorumque pupillam albam existere, tenuem,& lenem,atque in numero perspicuorum collocari, vt placet Aristoteli tum libro de Sensu & sensili cap.secundo, tum quinto libro de Generatione animalium cap.primo,& Alex.Aphrodis. secundo libro de Anima cap.38.quod si ita se habet,animi honestatem, & fidem dubio procul per oculos designare possumus,cùm nihil sit purius honestate,nihil candidius fide,& nihil vtraque magis perspicuum: At id equidem silentio non prætéribo.Diuum Petrum cap.secundo suæ posterioris epistolæ,dum adulteros homines repræhenderet, eorumque animos iniquitatis plenos demonstraret, ab oculis metaphoram sumpsisse,cũ inquit:*Oculos habent plenos adulterio*;Quinimò ipsemet Christus apud D.Matth.cap.2.animi nostri inuidiam,quæ perspicit' in oculis,ita repræhendit:*An oculus tuus nequàm est, quia ego bonus sum*;Quapropter iure,& quidem optimo sponsus noster suę sponsæ animi honestatẽ,& fidelitatem nobis significare volens, ab oculis qui sunt animi nuncij,& ab oculis columbarum,quæ candorem honestatis habent & coniugij fidelitatem,metaphoram sumpsit,inquiens:*Oculi tui columbarum*;Neq. me latet in scripturis sanctis non solum, verum etiã in Ethnicorum hieroglyphicis per oculos & columbas,multa alia prętereà, quæ dicta sunt,figuratè exprimi posse; Et quod primũ spectat ad oculos,apud Aegyptios Sacerdotes iustitiam, seu iustitiæ seruatorem per oculos patentes significari comperio.Inde Plato libro nono legũ,iustitiam tùm vindicem,tùm speculatricem appellat,imò verò Chrysippus iustitiæ oculos acres,rectos,atque immotos facit, quòd eũ qui rectè iudicaturus sit;nõ oporteat huc atq; illuc oculos ab honesto deflectere; nonnunquàm oculi ex officio quod præstãt in vniuersum corpus, ipsũmet Deum rebus omnib.prouidentem figurant,seu diuinæ prouidentiæ sunt indicia;hinc legimus in Psalmo 10. *Oculi Domini in pauperem respiciunt*;&alibi sæpe,quod ex illa statua confirmatur, quæ in arã sub diali Troiæ erat,ad quam Priamũ Regẽ,capta ciuitate cõfugisse legi-

mus,nam statua Iouis erat,tribus oculis insignis,vt ex Pausania colligimus,triplicem nobis ipsius Iouis,seu potius veri Dei prouidentiam indicans,qua cœlestia,terrena, & inferna moderatur: Verùm non solum Dei prouidentia; at ipsemet Deus per mundi oculũ symbolicè exprimitur,cuius oculis omnia nuda sunt,& aperta,quippe qui ꝑspicit, & perscrutatur quæ sunt in cœlo,quæ in terris, quæ apud inferos, & in imo hominum corde delitescũt. Adhuc oculi,vt Diuo Hieronymo placet super Diuum Matthæum cap. 5.cogitationẽ indicãt, & sensum hominis,ait enim: *Rectè cogitationem hominis, & sensum in diuersa volitantem Dominus noster oculum nuncupauit, dicens; Si oculus tuus scandalizat te,erue eum,& proijce abs te*;& Diuus Augustinus lib.16.de ciuitate Dei cap.41.illa verba exponẽs,quę Gen.cap.49. leguntur, fulcri oculi eius à vino,asseuerat per oculos designari viros spiritales,qui poculo Christi ebrij sunt;& demũ D. Gregorius lib. 33. Moralium cap. 35.illud Iob ca.41.explicans:*Et oculi eius vt palpebræ diluculi*;dicit per oculos qui inhærentes capiti,ipsius visus vtilitati inseruiunt, non immeritò eius cõsiliarij designantur,qui dum peruersis machinationib. quæ qualiter agenda præuident malignis eius operarijs, quasi ostensũ pedibus iter præbent; Verùm non ineptè ẽt quinimò quàm maximè congruè duas animi nostri potestates intellectũ videlicet, ac voluntatem per oculos sponsæ figuratè intelligi opinor,vt satis superq; ex varijs doctorum testimonijs comprobauimus.Iàm verò accedamus ad sacra mysteria dignoscenda,quę sub columbę similitudine explicantur: & primũ reperio columbã nigram,fuscam,argenteam,& auream; columbam nigrã,legimus apud Aegyptios sacerdotes,qui mulierẽ, quæ marito vita functo vidua perstaret,exprimere volentes,columbam nigram pingebant,columbam quidẽ obseruatam à muliere marito pudicitiæ fidem,nigram verò ꝙ ad secundas nuptias non transisset,sed attrata primi viri desiderium præseferret;nã in luctu vti nigro colore multarum gentium consuetudo est, quàmuis apud Romanos, vt Plutarchus ait in Imperatorum funeribus vestibus albis vterentur,& ob hãc caussam Aegyptij columbã habebant veluti perseuerantis continẽtiæ indicium,in qua(etsi alioqui animal est procacissimæ salacitatis,& lasciuiæ)incõparabile tamen continentiæ exemplũ,summamque pudicitiã depræhendebant,qđ marito fidem inuiolatam seruaret: Columba verò fusca illa fuisse perhibetˀ,quam Genesis ca. 8. ex arca post coruum emisit Noe,vt videret si iàm cessassent aquę super terram,etenim illa venit ad eum portans ramũ oliuæ virentib.folijs in ore suo, & hæc perhibetur indicium esse mentis quę à perperã factis iàm abstineat,& se quieti dedit,quę non nisi in animo à vitijs depurgato sedẽ habet, vt placet

placet Pierio Bellunensi in Hieroglyphicis Aegyptiorum, tractatu de columba. Vel dicemus hãc fuſcam columbam Chriſtum deſignare, ex arca cœli empyrei ab æterno Patre dimiſſum, vt pacem, quæ per ramũ viridis oliuæ exprimitur, mundo afferret. Aut ẽt myſticè nobis indicat Spiritum ſanctum, qui in doctrina ſpiritali pacẽ attulit, & fert eccleſię Dei, ita cenſet Tertullianus in libro de baptiſmo, Origenes, & D. Hieronymus homilia ſecunda & tertia ſuper Cãtica, Baſilius Magnus ſup Pſalmum 28. D. Hilarius ſuper Pſalmũ 54. Beda Venerab. ſuper Gen. cap. 8. & Rupertus Abbas ſuper Cantica cap. 4. Columbã adhuc argenteam illam fuiſſe tradiderunt antiqui Theologi, quæ ſuprà caput aſtitit redemptori noſtro Ieſu Chriſto, dùm in Iordane à Ioanne Baptiſta baptizaret, & figuratẽ Spiritũ ſanctũ deſignat, vt manifeſtè tradit D. Matth. cap. 3. inquiens: *Et vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, et venientem ſuper ſe*; Quod etiam aſſeuerãt omnes ferè illi patres, quos nũc recenſuimus: Aut etiã argentea hęc columba amoris, & charitatis ęſt indicium, vt ait D. Cyprianus in ijs quę aduerſus Nouatianũ hæreticum ſcripſit. Columba demũ aurea, vel partim argentea, & partim aurea, argentea inquã in alis, & aurea in dorſo, habetur in Pſalmo 67. vbi Dauid ſic ait: *Pennæ columbæ deargentatæ et poſteriora dorſi eius in pallore auri*; & varia ſymbolicè nobis exprimit, vt varij interpretes in eorum commentar. ſuper Pſalmos aſſeuerant, nam Arnobius ait colũbam hanc ſacram eſſe ſcripturam, quę pennas habet deargẽtatas, quæ ſunt eloquia ſacra, extrinſecus lucida, in litteræ ſenſu, & pallorem auri in dorſo, quæ ſunt myſteria ſacra intrinſecus pura in ſenſu ſpiritali; Euthi. aũt Monachus Zigabonus, ibidẽ putat colũbam hanc eſſe Chriſtum, ob eius nimirum manſuetudinem, & patientiam, ita vt per huius columbæ pennas deargẽtatas intelligat Chriſti corpus, veluti exteriorem partem, & poſteriora dorſi aurea, quæ nos poſſumus dicere ſcapulas, animam Chriſti intelligat, tanquã partem internam, & magis tectam, ac ſi dicat, ſplẽdidũ eſt, atque elegans Chriſti corpus, & argenti inſtar refulget, verùm ipſius anima nõ minori luce, ac fulgore ſplendeſcit, cum puriſſimo auro comparetur, ab ipſa namque diuinitate, cui vnita eſt, huiuſmodi lucis radios ſumit. Et tandem alij ſunt interpretes, qui per huiuſmodi columbã, ſpiritum ſanctũ exprimunt, in colũbę ſpecie ſuprà Chriſti caput deſcendentẽ, cũ à D. Ioanne baptizaret, cuius alæ deargẽtatæ ſunt exteriores, & ſimpliciores Spiritus ſancti ſenſus, at ſcapulæ aureæ, ſunt interiores & magis ſpiritales cõtẽplationes, hæ namq; veluti aurũ puriſſimum refulgent, illi verò ſplẽdidi ſunt velut argentũ. Columba igitur noſtra, cuius oculi, ſunt oculi ſpõſæ Chriſti eccleſię, neq; nigra, neque fuſca, neque argentea, neque aurea fuiſ-

ſe perhibentur,ſed vt inquiunt abſolutè dicitur, *Oculi tui columbarum;* Ego verò ſi quid ſentiam in hac re dicere mihi liceat, putarem hanc candidam,ſeu niuem fuiſſe,cùm ſub candoris ſimilitudine, & honeſtas,& fides perbellè demonſtrentnr, quemadmodum per nigrorem, & turpitudo,& infidelitas optimè deſignantur, vt dictum eſt in præcedenti Cantico,ſub illis verbis:*Nigra ſum ſed formoſa;*& certè ſi columba canticorum cap.2.5.& 6.figuratè deſignat eccleſiam, vt in eorum commen.ibidem aſtruunt Origenes, D. Hieronym.D.Greg.D.Bern. Rupertus Abbas,Hugo Card.Aegid.Romanus,D.Thomas,& doctus Haymon,imò verò D.Ambroſius libro de Iſaac cap 4.& D. Auguſtinus tractatu in D.Ioannem,& D. Hilarius ſuper Pſalmum 67. nonnè & columbæ oculi,eccleſiæ erunt honeſtas, & fides? fides inquàm in Chriſto,& honeſtas in ſeipſa?inde antiquus Origenes homilia 15. ſuper Diuũ Matthæum,aiebat.*Ii vendunt columbas in templo,qui tradunt eccleſiam auaris epiſcopis, et irreligioſis presbyteris;*quàmquàm me non fugit huiuſmodi columbarum nomine,quæ venduntur in templo, eccleſias non ſolùm particulares,at diuinam quoque gratiam, ac Spiritus ſancti dona myſticè ſignificari, vt placet Diuo Hieronymo ſuis in commentarijs ſuper Diuum Matthæum cap.21.inquienti: *Qui vendunt columbas, ſunt qui vendu*n*t Dei gratiam & Spiritus ſancti dona; & omnia faciunt, vt populos ſibi ſubiectos deuorent*; Præterquàm quòd ſi columba ſimplex eſt animal, & purum, nonnè honeſtatis eſt ſymbolum? ſi vnius viri conſortium noſcit, & nunquàm alteri marito iungitur, nonne fidelitatis eſt indicium? ſi humana diligit hoſpitia, nonnè honeſtatem deſignat? ſi felle caret amaro, nonnè fidelitatem præmonſtrat? ſi demum mortuis rebus non paſcitur, at melioribus ſeminibus nutritur, nonnè honeſtatem exprimit? etſi oris oſculo mariti concordiam agnoſcit, nonnè indicat fidelitatem, & pacem? quare optima eſt ſimilitudo iſta, quam Chriſtus ſponſus, vt ſuæ ſponſæ eccleſiæ honeſtatem, ac fidem ſymbolicè nobis ſignificaret ab oculis ſumpſit, & ab oculis columbarum, inquiens: *Ecce tu pulchra es amica mea,ecce tu pulchra es,oculi tui columbarum.*



LECTIO LXIX.

Ecce tu pulcher es, & decorus, dilecte mi.

MOS est adoleſcentularum, cùm ab amaſijs, aut ſponſis ſuam pulchritudinem ac venuſtatem cõmendari audiunt, nè ingrati animi labe pollutæ cenſeantur, veluti quodam ſuffuſæ robore, eaſdem quas in ipſas contulerunt, magnificas laudes, in ſponſos, & amaſios referre. Quod quidem ſpõſa noſtra ſuo cum ſponſo in his verbis exequitur, quippe quæ magna nominis ſui cùm gloria, cùm bis pulchram à ſponſo ſe nuncupari audierit, protinus eandẽ in ſponſum commendationẽ referens, & pulchrum & decorum illum appellat, inquiens: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* Seu potius dicamus, amantium eſſe conſuetudinem, alterna collaudatione lætari, vt placet Hugoni Cardinali, atque mutuo alterum alterius pulchritudine gloriari, cùm ſit communis amantium gloria, commune gaudium, omniaque communia: Inde eſt, vt ſponſa noſtra tã pulchra laudatione, quàm in ipſam contulit ſponſus, audita, lætãti animo eaſdem illi pulchritudinis laudes viciſſim, reddat, & dicat; *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus:* ac ſi dicere velit, ò mi ſponſe dilecte, qui bis pulchrã me vocas, tu verè, nõ ego, pulcher es, & decorus, ego verò ſi pulchra ſum, hæc tui gratia eſt, cũ oculis tuis, nõ reipſa, ſim pulchra: hæc autem dicta ſint de exteriori horum verborum cortice, in quibus 1 ſanè verbis hæc duo annotatu digna habentur, & primum quod nos egimus *dilecte mi*, Originés, & Diuus Hierony. legunt, *fratruelis meus*, & quod nos dicimus, *Ecce tu pulcher es, & decorus*, ipſi dicunt, *Ecce tu bonus es, & ſpecioſus*, quàmuis Rabbi Salomon Iarchius dicat: *Ecce tu pulcher es, atque ſuauis.* Quod igitur ad primum pertinet, iàm declarauimus, dum illa verba interpretaremur: *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Originem, ac Diuum Hieronymum myſticum ſenſum potius reſpexiſſe, quàm literalem, nàm cùm primitiua Gẽtium, ac Iudęorum Chriſti fidelium vnio, quæ eſt Eccleſia, Synagogæ ſit ſoror, dubio procul Chriſtus, qui ſecundum carnem filius eſt Synagogæ, fratruelis eſt ipſius Eccleſiæ; quòd verò ſpectat ad alterum caput, facilis eſt illius ſolutio, quandoquidem, etſi variæ ſunt dictiones iſtæ, pulcher, bonus, decorus, ſpecioſus, & ſuauis, in ſenſu tamen verborum, & re ipſa ſunt idem, cum præſertim bonum, & pulchrum mutuò ſe conſequãtur, prę terquã quòd illud amantibus, & ſponſus dicitur carum, ſuaue, ac iucũdum

dum,quod decorum eſt,ac ſpecioſum;Sed accedamus ad verborũ myſteria,quæ ſi allegoricè explicentur,vnanimi oẽs ferè interpretes conſenſu exiſtimant,Eccleſiam ſponſam,quã primitiuam vocant, Chriſtũ ſponſum hic compellare,omnemq; ſuæ pulchritudinis rationem in ipſum referre,cuius gratia,& donis,quæ ſunt eius mortis,& reſurrectionis merita infinita,ipſa quæ fuſca erat, & nigra ſicut tabernacula Cedar,pulcra effecta ſit,ac ſpecioſa,hoc eſt ſancta,& immaculata, ab omniq; tã actualis,quam originalis peccati labe expurgata; ac ſi dicat, ò Chriſte dilecte ſpõſe,tu me pulchrã bis vocas,at oĩs pulchritudo mea, non eſt ex me,ſed ex te,hoc eſt ex perenni, atque irriguo pulchritudinis,ac iuſtitiæ tuę fonte deducta,tu quidẽ ex teipſo pulcher es, ac decorus,ego verò ex te,tu per naturã,ego verò per gratiam,vel ſi tu quoque vt homo ex Dei gratia pulcher es,ego certè & ex Dei,& tui gratia qui Deus es,& homo,pulchra ſum,aut tandem ex gratia capitis, quæ in te ſolo eſt,tu pulcher es,& decorus,ego verò ex gratia,quã tu caput in membra effundis,pulchra ſum & ſpecioſa;Attamẽ ſolus Origenes, quem Diuus Hieronymus,& Diuus Bernardus ſequuntur,ab hac communi interpretum explicatione diſcrepat,& ait:ſponſa alloquens ſponſum,nunc primùm videtur ſui ſponſi pulchritudinem attentius inſpexiſſe,& illis oculis,qui columbarũ oculi dicti ſunt à ſpõſo,ipſius decus & ſpeciem conſideraſſe,quod myſticè deinde exponens ait, re vera nõ poteſt quis proſpicere,nec cognoſcere, quanta ſit in verbo Dei, quod eſt Chriſtus,magnificentia,niſi prius ſpiritalem diuinorum verborum intelligentiam habeat,qui ſunt quaſi oculi columbarum; nã qui ſolũ ſponſo Chriſto homini credunt,& adhuc in verbo Dei perſpicere nequiuerunt,quãta ſit eius pulchritudo, inquiunt; *Vidimus eum,nec habebat ſpeciem,neque decorem*;Qui verò ſponſum Chriſtum Deum quoque venerantur, & colunt,ij dicunt cùm ſponſa; *Ecce tu pulcher es,dilecte mi,et decorus*.At Diuus Gregorius, Hugo Cardinalis, Aegidius Romanus,Diuus Thomas,doctus Haymon,Iacobus Valentinus,Coſmus Damianus,Alphonſus Auguſtinianus, & Gilbertus Genebrardus in eorum omnes Commentarijs ſuper Cantica Canticorum, priorẽ, quam attulimus interpretationem,amplectuntur,quam ego quoq; approbandam cenſeo,quippe quæ cum dictis tam hiſtoricè, quã myſticè mirificè quadrat,ſolus Aegidius Romanus à reliquis omnib. in re vna differens ait,ſponſam Eccleſiã,pulchrum,& decorum ſponſum Chriſtum,ſeu bis pulchrum nuncupaſſe,vt innuat illã geminã pulchritudinem,quam ſponſus ſponſæ attribuerat,pręſtantiori modo in ipſo Chriſto præſeruari,quę eſt interior pulchritudo, atque exterior, ſeu innocentia in intentione,& opere;ac ſi diceret, ò mi dilecte ſponſe illa duplex

plex pulchritudo, quàm in me esse dixisti, perfectior in te est, atque pręstantior; nam tu verè pulcher es in intentione, & decorus in opere; At cæteri omnes explicatores opinantur ab ecclesia spōsa pulchrū, & decorum Christum nuncupari, vt, & diuinitatis ipsius, & humanitatis pulchritudo designatur; ita vt Christus pulcher sit in diuinitate, & decorus in humanitate, aut etiam vt addit Hugo Card. pulcher est Christus in solio patris, & decorus in gremio matris, aut pulcher est dum omnia creat, & decorus dum perdita recreat, aut demum pulcher est, dum beatis spiritibus gloriam largitur in cęlo, & decorus est dum pœnitentibus erratorum dat veniam, & gratiā in terris. Ego verò opinor, ecclesiam sponsam geminam pulchritudinem, qua nitet, à spōso Christo se accepisse cognoscenté, à quo duplici erratorum macula, originali nimirum, & actuali, per ipsius mortem & resurrectionem mundata sit, in his verbis indicare velle ipsummet Christū omnino pulchrū, & decorum, extitisse super oēs angelos, & homines nullaq; peccati labe cōmaculatum fuisse, neq; originali, & ob id pulchrum, neq; actuali, & ob id decorū illum appellat, inquiens: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus;* Et certe Christus sponsus post mortem suā, & gloriosam à mortuis resurrectionem, pulcher omnibus apparet, ac decorus, cui primò, neque species erat neque decor; Sed cùm iniquis deputatus, est & medius inter latrones cruci affixus; pulcher igitur est Christus, & decorus, qui nullo prorsus peccato subiectus, omni gratię plenitudine gaudet, & omni diuinæ gloriæ splendore refulget: Et quis vnquàm meherculè negare audeat Christum Dominum nostrum summè pulchrum esse, ac infinitè decorum? ipse certè tùm vt Deus, tùm vt homo, omnis pulchritudinis ac decoris fons est, & origo; vt in sequenti lectione satis manifestè declarabimus.

LECTIO

LECTIO LXX.

Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.



VLLI dubium est, imò verò ita manifestum cuilibet, etiam naturæ lumine illustrato, Deum Optimum Maximum infinitè pulchrum esse, atque decorum, vt lucere Solem, & Lunam splendescere non ita notum sit, & manifestum, & rectè Deus vt D. Dionysius in libro de diuinis nominibus cap. 4. docet, super omnia bonus est, & ipsamet substantialis bonitas, suam rebus omnibus quę sunt, pro captu earum, communicans bonitatem, Solis instar sensilis, qui non cogitatione, aut propria electione, sed eò ipso quòd est, res oẽs illuminat, quæ pro modo suo lucis participes esse possunt, si cuncta igitur, quæ oculis cernimus, aut mente concipimus, ex summa Dei bonitate quẽ pro modulis suis participant, bona sunt, nonnè bonus, & ex se bonus, & infinitè bonus est Deus? præterea bonum & pulchrum tùm à Theologis, tùm à Philosophis se mutuò consequi dicuntur, & idcircò si Deus bonus est, substantialisque bonitas, illum quoque pulchrum, substantialemque pulchritudinem esse necessum est; Inde aiebat ibidem Diuus Dionysius super substantiale illud pulchrum, pulchritudo quidem dicitur, propter illam, quam tradit rebus omnibus subsistentibus pulchritudinem, pulchrum verò est, & per omnia pulchrum, & semper eodemq; modo pulchrum, quod neque oritur, neque occidit, neque augetur, neque diminuitur, etenim si ex pulchro omnibus, quæ pulchra sunt, pulchritudo prouenit, & propter ipsum intelligunt Angeli, ratiocinantur homines, sentiunt bruta, mouentur cœli, & elementa, viuunt plantę, & sunt lapides, ac cætera entia; nonnè maximè imò verò infinitè pulchrum ipsum esse oportet? prætetquàm quòd Deus est amor, & amor nonnisi bonitatis & pulchritudinis desiderium est, vt volunt Platonici non solum Philosophi, ac Peripatetici, verùm etiam sacri Theologi, certè Deus summe bonus est, & summe pulcher, neque enim Deus, qui bonorum nostrorum non indiget, bona, & pulchra, quæ sunt extra seipsum, desiderat, aut desideratis fruitur, at seipso summe bono, & pulchro perpetuo desiderio, sempiternaque voluptate fruitur; omnium verò creatarum rerum bonitate, & pulchritudine, quæ in mente diuina splendidè relucent, in seipso fruitur; Et quàmuis, vt Sanctus Maximus ait in suis adnotationibus super libro D. Dionysij de diuinis nominib.

hæc

hæc nomina boni, aut pulchri ipsi Deo non propriè accommodentur, quippe quæ in creaturis etiam reperiantur, veruntamen nomina sunt venerationis, quibus Deum omnis bonitatis, & pulchritudinis fontem veneramur, qui propriè est supra quàm bonus, & supra quàm pulcher. Atque inde est, vt in scripturis sanctis legamus, non modò Deum esse bonum, ac pulchrum, sed vniuersa quæ Dei sunt, bona esse & pulchra, nam si ratio boni, & pulchri, tàm à Philosophis, quàm à Theologis hæc perhibetur, vt seipsum aliis communicet, sanè qui bonus est, ac pulcher infinitè, non nisi pulchra & bona producit, aut producere potest, quibus seipsum communicat. Bifariam verò Deum optimum maximum se ipsum communicasse fides catholica tenet, ab ipsa nimirum æternitate intrà seipsum, & in temporis exordio extrà seipsum; primùm itaque in primo signo sempiternæ originis, Deus pater à seipso subsistens, à nulloque factus, nec creatus, nec genitus, seipsum, & alia omnia vnico, ac sempiterno ipsius intellectus diuini actu, intelligens, filium Deum sibi coæternum consubstantialem, & coæqualem generat, & adhuc in secundo æternæ originis signo tam Deus pater, quàm Deus filius, veluti vnum producendi principium, suauissimo indiuiduę voluntatis actu, mutuoque amantis, & amati substantiali amore seipsos amantes, Spiritumsanctum producunt, vtriusque nexum, & amorem (vt inquiunt) notionalem. Postea verò in temporis exordio extra seipsum (cum sibi placuit) se Deus communicauit, quando per verbum suum, quod vt sapientia Dei, omnia quæcũque voluit fecit, in cœlo, & in terra, modò res omnes à Deo manantes, tùm intrà productæ, tùm extrà creatæ, bonæ sunt, & pulchræ, at illæ (vt aiunt Theologi) huiusmodi sunt per essentiam, hæ verò per participationem; hinc legimus de Deo patre, filio, & spirituisancto apud Diuum Marcum cap. 10. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* & de creaturis Genesis cap. 1. habemus: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* & ex consequenti valde pulchra, cum bona quæ uidentur, sint etiã pulchra; Verum vniuersa, quæ Dei sunt, optima ratione pulchra esse dicuntur. Pulchra namq; est facies Dei, pulchræ sunt vestes Dei, pulchra domus Dei, & pulchra Dei laudatio; rem manifestius explico, pulchra est ac speciosa facies Dei, quæ figuratè est ipsius diuinitas specierum, & Idearum sedes, vt ait Diuus Augustinus super Psalmum 49. pulchræ adhuc sunt Dei vestes, vt ait Iob c. 4. & sunt fulgentissimi Angelorum chori, quibus quasi indumentis splendidissimis in cœlesti gloria Deus exornetur, vt placet Diuo Gregorio lib. 32. Moralium cap. 5. Rursus est pulchra domus Dei, vt cecinit Dauid in Psalmo 67. & est ecclesia, quam militantem vocant, vt astruit Diuus Hilarius ibidem; & demum pulchra est, atque decora Dei laudatio, ut legimus in Psalmo 146. quæ sanè est laudatio ex

bonis

bonis operibus habita, vt eodem in loco affirmat glossę ordinariæ Auctor. Quare sponsus dilectus Christus pulcher est vt Deus, ac decorus quoque est, vt homo, pulcher inquam, vt Deus, quoniam *candor est lucis æternæ speculum sine macula, & imago bonitatis illius*, vt ait Salomon Sapientiæ cap. 7. decorus autem est vt homo, quoniam *speciosus est forma præ filijs hominum*, vt inquit Dauid in Psalmo 44. Rursus pulcher est vt Deus, quoniam *splendor est gloriæ, & figura substantiæ Dei*, vt scribit Apostolus ad Hebræos cap. 1. & decorus est vt homo, quoniam ipsemet inquit in Psalmo 29. *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*, & quis profectò, aut intus, aut foris hoc est animo, & corpore pulchrior extitit Christo, & speciosior? quippe qui Spiritus sancti virtute operante, ex virgine matre omnium puellarum in vniuersa Palæstina pulcherrima natus est, quam sancti Patres in veteri lege, mysticè non solum ob animi pulchritudinem, at historicè etiam ob corporis decorem super omnes fœminas extulerunt, quæ venustę facie & decorę aspectu fuisse prohibentur, vt Rebecca, Rachel, Iudith, & Hester, & idcirco si genitoris pulchritudo filiorũ decorem, & præstantia plantæ fructuum arguit excellentiam, certè Christus quammaximè decorus esse debuit, & speciosus; Præterquam quòd si ex animi pulchritudine, corporis etiam pulchritudo, plerumque apparet (vt dixerit Plato; *Pulcher animus est in corpore pulchro*) nonnè Christus longè omnium hominum pulcherrimus extitisse concluditur, ex pulcherrima ipsius anima, quæ à primo suæ creationis momento, quo corpori, & vnà cùm corpore naturæ diuinæ hypostatica vnione semel coniuncta fuit, omnem gratiarum pulchritudinem habuit? quinimò ipsa Christi anima perfectè beata, verbo diuino fruebatur, eiusque gloria sempiterna, omnem tam Angelorum, quam hominum beatorum fœlicitatem plurimum superauit, cum ipsius gloria ab interno sit principio, nempè ab eius diuinitate, & aliorum fœlicitas ab exteriori manat principio, vt volunt Catholici Patres, & potissimum D. Athanasius in libro de salutari Christi aduentu. Diuus Cyrillus lib. 11. cap. 17. Diuus Ioannes Chrysostomus homil. 79. Diuus Hilarius lib. 3. de Trinitate, Diuus Ambrosius lib. 4. de Fide, cap. 6. & Diuus Augustinus tractatu 105. in Diuum Ioannem. Demum si figura rei figuratæ congruere debet, vt quod effingitur instar archetypi, aut exemplaris formetur, dubio procul pulcherrimus est Christus, quem & decorus Iacob, & speciosus Ioseph, figurauerunt, quemadmodum Gen. cap. 39. & 46. habemus, quo loci horum præcipuè Patriarcharum speciem, & decorem mirum in modum commendatum fuisse legimus. Verum ad animi Christi pulchritudinem ostendendam iam accedamus, quandoquidem corporis decor, absque animi pulchritudine inanis

nis eſt, teſte non ſolum Salomone Prouerbiorum cap. 31. inquiente: *Vana eſt pulchritudo, mulier timens Deum ipſa laudabitur*; verum etiam Origene hom. 13. in Ezechielem, vbi dicit: *Decorem noli extrà te quęrere, ſed circa animi religionem, vbi vera eſt pulchritudo*; Et ſanè ſi animi pulchritudo à peccati vacuitate, à gratiæ plenitudine, & à gloriæ ſplendore deſumitur, cui dubium, vnum Chriſtum, cæterarum omnium creaturarum excellere pulchritudinem, qui nec peccauit, nec peccare potuit, qui omnem gratiæ plenitudinem habuit, qui denique cœleſtis gloriæ beatitudine ſemper donatus fuit? Et primum cum peccare non naturæ ſit, ſed perſonæ, quæ in Chriſto diuina eſt, vt ipſe homo verus etiam ſit Deus, certè Chriſtus nulla peccare potuit ratione, alioqui malus, & peccans diceretur Deus, quo nihil eſt abſurdius: ita ratiocinantur D. Athanaſius libro de Incarnatione Chriſti, Diuus Cyrillus lib. 10. in D. Ioannem cap. 40. D. Ioannes Damaſcenus libro 3. de Fide cap. 21. & D. Anſelmus libr. 2. cur Deus homo, cap. 10. Prætereà ſi duæ ſimul contrariæ qualitates in eodem ſuppoſito reperiri nequeunt, & Chriſti anima à primo ſuæ creationis momento, omni gratia, imò verò omnis gratiæ plenitudine prædita fuit, vt inquit D. Ioannes in Euangelio ca. 1. *Vidimus eum plenum gratię & veritatis*; Gratia verò ipſi peccato ceu nigro album opponitur, nullatenus igitur peccatum habuit, aut habere potuit; Et tandem animæ beatorum cùm ſint in termino, amplius peccare non poſſunt; at Chriſti anima ſemper extitit beata, Deoq; fruebatur, vt ait D. Auguſt. lib. 4. de Conſenſu Euangeliſtarum capite 6. non ergo aliqua ſcelerum ſorde commaculari potuit, pulcher igitur eſt Chriſtus maximèque decorus, cùm quòd omnis peccati eſt expers, tùm quòd omnis gratiæ plenus eſt, tùm etiam quòd æterna ſemper fruitur fœlicitate: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus*; Et quis profectò omni ex parte pulchrum Chriſtum extitiſſe neget? Si nulla res eſt, quæ aliquam pulchritudinis rationem habeat, quam de Chriſto enunciari non legamus? pulchra medius fidius lux eſt; qua fruitur, pulcher eſt Sol, quo vniuerſa illuminantur, cœleſtia, & terreſtria, pulchra eſt Dei gratia, qua teterrima dimittuntur errata, pulchra demum eſt gloria, qua vitam æternam in cœlo conſequimur. O rem mirabilem, & admirabilem. Chriſtus vera mundi lux eſt, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & quam qui ſequitur non ambulat in tenebris Idololatriæ, ac peccatorum, ſed clariſſimum fidei lumen habet. Adhùc Chriſtus Sol eſt, iuſtitiæ, & miſericordiæ fulgentiſſimus, qui oritur timentibus nomen Domini, & ſuperbis illud blaſphemantibus occidit, imò verò ſuæ charitatis radiis vniuerſas creaturas illuſtrat, & oritur ſuper bonos, & malos. Chriſtus quoque gratia Dei eſt, ſeu

potius


potius diuinæ gratiæ auctor, cum per humanitatem suam, quam morti subiicere dignatus est, nos redemerit & peccatorum veniã, & vitã sempiternam nobis meruerit; Quàmuis autem vniuersa diuinarum personarũ Trinitas, gratiam ipsam & peccatorum veniam, & vitam sempiternã hominibus largiatur, atq; hoc pacto Christus filius, vt Deus, vnà cũ patre & Spiritusancto gratiam faciat, attamen Christus Deus & homo solus illam meruit nobis, illiusq; meritoriè auctor fuit, vt optimè demonstrant D. Athan. orat. 2. contra arrianos, & D. August. lib. 22. contra Faustum c. 6. quod acceperunt à D. Ioan. c. 1. inquiente: *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, de cuius gratiæ plenitudine nos omnes accipimus*; ipse. n. Christus, pro omnibus hominibus & ante, & post factã redemptionem existentibus, oẽm gratiam, ob sua merita, vel futura, vel iã habita à Deo obtinuit; Et tandẽ Christus est gloria nostra, vitaq; æterna, non solũ vt Deus, verũ etiã vt homo, diuino verbo vnitus; nã quemadmodum homo, qui æterna gloria a Deo Opt. Max. in cœlo donetur, ex animo constat & corpore, ex spiritu inquã, & carne; ita geminũ suæ fœlicitatis obiectũ, ipsum hominẽ habere necessum est, vnũ quo spiritus, & animus, alterum verò, quo corpus & caro beata fiãt; Christus itaq; vt Deus vnà cum Patre, & Spiritu sancto animi nostri gloria est, at Christus vt homo diuino verbo vnitus, nostri corporis fœlicitas est, ac vita æterna, vt astruit D. Ioannes in Euangelio cap. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*; O summam, & admirandam Christi pulchritudinem. O illustrem, & admirabilem Christi decorem: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus*; Pulcher inquàm diuinitate, & decorus humanitate, pulcher vt Deus, tàm in diuinarum personarum productione, quàm in vniuersa rerum omnium creatione, & decorus vt homo, tùm corpore, tùm animo, ob peccatorum vacuitatem, gratiæ plenitudinem, gloriæque splendorem: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.*



LE-

LECTIO LXXI.

Ecce tu pulchra es amica mea.



POstquàm egimus de ſponſi Chriſti pulchritudine ac decore, à quo veluti à perenni rerum Omnium pulchritudinis, ac bonitatis fonte,cuncta bona ſunt,& pulchra,ipſius ſponſæ eccleſię ſpeciem,ac venuſtatem nunc admirari libet, quàm ſponſus,tàm ample commendat,vt illam bis pulchram appellet; Atq; vt hinc exordium ſumam: Eccleſiæ pulchritudo ſub puellarum ſimilitudine, & potisſimum Rebeccę, & Rachelis quæ, ſpecioſæ in ueteri lege, atq; venuſtæ fuerunt, figuratè nobis exprimitur. Etenim de Rebecca Gen. cap. 24. dicitur. *Fuit puella decora nimis,virgoq; pulcherrima*, de Rachele autem ibidem cap. 29. legitur, *Erat venuſta facie,& decoro aſpectu;* Et mehercule ſi ſponſæ decor & pulchritudo ex omnium ipſius corporis membrorum gratia, ac venuſtate deſumitur, vt facies ſit decora,caput rotundum,frons ampla,oculi lucentes,nares aquilinæ, genę purpureæ,aures patentes,os paruum,labia roſea,vbera grauida,pedes firmi,& greſſus grauis,nonnè eccleſia Chriſti ſponſa iure, & quidem optimo pulchra eſt,imò verò pulcherrima de qua legimus in Canticis cap.4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te?* Eius etenim facies, quæ ſunt fidelium mentes, decora eſt, ob uaria ipſarum virtutum ornamenta,eius caput eſt rotundum,ob perpetuam Chriſti fidei promulgationem,frons eſt ampla,ob maximam eccleſiæ latitudinem,oculi ſunt lucentes,ob ſummam eius prouidentiam,nares ſunt aquilinæ; ob bonorum operum famam, genæ ſunt purpureæ,ob caſtitatis, & caſtorum animorum decorem, aures ſunt patentes, ob Sanctorum patrum conciones percipiendas,os eſt paruum,& labia roſea, ob pias orationes, quæ non multæ eſſe debent,at charitate nitentes. Vbera ſunt grauida,ob ſacrarum doctrinarum vbertatem, pedes ſunt firmi,ob maiorum exempla, & greſſus eſt grauis ob operum honeſtatem: O' verè venuſtam,& inter mulieres omnes pulcherrimam Chriſti ſponſam eccleſiam. *Eccè tu pulchra es amica mea, eccè tu pulchra es*. Celebrent igitur Græci Helenæ venuſtatem, Ariadnæ formam elegantem, & Veneris decorem; iactent Romani Lucretiæ pudicitiam.Sophroniæ caſtitatem,& Medulenæ virginitatem;exaltent Hebræi Iudith pudorem,Heſter formoſitatem,Rachelis faciem venuſtam,& Rebeccæ nitorem; Longè omnium pulcherrima eſt Chriſti ſponſa,longeq; omnes venuſtate, pudicitia, atq; nitore ſuperat, quippe quæ pulchra eſt foris & intus, pulchra corpore & animo, pulchra demum ob

gratiæ, gloriæq; decorem, & sanctitatem; *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es:* ac si dicat Christus sponsus, tu sola ô sponsa Ecclesia, ad miraculum pulchra es, castitatis nimirum, & coniugalis fidei tenacissima, innocens, simplex, sceleris pura, & integra uita; Quod Apost. Paulus Ephes. cap. 5. manifestius expressit, vbi de Christo, & Ecclesia loquens aiebat; *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, neq; rugam*; Et mehercule foris, & intus pulchra, & sancta est Ecclesia Dei, foris honestate, & intus castitate, foris actione, & intus meditatione, foris ob amorem proximi, & intus ob amorem Dei, foris ob humilitatem, & intus ob innocentiam, foris bonorum operum ornamentis, & intus veræ fidei candore, foris virtutum splendore, & intus diuinæ gratiæ luce, foris deniq; formosa, & intus sancta *Ecce tu pulchra es, Ecce tu pulchra es*. Præter quam quòd si Ecclesia sponsa decoris accipit, & sanctitatis splendorem, à Christo spōso, qui totus pulcher est, & solus sanctus, imò verò totius sanctitatis fons, & pulchritudinis, nonnè ipsa quoq; verè pulchra est & sancta? Nullam vnquam habuit scelerum maculam, nec habere potuit sponsus Christus, qui *Splendor est gloriæ, et figura substantiæ Dei*, nullam igitur habuit, aut vnquam habebit rugam, delictorumvè sordes ipsius sponsa Ecclesia: Hoc autem de Ecclesia non solum cælesti, ac triumphante, in qua vt ait Diuus Ioannes Apoc. cap. 21. *Non intrabit aliquid coinquinatum*, at etiam de terrena ac militante verum esse credendum est; quæ tota pulchra est, & sancta, quòd in omnibus suis partibus, licet non in singulis, omni vitio caret, & macula leuiorum etiam erratorum; non quoniam aliquando non peccet, & erret in suis membris, sed quoniam siquid eiusmodi labis interdum contrahat, pænitentia statim, & fide perfecta eluat, atq; abstergat, ita asserunt sancti patres in eorum commentariis super Cant. cap. 2. & 4. & super epistolam ad Ephes. scriptam cap. 5. vt antiquus Orig. Greg. Nyssen. Theodor. Diuus Hier. Diuus Amb. D. Greg. Diuus Bern. Diuus Thom. & doctus Haymon, quinimò ita decernit Pelagius Rom. pont. dist. 21. cap. Quamuis, &c. cum inquit, *Est ergo prima Petri sedes, Romana Ecclesia, non habens maculam, neq; rugam:* Verum illud etiam addam, ipsumet Dominum nostrum in Euang. D. Matt. cap. 25. hoc idem asseuerasse, quo loci de hac Ecclesia militante symbolicè loquens, illam, & regnum cælorum nuncupat, ob eius claritatem, & splendorem, & decem virginibus comparat, ob eius pudorem, & castitatem; Etenim Christiani omnes, qui sunt in Ecclesia Dei, professione saltem casti sunt, & gens sancta, licet reuera quàmplures habeant animas adulteras, & profanas: Et quàmquàm D. Hieron. suis in commentariis

riis super Epist.ad Ephes.Ibidem, & super Hieremiam cap. 31. sentire videtur nullum peccatorem esse de Ecclesia Christi,dum ait,*Ecclesia Christi gloriosa est,non habens maculam,nec rugam, qui ergo peccator est & aliqua sorde commaculatus, de Ecclesia Christi appellari non potest*. Ex quo nonnulli ignari,& impii hæretici occasionem sumpserunt astruendi Ecclesiam constare ex solis prædestinatis, & electis,quibus peccata non im putantur; Attamen non ita se res habet,nam D. Hieron. cui etiam Diuus August.in lib.2.Retractationum cap.18.D. Bernard. hom.3. in die festo omnium sanctorum,& D. Thom.3. parte summæ,quæst.3. art. 3.assentiri videntur,opinatur,Apostolum ibi loqui non de hac terrena, ac militante Ecclesia, quæ quotidie orat. *Dimitte nobis debita, seu peccata nostra*, at de cælesti, & triumphante,quæ omnibus erratorum sordibus libera,nihil habet coinquinatum, & ob hanc caussam cum sentiat ibi Paulum sanctum de cælesti Ecclesia loqui,asseuerat etiam nullum peccatorem de Ecclesia Christi appellari posse; de Ecclesia nimirum triumphante: Etenim(vt scribit D. Grego. in suis hom. super D. Matthęum cap. 25) præsentis temporis Ecclesia rectè similis virginibus, & prudentibus, & fatuis perhibetur; quoniam in ea mali cùm bonis, & reprobi cùm electis commisti sunt; & idcirco campus etiam figuratè dicitur apud D. Matt. cap. 13.in quo triticum est,atq; zizania, & ibidem vocatur sagena ex omni genere piscium congregans,& D.Ioann.cap.10.nominatur Ouile,vbi sunt Oues & hœdi,seu Oues sanæ, & morbosæ;& demum à sponso Christo in Cant. cap. 2. Lilium nuncupatur inter spinas; Et medius fidius si Ecclesiam in singulis suis membris omni prorsus labe, & culpa vacare oporteret,nulla profectò in terris esset Ecclesia,cùm nemo vsquàm mortalium sit, qui omni ex parte perfectus absq; omni peccati ruga hic viuat; ita legimus lib.3.Regum cap. 8. *Non est homo, qui non peccet*; & Prouerb.cap.20.*Quis potest dicere,mundum est cor meum, mundus sum à peccato?* & 1.Epist.D. Ioann. cap.1. *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus,ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est*; Imo verò D.Petrus Ecclesiæ pars erat, & præcipua pars, hoc est post Christum ipsius Ecclesiæ caput,& tamen illi in faciem restitit Apost. Paulus, quia repræhensibilis erat, vt habemus Gal. cap. 2.Neque hinc vos colligere velim, Ecclesiam totam pulchram non esse,& Sanctam,quàmuis in ea mali cum bonis misti sint, & reprobi cum electis, quando quidem in solo ipsius capite, quod Christus est,Ecclesiæ sanctitas, & pulchritudo seruari potest,ipsomet Aristotele lib. 9. Ethicorum cap. 9. inquiente, *Ciuitatem id maximè esse, quod est in ea principale*; At caput Ecclesiæ Christus est omni ex parte pulcher, & sanctus, talis igitur est eius sponsa Ecclesia; præterquàm quòd omnes Christiani in Ecclesia Dei manentes, boni

dicuntur & Sancti, aut ratione fidei, quæ vera est, & Sancta, aut ratione Spiritus Sancti; à quo semper Ecclesia regitur, & gubernatur, aut quoniam sacramentis, & pœnitentia erratorum labes abstergimus: aut saltem, quoniam omnes professione, & potestate boni sunt, & sancti; quippe qui si vellent huiusmodi re vera essent; aut demum Ecclesia dicitur tota pulchra, & Sancta ratione bonorum, qui sunt eius pars præcipua, quemadmodum homo mundus dicitur, aut immundus, si facies munda sit, aut immunda; quare tàm Ecclesia triumphans, & cælestis, quàm militans, & terrena, tota pulchra dicitur, & sancta, & si non ibi in cælo, sed hic in terris boni cum malis misti sunt, & reprobi cum electis, & ob hanc caussam opinor ego Apost. Paulum Ephes. cap. 5. de Ecclesia non solum triumphante, at de militante etiam loquutum fuisse, dicant alii quicquid velint. Illud sanè verum est Idololatras, hæreticos, et scismaticos Ecclesiæ partes non esse, quod vnanimi consensu testantur D. Cyprianus in Epist. 3. 1. lib. quam scribit ad Cornelium Papam, D. Greg. 12. lib. Mor. cap. 15. Concilium Toletanum sextum, Lateranense, et Florentinum: Ex quo rectè diffinitur à Nicolao pont. Rom. de summa Trin. cap. Firmiter, &c. Ecclesia Catholicorum esse collectio, siue propria electione sint boni siue mali, qui tamen omnes professione sancti sunt, & re ipsa si velint sancti esse possunt: At huic determinatæ veritati illud officere prima fronte videtur, quod habet Apostolus cap. 2. post. Epist. ad Timot. scriptæ, nam cum dixisset Hymenęum & Philetum à veritate excidisse, & subuertisse quorundam fidem, subiunxit in magna domo non solum esse vasa aurea, & argentea, sed lignea quoq; & fictilia, & quædam esse in honorem, alia verò in contumeliam; quibus in verbis (vt animaduertit D. Aug. lib. 3. de Bapt. cap. postremo) Apost. Sanctus illos etiam, qui à Christi fide aberrarunt, in magna domo, hoc est in Ecclesia esse demonstrat, licet non vt vasa in honorem, vt vasa saltem in contumeliã; quam sententiam Diuum quoq; Cyprianum lib. 4. Epist. 2. quam scribit ad Antonianum amplexatum fuisse D. August. ibidem attestatur; ita vt ex auctoritate horum duorum patrum D. Paulus hæreticos etiam in Ecclesia Dei esse existimet: Veruntamen si rem diligentius perpendamus, id primum dicemus, illa Apostoli verba, *in magna domo esse vasa non solum aurea, & argentea, sed & lignia, & fictilia,* ad Hymenęum & Philetum referenda non esse, quippe qui post hæresim exteriorem publico Ecclesiæ iudicio de magna Ecclesiæ domo iam exierant, sed potius ad illorum admirationem tollendam qui vix credere possunt, quod in Ecclesia Dei tota pulchra & sancta conscelerati homines, & ita impii reperiantur, vt Christum negantes, ab eius fide Catholica recedant: inde Apost. cum dixisset, *Quosdam à Christi fide excidisse,* nè nos, Christianos omnes ita fragiles & impios

pios existimaremus, ac proindeecclesiæ fidei timeremus: Subiunxit, in magna domo non solum esse vasa aurea & argentea, sed lignea quoque, & fictilia: Præterea si ad Hymenęum, & Philetum illa verba referri velit Apost. non ad id profectò tempus respexit, quo ipsi iam publicè infideles effecti, per hæresim exteriorem de domo Dei exierant, sed ad illud potius tempus, quo per susceptam fidem, & baptismum in hac magna domo adhuc cõtinebãtur, cùm nõ exteriori adhuc, sed interiori dumtaxat infidelitate à Christo separati erant: Nam si propriè sumatur ecclesia (vt à nobis in præsentia sumitur) illi certe omnes sunt partes & membra ecclesiæ, qui in baptismatis fonte Christi fidẽ & characterẽ iam receperũt, nec adhuc per hæresim exteriorem publico ecclesiæ iudicio à Christi capite sunt præcisi; quãdo quidem a Christiana Repub. nõ interior infidelitas, at schisma, exteriorisq; iudicii diuisio nos separat; quare D. Aug. existimans ex D. Pauli sententia, loco citato, illos etiam in ecclesia Dei esse, qui à Christi fide iàm aberrarunt, meo quidẽ iudicio decipitur, nisi (vt illum tueamur) dicere velimus, de illis hoc asseuerasse Aug. Sanctum, qui interiori solum infidelitate, à catholica Christi fide aberrarunt, nõdũ publico ecclesiæ iudicio post hæresim exteriorem damnati; quem sanè sensum verum & catholicum ex communi orthodoxorum patrum testimonio, habent Apostoli verba. Quod verò D. Aug. astruit hanc quoque D. Cypriani opinionem fuisse, certe iste vir sanctus lib. 3. de Bapt. cap. postremo iniuria Diuo Cypriano hoc tribuit; imò verò, inuitus id addidit, cum alibi sæpe contrariam tueatur opinionem, eamq; libenter & Catholicè doceat; nam vt omittam Epist. 3. primi lib. Locum manifestum, in quo D. Cyprianus scribens ad Cornelium Papã, hæreticos non obscurè ab Ecclesia Dei excludit, in epistola sane ad Antonianum scripta, cuius testimonio D. Augustinus abutitur, ab hac Catholica sententia non solum non discedit, sed eandem manifestius confirmat inquiens; *Quod verò ad Nouatiani personam spectat, scias nos curiosos esse non debere, cum foris ipse doceat, & quisquis ille est, & qualiscunque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est*; Et quid apertius dici potest? Et quàmquàm D. Cyprianus Nouatiani superbiam, & tumorem carpit, qui se id facere posse putaret, quod nec Apostolis quidem concessum est, nimirum à frumento discernere zizania, paleas à tritico separare, & vasis fictilibus & ligneis eiectis, aurea eligere & argentea; veruntamen iste vir sanctus, per lignea uasa & fictilia, non hæreticos intelligit, quorum sermo vt cancer iam serpserat; sed eosdem prorsus accipit, quos & zizania vocauerat, & paleas, hoc est fragiles christianos, & imbecilles qui cum firmis, & perfectis in Ecclesia Dei misti semper extiterunt, & adhuc existunt, quos Nouatainus, quoniam ferre non poterat, de ecclesia Dei, ante tempus, & contra Christi præceptum eiicere conabatur.

batur. Quare Christi Ecclesia tota pulchra, & sancta est, atque Christiani omnes catholici, siue boni sint, siue mali, ipsius Ecclesiæ partes, & membra appellantur, & sunt, solis hæreticis, & infidelibus exceptis, qui publico Ecclesiæ iudicio post hæresim exteriorem, ab ecclesia separantur; & licet, vt D. Augustinus ait in primo libro de Symbolo ad Cathecumenos, omnes hæreses de ecclesia Dei exierint, illas tamen exiisse subiungit tamquàm sarmenta inutilia de vite præcisa, at ipsam ecclesiam manere dicit in radice sua, in vite sua, in charitate sua, cuius fides deficere nequit, in qua Christo desponsata est in sempiternum, vt dicitur Oseæ cap. 2. *Desponsabo te mihi in fide, desponsabo te mihi in sempiternum.* Sponsus igitur Christus, suæ sponsæ Ecclesiæ pulchritudinem, & sanctitatem, nobis patefacere volens, sub cuiusdam puellæ similitudine, illam bis pulchram appellat inquiens; *Eccè tu pulchra es amica mea, Eccè pulchra es.*

LECTIO LXXII.

Eccè tu pulchra es amica mea, Eccè tu pulchra es: Eccè tu pulcher es dilecte mi, & decorus.

NEminem profectò vestrum, auditores ornatissimi, latere arbitror, qui mediocriter etiam in metaphysica sapientia versatus sit, bonum proprietatem esse & affectionem ipsius entis naturam indiuiduè consequentem, cùmq; bonum, & pulchrum mutuò se consequantur, vt quæ sunt bona, sint pulchra, & contra, quæ pulchra, bona, omnia sanè quę sunt, & bona, & pulchra esse necessum est; Et licèt Plotinus Philosophus Platonicus in libro de pulchro, opinetur, bonum prius esse pulchro, cùm omne pulchrum sit bonum, non contra, omne bonum pulchrum, existimat enim bonum vsq; ad materiæ centrum attingere, quæ cùm sit vtilis mundo, & necessaria, bona quidem est, ad non item pulchra, cùm pulchrum ad desormem materiæ sinum non pertingat, at circa ipsius superficiem in forma versetur, quā materia appetit ex Aristotelis etiam auctoritate primo lib. de phisico auditu, textu 81; sicut turpe pulchrū, veruntamē ipsa materia, quę non est pulchra, non est etiam bona, & ob id malefica quandoq; appellari solet; hinc Deus optimus max. quemadmodum est summum ac primum omnium ens, a quo cætera habent vt sint, ita etiam est summum ac primum bonum & pulchrum à quo habēt vniuersa, vt bona sint, & pulchra; ita legimus de Deo, apud D. Marcū cap. 10. *Nemo bonus nisi solus Deus.* & in Cāticis cap. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*; & certè Deus Optimus

Optimus Maximus: non solum pulcher est, ac bonus, sed totius etiam bonitatis & pulchritudinis est principium, & origo, inde legimus Platonem Philosophum propè diuinum, in epistola quā scribit ad Dionysium Regem, pulchrorum omnium causam Deum nuncupasse: Hæc autem summa atque infinita Dei pulchritudo, mentem diuinam ab ipsamet æternitate Idearum ordine exornat, at in temporis exordio, veluti in centro vno subsistens, seipsam extrà se in quatuor creaturarum generibus, veluti in quatuor circulis communicauit, hoc est in mente, anima, natura, & materia, mentem nimirum rationum serie complens, animam numerosis discursibus ornans, naturā variis seminibus fulciens, & materiam multis formis decorans; & sicuti ex Marsilii Ficini testimonio suis in commentariis in conuiuium, oratione 2. cap. 5. Solis radius vnus, corpora quattuor ignem videlicet, aerem, aquam, & terram, illustrat, ita vnus diuinitatis radius, mentem, animam, naturam, materiamque illuminat, atque in his quattuor elementis, quęmadmodum quicumque lumen ipsius solis, radiumque aspicit, per ipsum quoq; ad supernam solis lucem intuendam conuertitur, ita quisquis in quattuor istis rerum creatarum circulis, mente nimium, anima, natura, & materia, decorem contemplatur, in his quoq; Dei fulgorem intuetur, & per ipsum ad ipsummet Deum cognoscendum, ac diligendum conscendit: Hinc multiplex amor consurgit, nam si quintuplex est pulchritudo in Deo, mente, anima, natura, & materia, atque hæ quattuor finitæ sunt & creatę pulchritudines, illa verò infinita, & increata harum quattuor caussa, & origo; quintuplex etiam ex huiusmodi pulchritudine oritur amor, qui nihil aliud est nisi bonitatis & pulchritudinis desiderium; primus autem amor, & independens est in Deo, reliqui vero quattuor sunt in mente, idest in angelo, & in portione superiori animi humani, adhuc in anima, hoc est in inferiori passione, & brutis, rursus in natura, quod est in rebus viuentibus, demum in materia, seu in omnibus corporibus anima vitaque carentibus; quod etiam asseuerat D. Dionysius libro de diuinis nominibus, vbi quęrens, cur Deus dicatur amatus, amans, & amor, satis eruditè respondet, & ait, dicitur amatus, quia bonus & pulcher est, dicitur amans, quòd seipsum amat, & nos; dicitur tandem amor, quoniam amorem in rebus omnibus excitat, & procreat; Sicuti namque illa Dei infinita pulchritudo rebus omnibus quas producit, pulchritudinem impertitur, ita in rebus omnibus amorem suique desiderium excitat, vt quæ ab ipso pulchro pulchræ sunt effectę, in ipsum denique pulchrum, vnde emanarunt, iterum redeant, atque circulus iste vnus & idem a Deo in res omnes creatas, & hinc in Deum, tribus nominibus nuncupatur, pulchritudo nimirum, amor, & voluptas, vt astruit Marsilius Ficinus suis in commentariis in conuiuium cap. 2. secundę orationis; nam

pulchritudo dicitur vt in Deo incipit,& ad Deum allicit, amor verò vocatur,vt in res ipsas transiens illas ad se rapit,& tandem voluptas appellatur,vt res omnes in ipsum Deum remeant; & hoc sibi uoluit D. Hierothei & D. Dionysii hymnus ille præclarus, vbi hi Theologi ita cecinerunt: Amor circulus est bonus, à bono, in bonū perpetuo reuolutus; Quare si de pulchritudine diuina atque independente loquamur, illa est, vt inquiunt Theologi, viuificus actus, è primo fonte bonorum operum effluens, intellectum diuinum Idearum ordine primùm decorans, deinde mentes rationum serie complens, mox animas numerosis discursibus ornans, adhùc naturas seminibus fulciens, & demum materiam formis exornans; nam singula pulchra, & vniuersa ab illo perenni pulchritudinis fonte emanant; Atque inde est, vt Gen.cap.1.dicantur, cuncta quæ fecerat Deus, bona extitisse, quod & Hetruscus Poeta lingua vernacula, sic expressit.

Tutte le cose, di ch'il mondo è adorno,
Buone vsciron di man, del mastro eterno:

Et quæmadmodum duo rerum genera in vniuersum à Deo creata reperiuntur, corporearum vnum, & alterum spiritalium, ita geminam esse rerum pulchritudinem oportet, sensilem nimirum, & intellectilem, hanc spiritibus, & illam corporibus competentem, à Platone in Symposio per duplicem Venerē, quę mater est pulchritudinis & amoris perbellè nobis demonstratam; etenim in Pausaniæ collaudatione, de amore inquit, quoniam duæ sunt Veneres, geminum quoque amorem esse decet, sunt autem duę Veneres, vna quędam antiquior sine matre, e cœlo nata, quam cælestem Venerem nuncupamus, altera verò iunior è Ioue, & Dione progenita, quam vulgarem communemque Venerem vocamus; quare necessum est, antiquioris Veneris amorem cælestem vocari; quo solum bona, & honesta amamus, iunioris autem Veneris amorem esse vulgarem, quo praui abiectique homines quodcumque sors illis offert bonum pariter atq; malum diligunt: Nec me fugit Marsilium Ficinum suis in commentariis in Plotinum asseruisse, hanc geminam Venerem esse duplicem mundi animam, quarum vna, quę intellectus est, & simpliciter anima, prima Venus appellatur, altera verò quæ est vita ex prima mundi anima nata; secunda Venus dicitur: illa à materia omnino secreta est, & ob id per priorem Venerem designatur, quæ è cœlo nata est sine matre, quoniam mater apud physicos philosophos materia est, hæc autem in vnum cum materia congreditur, & per posteriorem Venerem exprimitur, quę ex Ioue, & Dione genita est, hoc est ex virtute ipsius animæ, quæ cęlestia mouet, & ex commercio quod habet cùm materia, cui est infusa, ita vt illa Venus sit intelligentia, quæ est in mente angelica, hæc autem sit vis generandi,

animæ

animæ mundi tributa, vt ibidem Marsilius Ficinus affirmat; Ex his autem colligere possumus cęlestem Venerem, pulchritudinis spiritalis & intellectilis matrem esse, vulgarem verò corporeæ atque sensilis; Nam cùm Venus mater sit amoris, pulchritudinis quoque parens existit, quòd amor pulchritudinis est desiderium, & bonitatis, quæ se inuicem consequuntur sicuti flores semen; quemadmodum enim ex semine flores, ita pulchritudo ex bonitate pullulat; veruntamen licet vtraq; sui similem comitem habeat amorem, prima tamen Venus amore ingenito ad intelligendam & diligendam Dei pulchritudinem rapitur, secunda verò Venus amore suo ad eamdem pulchritudinem in corporibus procreādam extollitur; Ad hęc prima Venus diuinitatis fulgorem in se primum complectitur, & deinde in Venerem secundam hunc traducit, at hæc, illius diuini fulgoris scintillas in materiam mundi transfundit, quarum scintillarum pręsentia, singula mundi corpora, pro captu naturę, speciosa conspiciuntur. Quapropter in vtraq; Venere perpetuus viget amor circa diuinæ mentis pulchritudinem incitatus; at in prima Venere viget amor ad pulchritudinem in se generandam, in secunda verò ad pulchritudinem in materia pro viribus exprimendam. Si loquamur igitur de creata pulchritudine, ac descendentē, hæc nihil aliud est, nisi diuinę lucis radius, aut summi boni splendor, fulgens in his pręcipuè rebus, quę oculis, auribus, & mente percipiuntur, & per quas ad illud summum bonum visum, auditum, mentemque conuertit, ita vult Plato in libro, qui Philebus inscribitur, de summo bono, cap. 5. ita ut hęc pulchritudo creata ac dependens, quę duplex est, aut spiritalis, aut corporea, ad tres pertineat facultates cognoscentes, mentem nimirum, visum, & auditum; quod etiam confirmat Plotinus in libro de pulchritudine, inquiens: *Pulchritudo solum allicit facultates cognoscentes, cognoscentes inquàm aut mente, aut uisu, aut auditu, qui ut plurimùm rationis sunt ministri*. Ad mentem verò magis pertinet pulchritudo, quàm ad visum, & auditum; ratio est, quoniam habitus animi, qui sunt virtutes, boni mores, & scientiæ, non solum pulchri sunt, at pulchritudines etiam appellantur, cùm sint formę: at corpora, quæ spectant ad visum, & voces, quę ad auditum pertinent, pulchra quidem sunt, sed non pulchritudines dici possunt, imò verò pulchra non semper sunt, verum leui etiam mutatione, aut proportione mutata, fiunt non pulchra; & quęmadmodum vt probatum est, pulchritudo ad mentem magis, quàm ad duos sensus pertinet, ita magis ad visum, quam ad auditum spectat, ratio est, quoniam visus & lumen similiora sunt, quàm auditus & sonus; verum protinus mihi obiicietis vna cùm August. Nipho Suessono in suo libro de pulchro, inquientes, cur his tribus dùmtaxat animi nostri facultatibus, mente videlicet, visu, & auditu, pulchritudo cognoscitur, & gignitur amor, minimè verò reliquis tribus

sensibus,

ſenſibus,olfactu,guſtu,& tactu? cum præſertim Peripatetica Philoſophia quartum pulchri genus ſuperaddat,quod mouet animum,per omnes, aut plures ſaltem ſenſus,ad ſui corpoream(vt ita dicam)fruitionem,quæ amplexu & tactu perficitur. Cui difficultati fortè fortuna faciemus ſatis, ſi dixerimus Platonicorum potius Philoſophorum quàm Peripateticorum in huiuſmodi re, nos probare ſententiam, nam cum triplex tantum ſit pulchritudo, animorum videlicet, corporum, & vocum, animorum quoque pulchritudo mente cognoſcitur, corporum oculis, & vocum auribus; quare ſicuti tria ſunt obiecta vt vocant,pulchra, inter ſe diuerſa, tres quoque eorum facultates cognoſcentes eſſe decet,mentem nimirum, viſum, & auditum,quæ ad vocum, corporum, & animi pulchritudinem cognoſcendam aptantur, & primò confirmatur ex auctoritate D.Thom. ſuis in commentariis Ethica Ariſtotelis inquit enim, amoris finem in iis eſſe habendum,in quibus eſt amor,& amoris initium,at conſtat,amorem, amoriſquę initium in his tribus duntaxat facultatibus eſſe,mente videlicet, viſu,& auditu, in his igitur amoris quoque finis habendus eſt, & conſequenter etiam pulchritudo, cuius deſiderium eſt amor: in cęteris verò ſenſibus,non amor,ſed libido eſt,libidiniſque principium: Item confirmatur hoc idem aduerſus Sueſſanum Peripateticum, quoniam tres reliqui ſenſus,olfactus,guſtus,& tactus,odores percipiunt,ſapores,& qualitates,ſiue primæ ſint qualitates, vt calor, frigus, humiditas, ſiccitas,ſiue non primę,vt mollities,durities, & alię id genus; at horum, vt ita dicam, obiectorum nullum propriè eſt pulchritudo, cùm ſint formę ſimplices accidentariæ, humani verò corporis pulchritudo, membrorum,aut partium requirit diuerſarum concinnitatem, quare ad hos tres ſenſus pulchritudo non pertinet,ſed ad mentem ſolum,viſum, et auditum,quorum obiecta pulchra ſunt,& decora, & ob id amor in his tribus animi facultatibus terminum habet,ſemper auribus, oculis,& mente contentus,deſiderium verò,quod tres reliquos ſenſus conſequitur, non amor,ſed libido vocatur,omnino ſenſilis,& corporea, vt ait Marſilius Ficinus ibidem,oratione prima,cap.4.& oratione ſecunda,cap.2.vbi nouam proponens orationem,inquit,ex ſex animi viribus, tres ad materiam potius, & corpus pertinent, vt olfactus, guſtus, & tactus, tres autem ad ſpiritum, & animum ſpectant, quippe quę à materia plurimùm remotæ, animo multò magis conueniunt, & res illas capiunt, quę parum quidem corpus, animum autem vehementer mouent:cumq́, amor ſit animi affectio,& libido corporis,pulchritudo,cuius deſiderium eſt amor, nequit eſſe corpus, at quid ſpiritale,& incorporeum; qua de cauſſa,non ad inferiores, ſed ad ſuperiores tantum cognoſcendi facultates,pulchritudo pertinet,& amor. Meritò igitur pulchritudinem & amorem ad animi virtutes,ad figuras corporis,

corporis, ad vocesq; harmonicas, & ob id ad mentem, visum, & auditum pertinere concludimus: Nam gratia, quæ in his tribus reperitur, pulchritudo vocatur, cùm grata sit animi vsus & probati mores, grata sit corporis speciosi figura, & grata sit vocum concinnitas, atq; hæ sunt tres illę, gratiæ, quæ ab Orpheo Poeta omnium antiquissimo vocantur splendor, viriditas, & lætitia vberrima, splendor autem est gratia, & pulchritudo animi, quæ sunt virtutes, boni mores, & scientiæ, viriditas est figuræ, colorisque suauitas in corporibus, lætitia demum est harmonica vocum concinnitas salubreque oblectamentum, quod in arte musica sentimus. Illud tamen animaduertendum est, nihil esse commune, quod vtriusque pulchritudinis, increatæ nimirum, & creatæ rationem completam nobis explicet; cùm nihil Deo ex vnanimi tàm Philosophorum quàm Theologorum consensu, & creaturis sit commune genus vniuocum, sed vnaquæque & Dei, & creaturarum pulchritudo suam sibi propriam descriptionem vendicat, vt paulo superius dictum est à nobis, quàmquàm in vna, & eadem ratione conuenit omnis creaturarum pulchritúdo dependens, cùm quæ auditur, tùm quæ conspicitur, tùm etiam quæ intelligitur, & huiusmodi ratio ad hoc probandum à Marsilio Ficino oratione quinta, cap. 3. proponitur; quoniam nimirum non quodlibet istorum trium pulchrum dependens vocaremus, nisi vna his tribus pulchritudinis inesset diffinitio, quæ huiusmodi est, *Pulchritudo radius est, lux, & gratia diuinitatis, quæ lucet in entibus, quæ auribus, oculis, & mente percipiuntur*. Vt ab hac excitati homines, ad illam summã Dei pulchritudinem per huius similitudinem conuertantur, quæ definitio Socratis est in libro Platonis, qui Hippias maior inscribitur, seu de pulchro, ibi namque postquàm Plato induxit Hippiam secundum sensum, & opinionem, ter pulchritudinem definiẽtem, & Socratem ter quoque ipsammet pulchritudinem describentem, bis secundum rationem, & postremò secundum mentem, tres illas priores, quas attulit Hippias pulchritudinis definitiones ab opinione desumptas, & duas posteriores, quas propósuit Socrates à ratione acceptas reiiciens, tertiam duntaxat Socratis definitionem approbat, quàm attulit secundum mentem, atquæ vt has omnes intelligatis, illas breuiter hic propono: in primis Hippias dixit *Pulchrum esse virginem Pulchram*, præterea dixit, *Pulchrum esse aurum, quo omnia pulchra fiunt*, demum dixit, *Pulchrũ esse corpore benè ualere, diuitem esse, honoribus affici, senem mori, sepeliri à filÿs, & sepelisse parentes*; Quæ sane pulchritudinis diffinitiones seu potius descriptiones mendósæ sunt, ac repræhensione dignæ, non solum quòd à Sophista proponuntur, qui sensu opinioneque incedit, verùm etiam quoniam si loquamur de prima, tunc pauca quidem pulchra esse contingeret; cùm non omnia quę pulchra sunt, per virginem pulchra

fiant,

fiant, vt oratio verbi gratia, pulchra est, & lyra, & alia id genus, quæ tamen virgine pulchra pulchra non sunt, præter quàm quòd illud in rei diffinitione sumendum est, quo res semper sit id quod est, quomodocumque consideretur, at licet virgo, si cum brutis animantibus comparetur, pulchra sit ob virginitatem, cum Diis tamen comparatam ob eandem virginitatem turpis est, ac deformis: quare pulchrum, quo cætera fiunt pulchra non est virgo pulchra. Quod verò spectat ad alteram pulchritudinis descriptionem, hanc quoque Socrates ibidem sic redarguit: illud verè pulchri rationem constituit, quod omnia pulchra facit, non autem quędam pulchra, alia verò deformia, at aurum illa dumtaxat pulchra efficit, quibus conuenit, reliqua verò deformia. Verbi gratia, si aurum aptetur ad argentum, & mulierem, hęc pulchra reddit, at si auro senex, & rusticus ornentur, non pulchri sed deformes apparent; vt interim prætermittam res non solum auro, sed etiam argento, & gemmis exornari, ac pulchras effici: & tandem tertia pulchritudinis assignatio mala est, etenim non res omnes quæ sunt in hoc mundo, at soli homines hoc pacto pulchri essent, cum solis hominibus bene valere, esse diuites, honorari, a filiis sepeliri, & sepelire parentes contingat; præterea hoc, quod inter homines esset pulchrum, inter Deos, & Angelos, qui non moriuntur, aut senescunt, turpe foret. His igitur tribus pulchritudinis descriptionibus, quas Hippias Sophista, ab opinione desumptas attulit, à Socrate reiectis, tres aliæ, quæ ab ipso Socrate proponuntur, examinandæ sunt, quarum duæ priores secundum rationem assignantur, postrema verò secundum mentem; prima hæc est, *Pulchrum est cuiuslibet rei decorum.* Altera est huiusmodi, *Pulchrum est cuiuslibet rei vtile.* postrema denique est, *Pulchrum est gratia quædam, quæ mouet animum, per mentem, visum, & auditum, & illum allicit ad ipsum summum bonum, & pulchrum.* Et quidem quòd ad primam pertinet, illa non probatur a Socrate, quoniam si res pulchræ sunt ob decorum, tunc aut ob ipsum decorum tantum videntur pulchræ, aut & videntur, & sunt, non primum, tunc enim decorum deceptio potius esset circa pulchrum, quàm ipsummet pulchrum, nec alterum verum est, nam si decorum quoties dat esse pulchrum, daret etiam videri pulchrum, tunc quæcumque pulchra sunt, omnibus pulchra apparerent, quod esse falsum nobis ostendunt plures controuersiæ, quæ de rebus pulchris apud homines oriuntur, adhùc rei completa diffinitio non ex solo genere, & ex genere proximo constat & proxima differentia, vti non est decorum, ex se solo acceptum: quare hæc pulchri assignatio prima bona non est; Nec non secunda facilè reiicitur; quandoquidem, multa sunt vtilia quæ mala sunt, & turpia, vt furari, occidere inimicum, & huiusmodi, at pulchrum nunquàm malum, aut turpe est, pulchrum igitur non est vtile, quod esse

potest

poteſt malum, & bonum: Quapropter vera & perfecta remanet poſtrema pulchritudinis deſcriptio, pulchritudinis inquam dependentis, & creatæ, tam ſpiritalis, vt in mente, quàm corporeæ vt in viſu, & auditu: Etenim ly. *Gratia* ſtat loco generis, & eſt quid commune huic triplici pulchritudini, nequæ enim ſumitur gratia ratione ſenſus, tùm quia non competeret menti, tùm quia reliquis tribus ſenſibus, olfactui ſcilicet, guſtui, & tactui conueniret, ſicuti congruit viſui, & auditui; neque etiam accipitur gratia ratione mentis, quia nullis congrueret ſenſibus, nequæ oculis, nequæ auribus: rurſus ratione voluptatis non ponitur gratia, etenim non in auditu tantum, & viſu, ſed in reliquis etiam ſenſibus reperitur: non demum aſſumitur gratia ratione viſus, quoniam nec auditui, nec menti competeret, nec ratione auditus, quia nec viſui, nec menti conueniret, nec ratione vtriuſque ſimul, quoniam menti minimè congrueret; præterquàm quod pulchritudo rebus ineſſet, in viſu, audituque ſimul coniunctis, quòd falſum eſſe conſtat, cùm pulchritudo ſeorſum reperiatur in rebus, quę mente, oculis, & auribus, ſeorſum percipiuntur; in hac igitur tertia pulchritudinis definitione, gratia communiter accipitur, vt tribus ineſt obiectis, hoc eſt animi virtutibus, corporum figuris, & vocibus harmonicis, quæ tribus animi facultatibus percipiuntur, mente, oculis, & auribus; hæc autem gratia, vt optime ibidem declarat Marſilius Ficinus, lux eſt diuinitatis, ſeu ſplendor ſummi boni, fulgens in iis rebus, quæ oculis, auribus, & mente percipiuntur; & per huiuſmodi res, ad illud ſummum bonum conuertit, & allicit viſum, auditum, & mentem, ita vt pulchritudo circulus qui dàm diuinæ lucis exiſtat, à bono manans, in bono reſidens, & in bonum perpetuò remeans. Quare hæc eſt Platonis ſententia, de communi pulchritudinis creatæ, ac dependentis ratione, ab omnibus Platonicis, quos ego viderim, comprobata; quinnimo, & ab Auguſt. Nipho Peripatetico Philoſopho in ſuo libro de pulchro, & à Torquato Taſſio in ſuo tractatu, qui vernaculè inſcribitur *Forno della nobiltà*, ſatis laudata. In hac autem diffinitione, vt manifeſtior appareat, duo annotatu digna mihi occurrunt, alterum eſt, vt quàmquàm hęc communis pulchritudinis ratio illis rebus competit, quę auribus, oculis, & mente percipiuntur, non omnibus tamen æqua menſura, at ſecundum aliquos gradus, hoc eſt magis, & minus illis conueniat, ita vt hæc lux ſeu gratia diuinitatis, aut ſplendor ſummi boni primùm rebus, quæ percipiuntur mente, competat, mox verò iis quæ oculis, & demum illis quæ auribus ſentiuntur, ſicuti namq; ſe habet veritas circa entia, ita circa bonum, & pulchrum, at ipſe Deus primum, & ſummum omnium ens, communicat quidem omnibus eſſe, ſed iis clarius illis verò obſcurius, quare & ipſum ſummum bonum, & pulchrum communicat quidem creaturis, quę mente, oculis & auribus percipiuntur,

piuntur, suam pulchritudinem, & bonitatem: at iis clarius, illis autem obscurius: ita decernunt, tùm Aristoteles primo libro de Cœlo, textu 100. vbi loquens de Deo, sic ait: *Inde alijs pendet esse, & viuere, his quidem exactius, his autem obscurius*. Tùm Dantes Florentinus in primo cantu Paradisi, cùm vernacula lingua inquit.

La gloria di colui, ch'l tutto muoue,
Per l'vniuerso penetra & risplende,
In vna parte più, & meno altroue:

Alterum verò, quod adnotatu dignum ex hac diffinitione colligimus, illud est, ipsam videlicet pulchritudinis rationem communem, non esse corpus, quoniam virtutibus animi, quæ incorporeę sunt, minimè conueniret pulchritudo, si hæc corpus esset, aut corporea; quinimò & pulchritudo, quæ corporum figuræ, & vocum concentui inest, nequit esse corporea; quamuis enim corporea quædam pulchra esse dicamus, ex sui tamen natura, hoc est, vt corpora sunt, nequaquàm pulchra esse dicuntur, eò quoniam idem corpus hominis, quod hodie pulchrum est, cras aliquo casu fœdante, turpe erit, ac si aliud sit esse corpus, & esse pulchrum. Nequè etiam corpora ex quantitate pulchra vocantur, & sunt, cùm tàm magna, quàm parua nonnunquàm pulchra existant, & quandoque pulchra sint parua, & turpia magna, aut contra magna sint formosa, & parua deformia, imò verò manente sępenumero eadem quantitate, casu quodam, corporis pulchritudo mutatur, & contrà, mutata quantitate, manet corporis pulchritudo: Itaque fieri nequaquàm potest, vt corporis pulchritudo, ab eius oriatur quantitate, cum quantitas & pulchritudo simul esse, & non esse queant; & corporis pulchritudo ab eius figura oritur, seu imagine, quę est in visu recepta, & per uisum ab animo concipitur, quę quidem imago licet exterioris corporis sit simulachrum, incorporea tamen est, & hęc est quę placet, quod verò placet, cuiquę gratum est, & quod gratum pulchrum; ex quo fit vt pulchrum ad quid incorporeum referatur, in animi non solum virtutibus, verum etiam in corporis figura, vocumquę concentu; Nequę enim ille sonus, aut concentus vocum exterior, qui sensilis est, & corporeus pulcher est, at imago illius harmonici concentus pulchra est, & per auditum ab animo percipitur, et concipitur; Quare omnium rerum, aut mente, aut oculis aut auribus perceptarum pulchritudo, spiritale quoddam rei corporeæ simulachrum potius est, quàm corporea ipsius rei species, vt optimè docent Plotinus in libro de Pulchro, et Marsilius Ficinus suis in commentariis in conuiuium cap. 3. Orationis quintæ, licet pulchritudo rerum, quæ oculis, & auribus percipiuntur, corporea dicatur, non quòd ipsa sit corpus, aut corporea, sed quoniam est in rebus corporeis: at pulchritudo rerum, quæ mente percipiuntur,

piuntur, omnino ſpiritalis eſt,& dicitur; Verùm iàm proponamus harum trium pulchritudinum definitiones,vt quæ dicta ſunt,clariora fiant:& primùm ſeſe nobis offert pulchritudo rerum,quæ mente percipiuntur,animi videlicet virtutum, bonorum morum, ac ſcientiarum pulchritudo, quæ profectò nihil aliud eſt,niſi morum, ſcientiarum,& animi virtutum concinnitas,& gratia,in mente concepta,ſicuti pulchritudo rerum,quæ oculis percipiuntur, eſt corporum figuræ gratia ſpiritalis in viſu recepta, & per viſum ab animo percepta,& demum pulchritudo rerum, quæ auribus percipiuntur, eſt vocum harmonicarum concentus gratia ſpiritalis, & ſpiritali modo in auditu recepta,& per auditum à mente percepta. Indè patet quàm falſa ſit illorum ſententia,qui corporis pulchritudinem ita deſcripſere, vt ſit *quædam apta figura membrorum,ſeu quædam partium inter ſe,& ad totum proportio, cùm quadam coloris ſuauitate*, quod opinatus etiam fuit M. Tullius in libro Tuſculanarum quæſtionum; quandoquidem ſi res ita ſe haberet, tunc multa corpora, quæ oculis percipiuntur, pulchra non eſſent, vt aurum, argentum,& huiuſmodi,quippe quæ cùm ſint corpora homogenea, non habent huiuſmodi partium inter ſe, & ad totum proportionem,ſeu diſpoſitionem, quæ in animalibus conſpicitur; præterea lux ipſa, colores, & huiuſmodi,pulchra non eſſent, cùm facilè non ſit, in his rebus partium, aut membrorum proportionem inuenire, adhùc vox vna, quæ percipitur auribus, etſi ſuauis, pulchra tamen non eſſet,cùm in vnica voce non ſit partium diſpoſitio; præterquàm quòd ſi corporis pulchritudo, in hac partium proportione, ac debita diſpoſitione conſtituatur, corporis ſanè partes ſigillatim acceptæ, vti: caput, aut bracchium,aut oculus,aut manus pulchræ non eſſent, quæ tamen vt plurimum pulchra,& ſpecioſa in hominibus extolluntur; & ratio eſt, quoniam in his ſingulis partibus ſigillatim ſumptis,partiũ diſpoſitio,aut proportio non reperitur,& tunc quod eſt longè magis abſurdum,ex ſingulis partibus non pulchris,fierent corpora pulchra, & pulchrum ex non pulchro conſtitueretur, quod fieri nequit; Imò verò manente eadem corporis partium diſpoſitione,ac membrorum inter ſe & ad totum proportione,idem corpus æque vt ante,quandoque nobis non placet,nec eadem manet gratia; Corporis igitur pulchritudo non eſt ipſius partium diſpoſitio,aut proportio; Neq; minus abſurdum eſt, quod additur à Cicerone *cum quadam coloris ſuauite*, nam fieri poteſt,vt qui colore alterum ſuperat,gratia tamen, & pulchritudine ab illo ſuperetur, & quandoq; in ſene color eſt clarior,in iuuene tamen maior eſt gratia,& pulchritudo; Verum dicetis fortaſſe neutrum horum ex ſe ſolo acceptum completam corporis pulchritudinis diffinitionem efficere,at ſi vtrumque ſimul vniatur, illam perfectam conſtituet, ego verò huic difficultati faciens ſatis,id quoque à

veritate,

veritate, ad horrere dico, nam si corporis pulchritudo in vtraquæ re consistat, vt sit partium dispositio cùm coloris suauitate coniuncta, tunc nec voces, quæ colore carent, nec corpora homogenea, quæ partium dispositionem nō habent, nec lux ipsa, in qua nec color conspicitur, nec partium proportio, pulchra forent. Quare ex his omnibus id colligitur, corporis nimirum pulchritudinem non in materia, non in quantitate, non in figura, quæ sit debita partium dispositio, nec demum in coloris suauitate consistere, at in gratia imaginis corporis, in visu recepta, & per visum in animo concepta, & in gratia concentus spiritalis ipsarum vocum in auditu recepta, & per auditum in animo concepta, & hactenus de pulchritudine tùm increata, tùm creata, siue rerum quæ mente, siue rerum quæ oculis, siue deniquæ rerum quæ auribus à nobis percipiuntur, hæc dicta sint.

LECTIO LXXIII.

Lectulus noster floridus.



Voniam amicorum sunt omnia communia, vt in ore hominum versatur, licet Pythagoras omnium primus hoc adagium vsurpasse feratur; inde est, vt sponsa postquàm bis pulchram à sponso, & ob id eius amicam se vocari audiuit, illumque vicissim pulchrum, & decorum sibiquæ earum, atquæ dilectum appellauit; nunc & de lecto, & de domo habens sermonem, vtraque communia esse dicat, cùm sponsa potissimum sui corporis potestatem non habeat, sed vir, & idcirco lectulum non suum iactat, at inquit, *Lectulus noster floridus*, cùmque sponsus, & sponsa mutuo se amantes, floribus potissimùm, ac suaui odorum fragrantia oblectentur, & lectulum floridum, & tigna domorum cedrina, & laquearia cupressina, quæ bene olent, illi proponit sponsa, vt his blandiciis sponsum alliciat, ad castissimosq; amplexus lubentius pertrahat; Illud tamen animaduertendum est, origenem, & D. Hieronymum non *Lectulum floridum*, at *Lectum vmbrosum* legere, ita vt isti ad vmbram potius, quæ consurgit ex floribus, reliqui vero omnes ad flores ipsos suaue olentes respexerint, quod magis approbandum opinor, cùm sponsus, & sponsa casto iuncti connubio, lectulo potius florido, quàm vmbroso, & suaui potius florum fragrantia, quàm foliorum vmbra delectentur, præterea nos *Lectulum*, non *Lectum* cum illis legimus, de more amātium, qui diminutiuis, (vt aiunt grammatici) ad blandiendum appositis gaudent vocabulis. Pergit autem in his verbis sponsa loqui cùm sponso, vt vnanimi omnes consensu, interpretes asseuerant.

Itaquæ

Itaque nec dramatis ordo mutatur, neque noua hic efficitur ſcena; quid. autem hæc verba ſi myſtice exponantur, ſibi velint, non idem ſentiunt explicatores omnes; etenim Origenes, & D. Hieronymus, ab allegorico ſenſu ad tropologicum deſcendentes inquiunt, quæro lectum, in quo ſponſus cùm ſponſa requieſcat & ni fallor, corpus humanum eſt, in quo anima adhùc perfectè poſita, digna habita ſit ad verbi Dei conſortium aſciſci, & ob id vmbroſum, hoc eſt non aridum, ſed fructuoſum eſt, & tanquàm denſitate boni operis nemoroſum, dicit autem ſponſa anima, cubile noſtrum ſeu lectus noſter, vt indicet corporis ſui locum ſibi commu nem eſſe cum ſponſo Chriſto, iuxta illud Apoſtoli inquientis, *Corpora noſtra membra ſunt Chriſti*: & quàmquàm D. etiam Greg. & D. Bernar. tropologicè de anima fideli, & iuſta cùm ſponſo Chriſto verba faciente interpretantur, non idem tamen, quod origenes, & D. Hieronymus per lectulum communem, & floridum exponunt; Nam D. Gre. putat, per huiuſmodi lectulum intelligi otii quietem, vbi mens fidelis, & iuſta, ab omnibus mundi ſollicitudinibus vacans, & virtutes, quibus ſuo ſponſo placeat, accumulans quò quietius decumbit, eo amplius flores inuenit, quibus ſuo ſe ſponſo decoram oſtendat; & D. Bernardi, lectulum floribus conſperſum animi iuſti conſcientiam eſſe opinatur, bonis operibus refertam; ſicuti namque in lectulo flores non innaſcuntur, at inſeruntur, quò fit vt diu odorem non retineant, ac decorem, ſed recentiores ſemper flores apponere oporteat, ita, vt bona ſit conſcientia noſtra, non ſemel aut bis, quod bonum eſt, ipſam operari ſufficit, niſi quàm ſæpe noua, prioribus opera bona ſuperaddat, alioqui & flos boni operis citò marceſcit, & nitor eius breui euaneſcit. Verùm cæteri omnes explicatores de vniuerſa Dei eccleſia allegoricè hæc verba exponunt, licet quidam aptiori, alii verò ineptiori modo cùm dictis, & dicẽdis illà quadrare oſtendant; nam Dõm. Aegidius Rom. ita connectit, & exponit increparat ſponſus ſuam ſponſam, tùm de ignorantia, tùm de diffidentia, vt illius vtar verbis, & hucuſq; ſponſa oſtendit ſe eſſe correptam de diffidentia, dum in ſponſo Chriſto confidens, ipſius beneficià, quæ ſunt incarnatio, mors, & reſurrectio, confeſſa eſt, cuius occaſione à ſponſo ipſa bis pulchra cõmendatur, mutuoque ſuam in ipſum laudationẽ refert, nunc verò demonſtrat, ſe eſſe correptam de ignorantia, & confitetur ſe Deum habere præſentem, non abſentem à quo quæſierat, & vbi paſceret, & vbi cubaret in meridie, quaſi hæc duo potiſsimum ignoraret, & ob hanc cauſſam in his verbis ſe ipſam de hac duplici ignorantia corrigens, confitetur ſponſum paſcere in ſe ipſa, dum inquit. *Lectulus noſter floridus*, & rurſus ipſum in ſe ipſa cubare, dum ſubiungit, *Tigna domorum noſtrarum cedrina*, ac ſi dicat ô mi ſponſe Chriſte, ego quaſi ignorans, & meę ſalutis inſcia, abs te quærebam

vbinam tuos electos pasceres,modo cognosco te illos pascere in me ipsa, nam tu pascis inter flores,& lilia,*& Lectulus noster floridus est*,,Ita vt vir iste egregius per lectulum ecclesiæ floridum, ipsammet ecclesiam intelligi velit. Rursus D. Tho. & doctus Haymon, & glossæ ord. auctor,putant quidem sponsam ecclesiam Christum sponsum affari,á quo requiem petat, & tranquilitatem; quasi finita hyeme afflictionum,& miseriarum, quas ipse Christus passus est á primo incarnationis momento ad Resurrectionem vsque,tunc enim diuinarum rerum contemplationi liberius insistit ecclesia ac cæteris bonis operibus,ieiuniis nempe,orationi,atque eleemosinis, cum aliquantula pace,& requie sibi concessa fruitur.Quare per lectulum floridum qualemcumque huius vitæ requiem hi doctores symbolicè designant, nam quasi in bello est ecclesia,dum pro Christi nomine diuersa tolerat certamina, contra verò quasi in lectulo requiescit, cùm aliquantula pace sibi concessa fruitur. Iacobus autem Valentinus non eundem certè sensum allegoricum proponens,opinatur,ecclesiam sponsam in his verbis Christum alloqui, rationemque reddere,cur lectulus communis,qui natura est humana,sit floridus,hoc est,virtutum & gratiarum varietate ornatus,ac si dicere velit,ò mi sponse,quia tu pulcher,& decorus,hoc tabernaculum tuum, quod est humana natura, tua diuinitate ornare voluisti; inde est, vt lectulus noster sit floridus,vt hæc nostra natura uariis sit donata gratiis,& virtutibus; At omnium optime, vt ego censeo, Hugo Card. & recentiores interpretes, præsertim verò Cosmas Damianus & Alph. August. prophætæ Salomonis intentionem tangunt, inquientes, Ecclesiam sponsam in sui sponsi Christi tàm pulchri, atque decori amorem ita raptam fuisse,atque accensam,vt nihil illa magis optet quam spiritali quadam coitione cum ipso, congredi, & spiritales ipsi filios, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo genitos,parere,atque educare; quò fit,vt communem sibi cùm Christo lectulum floridum proponat, & communes domos memoret cedro, & cypresso cõsignatas,vt huius compos desiderii fiat,inquiens,ò mi sponse, quoniam tu pulcher es ex te ipso, ego verò itidem pulchra sum propter te, quid obsecro, aliud restat, nisi vt demus oscula? Iungamur amplexibus? Recumbamus in lectulo? & simul congrediamur, verùm pudore mulicbri suffusa id postulare erubescit,,at satis rogat,dum caussam rogandi insinuat dicens, *Lectulus noster floridus est, tigna domorum nostrarum cedrina*, & cætera. Subiungunt autem ambo recentiores interpretes,lectulum floridum vtrique sponso,hoc est Christo, & ecclesiæ communem,esse vnam omnium fidelium mentem spiritalem,omnibus gratiarum spiritus sancti floribus decoratam,in qua quiescit Christus neque ad sæculi consumationem, quemadmodum ore suo pollicitus fuit; & licet

omnium

omnium fidelium mentes numero sint plures, vna tamen omnes meritò censentur, propter spiritus & charitatis vnitatem; Addunt prætera Hugo Card. & frater Alph. per lectulum floridum, in quo Christus quiescit, regnum quoque Christi, & ecclesiæ significari posse, quod omni florum genere nitet, rosis videlicet charitatis in Martyribus, Liliis castitatis in Virginibus, violis humilitatis, in confessoribus, solsequiis obedientię, in Monachis, & Anachoritis, & demum Hiacintis fidei, & spei in Contemplatiuis; Et sanè aut hoc, aut illud per lectulum vtrique sponso communem intelligamus, idem ferè est, cum nihil aliud sit ecclesiæ Christiq; regnum, nisi omnes fidelium mentes, in vna Christi ecclesia simul iunctæ in quibus fidelium Christi mentibus, aut in quo ecclesiæ militantis lectulo, Christus sponsus bonis eius operibus delectatus quiescit, vt ipsemet in Psalmo aiebat. 131. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*. Dicitur autem *Lectulus*, non *Lectus*, vniuersa Christi ecclesia, quæ extendit palmites suos, vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, cùm ob sponsi immensitatem, quem hominem, & Deum, cœli & cœli cœlorum capere nequeunt, tùm ob maximam vocatorum multitudinem, qui sunt in ecclesia, tùm etiam ob vtriusque sponsi humilitatem incredibilem, qui mites sunt, & humiles corde. Ego verò cùm præcedentibus hæc verba ita copularem atque exponerem, vt sponsa ecclesia, ex sponsi christi beneficiis, ob eius incarnationem mortem, atque à mortuis resurrectionem, omni ex parte foris, & intus, ab omni peccatorum labe se mundatā cognoscens, sponsumque suum Christum, cui primò nec species erat, nec decor, omnino pulchrum, atque decorum, ob gloriosam ex omnibus inimicis reportatam victoriam, læta conspiciens, præ gaudio coram sponso gestiat, & dicat, nunc certè ò mi sponse, nunc tempus est quietis, & pacis, nunc tempus lætitiæ, & spei, nunc tempus nouitatis, & iuuentutis, nam omnibus inimicis nostris abs te solo, qui solus torcular calcasti, morte tua in ara crucis strenuè debellatis, dæmone superato, ablato peccato, morte destructa, mundo deuicto, el auso inferorum regno, & cælesti paradiso reserato, cuncta quiescunt in pace, cuncta læta sunt, & iucunda, cuncta firma, & perpetua manent, vt illud, iure quidem optimo, cùm Propheta in Psalmo 4. nunc canere possimus: *In pace in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu domine singulariter in spe, constituisti me*, & rursus hic cùm Salomone dicere, *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cupressina;* Nam lectulus quietis est, ac tranquillitatis symbolum, flos autem spei, ac lætitiæ, quinimò nouitatis, & iuuentutis est indicium Cedrus denique & cupressus firmitatis, & soliditatis, dicam etiam regni Christi perpetuitatis sunt signa, audite domini, & omni attentione audite,

 si post

si post gloriosam Christi resurgentis victoriam, sit tempus quietis, & pacis, *Pax vobis*, aiebat ipse, audite si tempus sit lætitiæ atque spei, quæ omnem expellit timorem, *Ego sum*, inquit ipsemet Christus, *Ego sum, nolite timere, confidite, ego vici mundum*, audite si tempus est nouitatis, & iuuentutis, *uiderunt iuuenem in dextris sedentem monumenti*, illæ tres fæminæ famosæ, & Christus ipse dicebat, *refloruit caro mea*, & Apostolus, *Exuite idm ueterem hominem, & induite nouum, qui secundum Deum creatus est, donec occurramus omnes in uirum perfectum, in uirum ætatis plenitudinis Christi*; Audite demum si tempus sit firmitatis ac regni Christi perpetuitatis, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt ad uersus eam, sed regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*, Atque de his hactenus.

LECTIO LXXIIII.

Lectulus noster floridus.


POST diuturnos maximosque hominum labores, nihil medius fidius, nihil ipsis laborantibus, quiete iucundius, ac suauius ocio esse solet; Inde qui longis itineribus, ac difficilibus terram peragrarunt, aut qui magnis, & duris in laboribus se exercuerunt, si quod pratum variis beneque olentibus floribus exornatum, si quem locum quietis, & tranquilitatis plenum inueniant, ibi quàm libentissimè decumbunt, & conquiescunt: Quid mirum igitur, si post tot tàmque magnos labores, post tantos, tàmque graues, & corporis, & animi molestias, quas Christus dominus noster factus homo per annos tres supra triginta, pro generis humani salute, sustinuit, nunc peracto itinere, cursuque completo gloriosus à mortuis resurgens, in florido sibi lectulo à sponsa oblato, tranquillo animo quiescit; Iste profectò est floridus vtriusque sponsi lectulus, summa nimirum Christi; & ecclesiæ, pax, & tranquillitas, quam ipsemet Christus, & sibi & nobis gloriose comparauit, quando quidem, etsi in Sacro eloquio lectulus, cubile, & stratum, varia nobis mystice designant, potissimum tamen ocii quietem, & pacis tranquillitatem exprimunt, vt in hoc loco asseuerant D. Gregorius D. Tho. Doctus Haymon, & glossæ ordin. auctor. Significat sanè lectulus, aliquando cordis arcanum, vt D. Greg. ait. 8. lib. Mor. cap. 17. illa verba Salomonis explanans, quæ Canticorum cap. 3 o. habentur, *in lectulo meo*, hoc est in corde meo, *per noctem quæsiui, quem diligit anima mea*, Et nonnunquàm per lectum monachorum claustra & mona-

monasteria intelligi possunt, vt existimat D. Bern. serm.46.super cantica sub his verbis, *in Ecclesia quidem lectum, in quo quiescimus, claustra existimo esse, & monasteria, in quibus quiete uiuimus, ab huius sæculi, & uitæ sollicitudinibus alieni;* Atque is lectus floridus demonstratur ex exemplis, & institutis fratrum, tanquàm quibusdam bene olentibus respersa floribus, fratrum conuersatio, & vita refulget; Nec non mentem Sanctam, aut iusti hominis animam, quæ sedes est spiritus sancti ac templum Dei lectulus nobis indicare videtur, vt placet D. Greg. suis in commentariis super cantica cap. 3. Cum dicit, *Patres sancti; & doctores lectulum Salomonis ambiunt, quia mentem sanctam in qua Christus quiescit uerbis, & exemplis muniunt;* Imò verò, vt idem doctor sanctus astruit in expositione super psalmum 6. quem pęnitentialem vocamus, illa verba interpretans, *Lauabo per singulas noctes lectum meum,* cuiuslibet hominis conscientiam per lectum intelligere possumus, nam sicut in lecto iacentes quiescimus, ita in conscientia nostra aut Deo, aut dæmoni adhærentes, aut legi Dei, aut legi peccati consentimus, lectum ergo per singulas noctes lauat, qui conscientiam à cogitationibus tenebrosis lachrymis compunctionis emundat; Nec me fugit carnis etiam voluptatem, ac mundi requiem temporariam aliquando per lectum designari; et apud D. Ioann. cap. 5. Legimus de illo homine triginta & octo annos in infirmitate sua habēte, cui iam sano effecto Dominus dixit, *Surge, tolle grabatum tuum & ambula,* & quid enim per grabatum nisi corporis voluptas designatur, quoniam omnis, qui adhùc vitiis oblectatur, infirmus in carnis voluptatibus iacet. Verùm si qua res est, quæ aptè, & accommodatè lectuli nomine exprimatur, hæc mehercule est quies, pax, & tranquillitas corporis, & animi iucunda, in lectulo namque quiescimus, in lectulo tranquillè viuimus, in lectulo demum sponsus, & sponsa, optata pace amoreque fruuntur, nonnè Dauid Propheta hoc nobis in psalmo 4. palàm declarauit, cum vnico versu, & pacem, & somnum, & quietem perbellè coniunxit inquiens sub Christi sponsi persona *in pace in idipsum dormiam & requiescam?* Hinc Gloss. ord. auctor in hoc loco aiebat, *per hunc lectulum intellige pacem ecclesię, in quo flores uirtutum nitent, & redolent, quasi hyeme afflictionum transacta, quę quasi uentus urens, teneros ecclesię flores ūrit, & consumit;* Et quid manifestius dici potest? Illud certè dicam ego, hanc Christi, & Ecclesiæ quietem, pacem, & tranquillitatem, quam sibi; & nobis, post gloriosam à mortuis resurrectionem, ipsemet Christus comparauit, per lectulum floridum hìc designatam, per illum quoque iuuenem in dextris Christi sepulchri sedentem nobis cōgruenter præmonstrari; nam sedes quietis, & pacis est indicium; & iuuentus per florem symbolicè declaratur, ita vt idem ferè sit, quod in

hoc loco dicit ecclesia sponsa, *Lectulus noster floridus*, & quod de tribus mulieribus, in euangelio D. Marci cap. 16. dicitur: *Et uiderunt iuuenem in dextris sedentem*; ò rem pulchram, & omni admiratione dignam, si lectulus est floridus. nonnè qui sedet iuuenis est? Si lectulus quietis, non nè sedes requiei est symbolum? Si flos lætitiæ & spei, nonne iuuentus gaudii est indicium, atque fiducię? Audite obsecro, & quid filiis Zebedei, mater illa à Christo expostulabat, nisi corporis animique quietem? & quonam in loco summa pace & tranquillitate Christus fruebatur nisi in cælesti gloria apud Deum, apud quem non est transmutatio, nec vlla vicissitudinis obumbratio? At Christus ad dexteram Dei patris sedere dicitur, & mulier illa filios sedere petiit, vnum ad dexteram Christi, & alterum ad sinistram in regno eius; Requies igitur ita per sedem, sicuti per lectulum designari potest. Præterea si spes, vt illam diffinit Speusippus Platonicus futuri boni est expectatio, & ob id iuuenes æquius sperant, quàm timeant, contrà verò senes cuncta desperant, certè iuuentus omnis spei plena, per florem figuratè exprimitur, qui Spei Hieroglyphicum est, apud Aegyptios Sacerdotes; at illud vnum adnotatu dignum in his verbis existimo, cur nempe ecclesia sponsa hunc lectulum, non Christi nec suum esse, dixerit, at vtrique communem appellarit inquiens, *Lectulus noster*, cùm præsertim pax, & tranquillitas quę per lectulum significatur, non Christo soli, nec Christo simul & ecclesiæ, at soli ecclesiæ, hoc est membris Christi reddita sit à Deo, per Christi incarnationem, mortem, atque resurrectionem. Verum si dicamus Christum suis meritis infinitis hanc nobis pacem cùm Deo, ac tranquillitatem comparasse, dubio procul intelligemus, & suum, & nostrum, & Christi, & Ecclesiæ, hunc quietis lectulum dici posse, Christi nimirum, quoniam illam comparauit, & ecclesiæ quoniam propter ecclesiam illam Christus adeptus fuit, etenim Christus hinc discessurus, & in cœlum ascensurus ad patrem, suis dicebat Apostolis, in quibus primitiua continebatur ecclesia, aiebat inquàm, *Pacem meam do uobis pacem relinquo uobis*, pacem videlicet supernam, & infernam, intus, & foris, a dextris, & a sinistris, supernam cùm Deo, infernam cùm Dæmone, intus cùm animi nostri affectionibus, foris cùm mundo, à dextris cùm angelis, et à sinistris cùm omnibus inimicis. Et quàmquàm omnes Christi fideles post gloriosum ipsius in cœlum ad patrem ascensum, maximas semper, et acerbissimas, à Tyrannis passi sunt, et quotidie patiuntur afflictiones, diraque supplicia, omnia tamen dulcia illis erant, et iucunda: *Ibant enim Apostoli gaudentes à conspectu Consilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu, contumeliam pati*, quippe qui omnes cruciatus placidè sufferentes, doloribus, et miseriis oblectabantur, in martyriis gloria coronati triumphabant, ueraque et perfecta Dei pace, in mediis etiam certaminibus fruebantur.

LECTIO LXXV.

Tigna domorum nostrarum Cedrina, laquearia nostra Cipressina.



SOLENT vt plurimùm sponsus, & sponsa mutuo se amantes; floribus non solum, at suaui quoque odorum fragrantia oblectari,& hac de caussa sponsa suo cùm sponso sermonem habens, tàm lectulum floridum commemorat, in quo simul accumbant, quàm tigna domorum cedrina,& laquearia cupressina bene olentia proponit, in quibus libentissime cõquiescant, ac si dicat pulcher es ò mi sponse, & ego pulchra sponsa, rursus pulcher est lectulus, quia floridus, & demum domus est pulchra, cuius tigna cedrina sunt, & laquearia cipressina; Quoniam verò quid per lectulum vtriusque sponsi floridum mysticè nobis designetur; in præcedente sermone satis actum est, nunc quid per ipsorum coniugum domos, quid per tigna cedrina, & quid per laquearia cipressina significetur explicare debemus; Primum autem nonnulla ad literę sensum pertinentia proponenda,& declaranda occurrunt, ex quibus illud vnum est, Origenem, & D.Hieron. existimare non sponsam eum sponso,& contra sponsum cum sponsa hìc verba facere, quippe qui sponsę, lectulum sponso se parasse floridum nuncianti, respondens, illam edoceat, cuiusmodi sint tecta ista communia, & qualis in eis materia contignationis habeatur, à quibus tamen duobus interpretibus, cæteri omnes discentientes, longè melius, vt ego opinor, affirmant, sicut in proximè præcedentibus, ita in his verbis, quæ nunc præ manibus habemus, sponsam loqui; cùm sponso illique floridum se habere non solum lectulum, at domos etiam tignis cedrinis, laquearibusque cipressinis suffultas, & exornatas nunciare, vt his blanditiis illum alliciat, ad castissimosque amplexus callidæ instar Amasię, libentius pertrahat, dicens *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cipressina*. Præterea quod reliqui omnes legunt *tigna cedrina*, & *laquearia cipressina* nominibus, vt inquiunt, adiectiuis vtentes, illi duo antiqui explicatores substantiua nomina vsurpantes aiunt, *tigna cedri*, & *laquearia cipressi*. Adhùc illud adnotatu dignum existimo, sponsam per domorum tigna minores intellexisse trabes, quibus propriè superponitur tectum, per laquearia verò maiores trabes exprimere voluisse, quibus & tigna & domorum tecta nituntur, quàmquàm tignorum nomine, vt Vlpiano placet, omne genus materiei intelligi potest,

ex qua singula constant ædificia, quinimò,& omnia vincis necessaria sub tigni appellatione continentur, vt puta pertice,pædamenta,& alia id genus; laquearia verò etsi cubiculi,aut cænationis partes superiores & conuexę dicuntur, quæ variis pingi, & ornari solent coloribus,& sculpturis, attamen trabes etiam designant, à nomine lacus significante trabem in ædificiis planam, cuius diminutiuum est lacunar,à quo lacunarium seu lacunaria, deriuantur, & per antisthethon laquear dicitur,& laquearium, siue laquearia; Demum animaduerto sponsam summa ratione ductam, & tigna cedrina, & laquearia domorum cipressina nuncupasse, nam vtraque ligna & odore præ cæteris præstant, & firmitate; Inde Plinius libro 6. naturalis Historiæ cap. 4. inter ligna, quæ cariem vetustatemque non sentiunt, cedrum numerat, & cupressum, ob hanc caussam,ad ædificia construenda quam maximè apta,cedrus autem, vt naturales Philosophi docēt,gemina est,maior nimirū, & minor,maior est arbor,nascens in mōte Libano, qui mons est Iudeæ,& minor reperitur in montibus Istriæ, & in collibus etiam Ciuitatis Narniensis prope vrbem, & de maiori loquitnr hìc Propheta Salomon, cuius potissimum materia firma est, ac vetustatem nesciens: Verùm cupressus, etsi diuersis in locis nascitur,propriè tamen reperitur in Insula Candiæ, & in montibus Idæis, qui respiciunt Thraciam,hæc autem duplicis est generis, nam inuenitur tàm mas,quàm fæmina, & sicut fæmina pyramidis instar excrescit,& in acutū tendit,ita mas suos ramos dilatat, & acuminatum fastigium nescit; Hìc autem prophetam de fæmina cupresso sermonem habere censeo,tùm quoniam pręstantior est, ac nobilior, tùm quoniam firmior est, ac suauius olet; Sed de his, quæ spectant ad literæ sensum hęc satis dicta sint; Nunc ad ipsius spiritus mysteria accedamus, & Primum Origenes, & D. Hieron. existimant sponsum Christum in his verbis domum Dei, quæ est Ecclesia describere, cuius tigna sunt cedri, idest presbiteri, qui Ecclesiam contegunt, & regunt, debent esse ueluti cedri fortes, & validi, & alii debent esse fortiores, ac validiores, qui trabes,seu laquearia cupressi nuncupantur, & hi sunt Episcopi, qui Episcopatum bene ministrantes in Ecclesia Dei, maiores trabes dici possunt,quibus tegitur,ac sustentatur,& defenditur omne ædificium, vel ab imbrium labe, & sunt Hæretici; vel ab ardoribus solis,& sunt infideles Tyranni, Dicuntur autem in maiori numero domus nostrę, quoniam etsi vna est Orthodoxa, Catholicaque. Ecclesia, plures attamen sunt Ecclesiæ particulares, in quibus præsbyteri, ac simplices sacerdotes,tigna cedrina,quæ sunt minores trabes mysticè appellantur, Episcopi verò & doctores laquearia cupressina, quæ sunt maiores trabes, dicuntur, vt tàm istos,quàm illos in bonis operibus solidos,& in doctrinæ Cœlestis gratia fragrantes esse debere pateat, quàm

inter-

interpraetationem vnanimi ferè consensu amplectuntur D. Greg. D.Ber. Hugo Card. D. Thom. doctus Haymon.Glossæ ord. auctor,& nonnulli ex recentioribus, vt frater Alphonsus, & Cosmas Damianus:Etenim D. Greg. ita exponit; per domos ecclesias particulares intelligimus,quæ sunt domus sponsi Christi, & generalis ecclesiæ, per tigna verò Cedrina Concionatores verbi Dei significamus, & per laquearia cipressina ipsos fideles populos audientes figuramus; nam tigna tectum sustentant,laquearia verò domum implent, & ornant, sic in sancta Dei ecclesia boni concionatores illam in corde portant, & ore, quam Christi fidelibus, quasi tectum expandentes prædicant, vt dum cælesti doctrina instruuntur, munimen accipiant, quò à tentationum imbribus protegantur,D. autem Bernar. ecclesias quidem particulares, & pios Christianorum conuentus per has domos exponit,& tigna non solum Episcopos,& Ecclesiarum prælatos, at principes etiam sæculares designare dicit, cùm tàm sæculares, quàm religiosi principes iustis impositis legibus, quasi tigna parietes, Christi fideles populos stringunt, ne sua quique lege,aut voluntate viuentes, tamquàm parietes inclinati;& maceriæ depulsę,à semetipsis dissideant, & hoc pacto ædificii structura corruens dissipatur; Laquearia verò quę à tignis firmiter pendent,domosque insignitur ornant, putat benè instituti cleri bonos mores esse, rectèque administrata officia, nam quomodo starent clericorum ordines,eorumque administrationes, nisi principum, tanquàm tignorum, beneficio,& munificentia sustententur, & protegantur? Et quoniam tigna cedrina sunt, ligna videlicet imputribilia, odorifera, & altæ proceritatis, ob id nobis indicant quales oporteat assumi viros vice tignorum, validos nempe, & fortes, bonæ famæ odorem spargentes, longanimes in spe, & ad superna mentis verticem attollentes, quemadmodum,et laquearia cupressina demonstrant quemuis de clero debere esse incorruptæ fidei,ac boni nominis, vt astruit Apostolus cap. 2. posterioris epist. ad Corinthios inquiens, *Christi bonus odor summus in omni loco*. Rursus Hugo Card.ita explicat, domus nostræ sunt ecclesiæ particulares, quæ fide, spe, et charitate vnitæ,vna sunt generalis ecclesia; tigna verò, quæ parietes stringunt,et tectum sustentant, et bina collocantur, et locum altiorem tenent in domibus,sunt ipsi concionatores, qui locum eminentiorem in ecclesia Dei possident, cùm officium Apostolicum, et angelicum gerant, qui bini geminæ charitatis glutino copulantur, cùm Dei proximique amorem populo nunciant, qui deniqùe ecclesiæ tectum sustentant, cum maxima animi tolerantia imbres afflictionum sustinent, at laquearia, quæ ligna sunt subiacentia tignis, et parietibus superposita, minores ecclesiæ clericos, hoc est,simplices sacerdotes designant; qui Episcopis,quasi tignis,subiacent,

& reli-

& reliquis Christi fidelibus, quasi parietibus, superpositi imperant, illosque ne per diuersos dispergantur errores constringunt: Adhùc D. Tho. & doctus Haymon idem penè astruentes aiunt, domus ecclesiæ sunt, & Christi conuenticula per totum terrarum orbem diffusa, quarum tigna cedrina doctores sunt, doctrina, & eloquio, ecclesiam fulcientes, laquearia verò cupresina iusti sunt, & sancti homines, simplicitate gaudentes, qui bonis eorum moribus, & sanctis operibus, ecclesiam exornant. Sed benè dicuntur hæc, & illa cedrina, & cupresina, quoniam vtraque arbor imputribilis est, ac odorifera, sicuti ecclesiæ doctores, & simplices Christi fideles diuturno sui conditoris amore flagrant, bonique nominis odorem vbique effundunt: Præterea, glossæ ordin. auctor, per domos designari putat ecclesias particulares, per tigna cedrina verbi Dei concionatores exprimit, qui verbo, & exemplo ecclesias fulciunt, & tandem per laquearia cupresina infirmiores Christi fideles intelligit, tignis concionatorum adhærentes, qui ad decorem ecclesiarum spectant. Alphon. Aug. cui Gilbert etiam Genebr. assentiri videtur, hæc verba ita explanat, domus sunt ecclesię particulares, tigna doctores, & ecclesię prælati, qui ceu maiores trabes domum Dei sustentant, laquearia verò, seu trabes minores, ii sunt, qui aliqua pollent in ecclesia dignitate: Verum ab his omnibus explicatoribus Græcis, & Latinis dissentiunt Aegidius Card. Cosmas Damianus, et Iacobus Valentinus, nam Aegidius Roman. per domos mysticè designari putans fidelium mentes, seu animi nostri facultates vti sunt memoria, intellectus, & voluntas, & per tigna cedrina virtutes spiritus sancti exponens, & per laquearia cupresina ipsius met spiritus sancti dona intelligens, inquit ecclesiam sponsam ita Christum sponsum affari: ò mi dilecte, non solum in me ipsa, te pascere fateor, quia *Lectulus noster floridus est*, verùm etiam in me ipsa te cubare confiteor, quoniam *tigna domorum nostrarum*, idest mentis, et conscientiæ nostræ facultates, *cedrina sunt* propter virtutes spiritus sancti, & *laquearia sunt cupressina* propter eiusdem spiritus sancti dona, nam dona spiritus sācti, ob maximum, quem effundunt odorem cupresina sunt, et spiritus sancti virtutes, ob diuturnam ipsarum in nobis mansionē, cedrinæ sunt quemadmodum imputribilis est arbor, et cupressus odorifera: Cosmas autem Damianus existimat domos communes Christi fidelium corpora, et animas esse, quæ sancta sunt, & viua Dei optimi maxi. templa, contignata, tignis cedrinis, hoc est minoribus virtutibus, vti sunt humanæ virtutes, et Cardinales, prudentia, iustitia, fortitudo, ac temperántia, et laquearis cipresinis hoc est maioribus virtutibus, vti sunt Theologicę ac diuinę, fides, spes, charitas; nam virtutes tùm inferioris ordinis, tùm superioris erratorum putredinem, instar cedri, nesciunt, et ceu cupressus, odore optimo, gratam Deo

præbent

præbent habitationem in nobis, vt ait Apostolus cap. 3. prioris Epistolę ad Corinthios scriptæ, *Templum Dei sanctum est, quod estis vos:* Demum Iacobus Valentinus naturam Christi humanam, domum nostram esse exponit, quoniam ipse Christus caro nostra est, & nos eiusdem cùm ipso naturæ sumus, huius autem domus tigna cedrina sunt, & laquearia cupresina, quoniam caro eius in putrilibis est instar cedri, & ipsius anima çeu cupressus, omni diuinarum gratiarum odore referta, illum hinc inde diffundit; aut potius caro Christi instar cupresi, quæ arbor est imputribìlis, ac diuturna, haud putrescere potuit, vt dicitur in Psalmo 15. *Et non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, & eius anima, veluti cedrus, quæ venenorum noxam, & serpentis morsus repellit, & curat, nec peccati venenum sensit, nec antiqui serpentis morsum experta est, vt ipsemet Christus apud D. Ioannem cap. 14. inquit: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*. Ego verò hæc verba ita interprætarer, vt sponsa Ecclesia postquàm coram sponso Christo, præ gaudio gestiens dixit, ò mi sponse, *Lectulus noster floridus est*, hoc est nunc tempus est quietis, & pacis, nunc tempus lætitiæ, & spei, hìc iterum læta subiungat, & dicat, *tigna* quoque *domorum nostrarum sunt cedrina, & laquearia cupressina*, nimirum nunc regnum ecclesiæ solidum est, ac firmum, nunc præclarum, & gloriosum, nunc post tuam à mortuis resurrectionem regnabimus in domo Iacob in æternum, & dominabimur à mari, vsque ad mare, cùm cedrus & cupressus, quæ, ligna sunt imputribilia, & odorifera, firmitatis indicia sint, ac perpetuitatis, ita inquiebat Angelus Gabriel de Christo in Euangelio Diui Lucæ cap. 1. *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*; Quod idem cecinit Propheta Salomon in hoc loco dicens, *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cupressina.*



LECTIO

LECTIO LXXVI.

Tigna domorum nostrarum cedrina,
Laquearia nostra cupressina.



DECEBAT mehercule, vt communis sponsæ & sponsi lectus floridus, in domibus esset cedrinis trabibus, ac cypressinis contignatis, omnique nitore splendentibus, hoc est oportebat, vt pax Christi; & spes ecclesiæ florida, veraque tranquillitas in summa regni firmitate reperiretur, & gloriosa perennitate, quandoquidem si *concordia paruæ res crescunt, & discordia maximæ dilabuntur*, vt aiebat Salustius, imò verò si *Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur*, vt inquit Redemptor noster, apud D. Lucam cap. 11. vbi profectò vera pax erit, ibi summam quoque esse regni firmitatem, necessum est; quare has sacrorum coniugum domos, Ecclesias nimirum particulares, quæ sunt vna Catholica, ac generalis ecclesia, nobis symbolicè designare existimo, sicuti tigna domorum cedrina, & laquearia cypressina ipsius vniuersæ ecclesiæ firmitatem, perpetuitatemque figurant. Neque me latet domum in scripturis sanctis varia nobis mysticè significare; nam quandoque vnumquemque fidelem, ac verum sanctum Dei domum nuncupari legimus, & templum spiritus sancti; vt eruditè animaduertit D. August. super psalmum. 126. illa verba exponens, *Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam;* inquit enim, *Domus Dei populus est Dei, quia domus Dei templum Dei est, omnes autem fideles qui sunt domus Dei, non solum qui modò sunt, verùm etiam qui ante nos fuerunt, & qui post nos futuri sunt, usque in finem sæculi, cõgregati sunt in vnum, vt fiant æquales angelis Dei, & omnes simul unam Dei domum efficiunt:* Nonnunquàm etiam cor hominis seu mens, & conscientia domus appellari solet, vt astruit idem doctor sanctus, libro vnico de octo quæstionibus Dulcitii, quæstione quarta dicens, *Domus eius cor eius est, ubi Deo habitante opulentius habitat cùm spe uitæ æternæ, quàm hominibus habitantibus in marmoreis laqueatisque tectis, cum timore mortis æternæ* quod D. Greg. libro. 8. Mor. cap. 14. affirmans aiebat, *Solet per domum inhabitatio cordis intelligi*, vnde cuidam sanato dicitur, à Christo in euangelio D. Marci cap. 5. *Vade in domum tuam*, quia dignum est vt peccator post veniam ad mentem redeat suam, ne iterum puniatur à Deo: Rursus Christi corpus naturæ diuinę domus, & templum nuncupatur à Salomone Propheta Prouerbiorum cap. 9. cum ait *Sapientia ędificauit sibi domum,*

domum, quæ verba explanans D. Greg. lib. 33. Mor. cap. 21. inquit, *Sapientia domum sibi condidit, cùm vnigenitus Dei filius in semetipso, intrà uirginis vterum mediante anima humanum sibi corpus creauit; Sic quippe corpus vnigeniti, Dei domus dicitur, sicut etiam templum Dei vocatur.* Adhùc ex D. August. suis in commentariis super psalmum. 83. cœlum ipsum seu potius cælestem beatorum spirituum gloriam, per domum Dei exprimi posse colligimus; nam dicit doctor sanctus, *Domum tuam si habueris pauper es, si domum Dei habueris, diues es;* Et tandem ecclesia Dei domus vocatur, vt in hoc loco quàm plures doctores sancti affirmant, potissimum verò Origenes, D. Hieronymus, D. Greg. D. Bernar. Hugo Card. & alii quos in præcedenti sermone recensuimus: Iure autem, & quidem optimo ecclesia domus Dei, ob eius firmitatem perpetuitatemque dicitur habere tigna cedrina, & laquearia cypresina; Etenim cedrus ob eius perpetuam viriditatem, vt D. Hieron. placet, super Isaiam cap. 2. & D. Greg. lib. 32. Moralium cap. 12. designat quidem angelicos spiritus, & beatarum mentium agmina, in æterna cœlistis lętitię viriditatę plantata, quod à Propheta Ezechiele cap. 31. accepit, inquiente *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei:* Nec non ob maximam sui fæcunditatem virum iustum, & bonorum operum fructibus abundantem figurat cedrus, vt dicitur in psalmo 91. *Iustus ut palma florebit, sicut cedrus libani multiplicabitur:* Quàmquàm cædrus superbos etiam homines ob summam eius proceritatem; ac folia dura, acuta, & spinosa, superborumque hominum potestatem exprimit, vt dicitur à Propheta tùm in Psalmo 20. *Vox domini confringentis cedros*, tùm in Psalmo. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedrus Libani:* At inter poetarum quoque insignia palmam non solum, & laurum, sed myrtum etiam, & cedrum adiungere gloriosum est, vt de viro virtute, ac doctrina, præstante illud dictum circumferatur, *& cedro digna loquutus:* Quinimò cùm cedrus, fructus gignat visu pulchros, odore gratos, & sapore suaues, pietatis certè apud Hebræos, ac misericordiæ, symbolum est, quippèqui de fructu eius solennem quendam diem celebrabant, quasi diuinæ misericordiæ opem implorarent. Verùm firmitatis potissimum atque æternitatis indicium est, super omnes arbores ipsa cedrus, cuius materia exqua fœderis arca fabrefacta fuit, neque putrescit, neque cariem patitur; hoc autem verùm pariter est de cupresso, quæ quidem arbor, etsi funera, & virorum præsertim nobilium sepulchra designat, vt ex versu Lucani colligimus iu quientis.

— Et non plebeios luctus testata cupressus.

Quod & Thucydides libro historiarum secundo asseruit dicens, arcas ex cupresso fabrefactas fuisse, vt in iis eorum ossa reponerentur, qupro

salute

salute patriæ mortem subire non dubitassent; Attamen firmitatis etiam symbolum est atque perpetuitatis, ob eius materiam, quæ non putrescit; Inde Plinius attestatur simulachrum Iouis ex cupresso in arce dicatum, à cõdita vrbe 661. anno suis adhùc temporibus durare, & Plató hac ratione ductus, leges publicas, acta, & decreta tabuliscupresinis inserenda monuit, quòd arbitraretur cupresi materiam aere firmiorem, ac perenniorem esse: si res igitur ita se habet, vt cedrus & cupressus inter cæteras eccellentias firmitatis indicia sint, & perpetuitatis, tigna profectò cedrina, & laquearia cypresina, quibus sponsę & sponsi domus contignata splendidisimè nitet; Christi & ecclesię regnum post eius mortem salutarem, & gloriosam à mortuis resurrectionem, quàm maximè firmum indicant & sempiternum: Dictum sanè fuit à Christo redemptore nostro apud D. Matth. cap. 23. de Iudęorum domo, cuius crebras instar meretricis in lupanari, exprobrant fornicationes, hoc est varios cultus, & ritus, quibus illa cùm multis gentibus idololatrix, vana illarum idola coluerat, ipsum aliquandò corruere debere, imò verò quàm citò, ceu domum desertam, ab omnibus relinquendam, aiebat enim, Christus, Iudæos alloquens, *Eccè relinquetur vobis domus uestra deserta*, at Christi, & Ecclesiæ domus, quæ est Ecclesia Dei, fidei tenacisima, firma manet in æternum, siquidem omnium gentium, tyrannorum, Hæreticorum, ac dæmonum agmina nunquàm præualebunt aduersus eam, in Christo petra, & in petra Petri fundatam.



LECTIO

LECTIO LXXVII.

Ego flos campi; & lilium conuallium:

DRAMATIS ordinem in ſuis verbis mutari; & nouam effici ſcenam, origenes, dumtaxat & D. Hieronymus exiſtimarunt, inquientes ſponſam è ſcena iam diſceſsiſſe, eiuſque loco ſponſi ſodales inductos fuiſſe, quos ſponſus de ſe ipſo alloquens, ita affatur; ò ſodales, & amici cariſsimi, *Ego ſum flos campi, & lilium conuallium*, At reliqui omnes, quos ego viderim interpretes, neque dramatis ordinem hìc mutari, neque nouam effici ſcenam aſſeuerantes, eaſdem, quę primò aderant, perſonas, ſponſum nimirum, & ſponſam in ſcena remanere; ſeque mutuò compellare dicunt; quàmquàm hoc ſolum inter illos diſcriminis intercedit; quòd aliqui ex antiquis doctoribus, vt Greg. Nyſſenus. Beatus Maximus, Neilus, Pſellus, & Euſebius, quibus accedunt nonnulli ex recentioribus, qui ſunt Iacobus Valentinus, & Coſmas Damianus, opinantur, non ſponſum de ſe ipſo cùm ſponſa, at contrà ſponſam de ſe ipſa loqui cùm ſponſo; quippe quę voti compos effecta, vt ſuis honeſtis blanditiis, & illectamentis ſponſus captus, vna cùm ipſa in lectulo florido, & in domo tàm ſplendide ornata, de more coniugum congredi voluerit; nunc prę gaudio geſtiens, quòd ſe grauidam ab ipſo factam ſentiat ob hanc fęcunditatem ſuam, floribus ſe comparat, qui in agro naſcuntur, & liliis conuallium dicens, *Ego ſum flos campi; & lilium conuallium*, ac ſi dicat, ò mi blande ſponſe, ex quo mecum in lectulo florido congredi voluiſti; & me fęcundo ſemine tuo grauidam effeciſti, flos equidem ſum campi, liliumque conuallium, vt nihil aliud reſtet, niſi vt tibi pariam filios, tibique dulces fructus producam, quorum ſpes certa ipſi flores. Alii verò explicatores Gręci & Latini, tàm priſci, quàm recentiores, vt Theodoretus, Beda Venerabilis, D. Greg. D. Bernar. Hugo Card. D. Tho. Doctus Haymon. Aegidius Roman. gloſſę ordin. auctor. Gilbertus Genebrardus. Alphonſus Auguſt. putant, ſponſum de ſe ipſo cùm ſponſa hìc habere ſermonem, ſeque coram illa per pulchre pingentem, à flore campi lilioque conuallium metaphoram aſſumpſiſſe inquientem, *Ego ſum flos campi, & lilium conuallium*, quaſi dicere velit ò ſponſa non mirum, ſi lectulus noſter floridus eſt, ſi tigna domorum noſtrarum cedrina ſunt, & laquearia cypreſsina, quandoquidem *Ego ſum flos campi, & lilium conuallium*, tù verò amica mea inter filias Hieruſalem, ceu lilium inter ſpinas nites, atque reſplendes; quam interpretationem literę ſenſum

reſpicien-

respicientem, aliis duabus potiorem, & probabiliorem amplector, & approbo. Sunt autem in his verbis tria, quę ad literę sensum pertinentia, notatu digna existimo; & primùm est, quod nos in uersione nostra legimus, *Flos*, Hæbrei legunt *Habatseleth*, quam vocem aliqui ex Rabbinis vt R. Salomon, & R. Dauid Kimhi vertunt *Rosa*, alii verò vertunt *Lilium* vt R. innominatus, & nonnulli vt in comm. Abbem Ezrę habemus dicunt esse florem eximium, odore fragrante, & specie nigricante; nos autem tùm quoniam Hebraicę linguę periti: *Habatseleth* florem in vniuersum designare volunt, tùm quoniam in versione nostra ab ecclesia Dei recepta legimus *florem* non *rosam*, aut *lilium* non hunc, aut illum florem eximium, dicemus *ego flos campi;* Rursus aliqua etiam animaduersione dignum censeo, quòd nos in versione nostra habemus *campi* hebręi legunt *Saaron*, aut *Saronitidis*, inquientes *ego flos Saaron;* est autem Saaron planities quędam à Cęsarea ad Ioppem vsque, vt D. Hieronymus scribit in libello de nominibus hebraicis, & de hac fit mentio apud Isaiam cap. 33. & actuum Apostolicorum cap. 9. Adhùc Hebręi legunt *Susanna*, quod nos dicimus in versione nostra *lilium*, & sanè aliqui ex Rabbinis, vt in comm. R. Selomon, & R. Dauid Kimhi habemus, vna cùm D Hieronymo vertunt *lilium*, quoniam opinantur *Susanna* deriuari, aut à *Shes*, quod est *sex*, cùm sex folia alba lilium candens semper habeat, aut à *Susa* Ciuitate, quę Persarum regni Metropolis est, & apud Persas *lilium* designat: hinc Elias in Tisbi de hac re ita scribit. Quidam aiunt Susanna florem esse candidum, qui vulgò *lilium* dicitur, imò verò D. Hieronymus & veteres Gręci scribunt, *Susanna* lingua Punica esse *lilium* & à liliis *Susas* Persarum Vrbem cognominatã esse, sicuti & oleum, quod ex liliis confectum est, susinum nuncupatur: Attamen alii sunt non contemnendi doctores, vt R. innominatus qui loco *Susanna*, *rosam* vertunt, nam re uera apud hebręos *Susanna* vernacula lingua idem est quod *rosa* pręter quàm quod eadem vox *Susanna* infrà quoque habetur, dum à sponso inter filias Hierusalem sponsa commendatur; ita namque legimus *sicut susanna inter spinas, sic amica mea inter filias Hierusalem*, at *rosa* quidem non *lilium* inter spinas esse conspicitur; quare *Susanna* vtrobique eodem modo acceptum, *rosam* potius quàm *lilium* significare videtur. Quoniam tamen Ecclesia sancta non *rosam*, sed *lilium* legit, nos etiam cùm illa dicemus *lilium conuallium*, ita vt ita sint legenda huiusmodi verba, *Ego flos campi & lilium conuallium*. Prætèrea in sensu literę id quoquę animaduertendum propono, sponsum videlicet non alicuius determinatę speciei florem, at sub generali quadam appellatione *florem*, & *campi florem* se nuncupare; Et quàmuis Eusebius opinetur, quod generatim per *florem* dictum est, speciatim per *lilium* ab ipsomet sponso expositum fuisse, ita vt illa coniunctio

ctio &, sequentium verbum sit declaratio, in hoc sensu, *ego flos campi, & idest lilium conuallium*. Ego tamen speciatim sponsum se florem vocasse arbitror, dum se campi florem dixit, qui uernacula lingua apud Hetruscos, aut appellatur *fioraliso*, aut dicitur *fior rosolacciolo*, qui quidē in locis campestribus crescunt, atque incultis, & sicut ille est coloris cœrulei, ita hic est ueluti rosa colore ruber, & sanguineus, qui quidem flos est stirpe gracilis, ad aspectum pulcher, & demū in medicamentis salutaris. Postremo loco illud vobis animaduertendū dico, lilij cōuallium noīe illum nobis significari florem, quem vulgò vocamus *maghetto*, qui flos est colore candidus, odore suauis, & visu pulcherrimus, nisi dicamus, vt Hebraicam versionem, & quam ex D. Hieronymo habemus, simul tueamur, dicamus inquàm, per lilium conuallium alteri lilij genus significari quod ut tradit Plinius, Græci *chilon* appellant, & est colore purpureum, qua de caussa fortè fortuna legunt aliqui ex Hebręis *ego Susanna* idest *rosa conuallium*, nam tertium est lilij genus omnibus notum, quod vt testatur Lucianus in Hercule Celtico, Græci ? lyrion vocant, & est colore candidum, vtpote quod è lacte Iunonis (ita fingunt poetæ) Herculi per somnum lac præbentis, germinarit, & de hac quoque fortasse loqui potest propheta; nam vt animaduertit Gilbertus Genebrardus suis in comm. super Cantica, ex testimonio R. Selono in hoc loco lilium dicitur conuallium, quod pulchrius est lilio in mōtibus crescente, perpetuò enim in conuallibus humidum est lilium, & viride, cùm ibi vis solis non admodum vigeat, sicuti in montibus: Atque de literæ sensu hæc satis dicta sint; Iam spiritus mysteria perpendamus. Primùm igitur ab ijs, qui dramatis ordinem hic mutari, & nouam effici scenam existimant, exordium sumam. Origenes itaque & D. Hieronymus ita exponunt, sponsus Christus suos alloquens sodales, qui sunt beati spiritus, inquit: ego flos fui in Iudæorum populo, hoc est in campo, qui Iudæorum est populus, & per prophetas, & legem colebatur, sed quoniam neminem lex ad perfectum deduxit, idcirco in huiusmodi campo proficere non potui, & ad fructuum perfectionem peruenire, at factus sum lilium conuallium, hoc est in conualle, quæ est plebs gentium effectus sum lilium, & quale lilium? tale sine dubio, quale pater cœlestis vestit; pater enim cœlestis, eo carnis vestimento filium suum Christum dominum nostrum vestiuit, quale nec Salomon in omni gloria sua habere potuit, quippe qui carnis innocentiam, nulliq; peccatò obnoxiam non habuit, sicuti Christus, nec habere potuit: Qui verò putant sponsam in his verbis, de seipsa cum sponso loqui, sic illa interpretantur, postquàm Christus à mortuis resurrexit, & ecclesiam sponsam in fide, spe, & charitate confirmauit, sensimq; illi, vt intelligeret scripturas, ape-

fuit; & pacem, summamq; tranquillitatem ei precatus est, ipsius tandem pulchritudine delectatus, & delicijs captus, cùm illa tunc spiritaliter congressus fuit, quando suis dixit Apostolis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis, retenta erunt*; & rursus. *Ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris, filij, & spiritus sancti*; qua maxima potestate gratiaq; recepta, ecclesia sponsa, quæ primùm sterilis erat, & infœcunda, grauida facta est, & fœcunda, spiritaliq; ipsius Christi semine diuino accepto, varijs succedentibus temporibus, varios filios ipsi sponso Christo parturijt. Quare ecclesia sponsa, ob hanc diuinam gestiens fœcunditatem, & Christo sponso quasi gratias agens, se florem campi, & lilium conuallium vocat, cùm illud Isaiæ, oraculum, quod cap. 15. habetur, in ipsa cõpletum sit: *Nimirũ lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda*; ac si ecclesia tacitè mordeat æmulam suam Synagogam, quæ ceu sterilis à sponso spreta sit, ac repudiata, in solitudinemq; redacta, ipsa verò ecclesia, comparatione sui ad florem campi, & lilium conuallium, sui feracitatem maximam præmonstret, atque fœcunditatem, inquiẽs: *Ego flos campi, & lilium conuallium*, hoc est ego profero & in Christo parturio fideles filios, filios probos, filios moribus, & virtutibus similes floribus, qui nitent in campo, & lilijs quæ florent in conuallibus; & hi quidam filij fideles, vnà cùm Apostolo cap. 2. posterioris epistolæ ad Corinthios, inquiunt *Christi bonus odor sumus in omni loco*, & sic exponit Cosmas Damianus, cùm antiquis interpretibus. Iacobus autem episcopus Christop. ita sponsam ecclesiam cùm Christo sponso loquentẽ inducit, postquàm ò mi sponse in humanitate tua, immunis facta sum ab omni labe peccati, & omni gratia repleta, *ego sum flos campi, & lilium conuallium*, quò ad munditiam, animiq; candorem. At longè melius, vt ego censeo, illi hæc verba explanant, qui sponsum de se ipso coràm sponsa ita loquentem inducunt, *ego flos campi, & lilium conuallium*, quàmquàm & isti de modo expositionis ab inuicem dissentiunt, nam Theodoretus ita exponit, ò sponsa humanam tui sponsi Christi pulchritudinem contemplaris, (nam Deum nemo vidit vnquàm,) & ob id factus sum *flos campi*, hoc est, sumpsi terrenum corpus, cùm sim ante secula sublimis, & factus sum *lilium*, non montium, non collium, sed *vallium*, quia non solùm viuis euangelizaui salutem, & ideo *flos campi*, sed mortuis etiam resurrectionem nũnciaui, cùm ad inferos descendissem, & ideo *lilium conuallium*: Verùm D. Greg. tropologicè potius de anima iusti hominis, quàm allegoricè de vniuersa Dei ecclesia verba hæc explicãs, ait, bene florem Christus se nominat; quia dum spinas peccatorum exterminat,


terminat, ipsius sponsę mentem, & pulchritudine suæ iustitię exornat, & naribus cordis dum cœleste desiderium applicat, interiora animæ, quasi odore refocillat. Adhuc D. Bernar. duas proponit interpretationes, quarum altera eã est, vt Christus sponsus se florem campi, liliumq; conuallium coràm sponsa appellet, ne sponsa ecclesia, flores illos quibus lectulus decoratus nitebat, sibi ascriberet, sed sciret, cui nitorem, de quo gloriabatur, ac suaueolentiam lectuli deputaret, Christo nimirum sponso, qui est *flos campi & lilium conuallium*, hoc est qui pacis, spei, ac omnium gratiarum largitor est munificentissimus; altera verò hæc est, inuitauerat sponsum Christum ecclesia sponsa, illumq; suæ pulchritudinis blanditijs ad lectulum floridum, hoc est ad maximam pacis tranquillitatem allicere conata fuerat, inquiens: *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, &c.* At sponsus Christus nè sponsa ecclesia, dum manet in hac vita mortali, se in lectulo quietis permansuram existimaret, illam vocat ad campum, & exercitia afflictionum quas patimur in hoc sæculo, ac si dicat, qui diligit me, in militiæ campum descendat, & pro me certamen inire non refugiat, & quoniam non superbi homines, sed humiles potius, qui de seipsis præsumere nesciunt, cruciatibus, & diris afflictionibus sunt idonei, hinc addit sponsus Christus, se quoque lilium esse conuallium, humilium videlicet coronam, & gloriam sempiternam; *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Hanc verò posteriorem explicationem glossæ ordin. auctor amplectitur, & putat his verbis ecclesiam sponsam pacis & quietis cupidam, ad labores & certamina pro euangelij prædicatione subeunda, à sponso Christo euocari, quippe qui illum se esse dicit, qui instar florum in agro nitentium, totum mundum odore suo afficere instituerit, & quasi lilia in conuallibus florentia suæ diuinitatis mysteria humilibus, & ad patiendum paratis hominibus reuelare decreuerit. Item Hugo Car. eandem approbat interpretationem, inquiens: vox est sponsi Christi ad sponsam ecclesiam, quam ad spiritalis agriculturæ laborem inuitat, quem ipsa ad quietis lectulum floridum inuitauerat, ac si dicat: *Ego sum flos campi*, decor, & odor mundi, illis suauius fragrantiam emittens, qui pro me fortius certant, fructuosiusq; laborant, & quoniam hi potissimum sunt humiles, ideo lilium est conuallium, non montium, decus videlicet, non superborum, sed humilium; Nam *Deus* (vt ait D. Iacobus in epistola sua Canonica, cap. 4.) *Superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, atque in hoc loco erudite animaduertit Hugo, illos hic redargui, qui in solo contemplationis lecto, non in actionis labore contineri salutem opinentur, ac si solus contemplationis lectus sit floridus, & vniuersus actionis campus sit sordidus, & ob id inquit sponsus; *Ego sum flos campi, & lilium*

lium conuallium; imò verò, florem in vniuersum se vocat, neque enim vnico modo in ecclesiæ campo Christus floret, sed vt ita loquar, rubet, in martyribus, candet, in virginibus, viret, in confessoribus, pallet, in pœnitentibus, rutilat demum, in Doctoribus verbiq; Dei cõcionatoribus: Verùm D. Thom. & doctus Haymon, nouam adhùc expositionem adducunt; etenim volunt sponsum Christum in hisce verbis qualis ipse sit coràm sponsa ostendere, sicut ipsa qualis esset communis ipsorum domus & lectus, demonstrauerat, dicit igitur Christus, ò sponsa Ecclesia, *Ego sum flos campi*. Ego sum decus mundi, meæ virtutis odorem suauissimum, per vniuersam mundi latitudinem diffundens, sicuti náq; campus floribus exornatur, ita mundus candida Christi fide atque notitia decoratur, & adhùc ò sponsa, *lilium sum conuallium*, quoniam gratia sum mentium humilium, qui mihi humili se deuotione submittunt. Amplius Ægidius Roman. sponsum Christum inducit, qui cùm sponsa ecclesia se iàm congressum fuisse ostendens, illamq; grauidam in lectulo florido, & in domo firmissima, pulcherymeq; exornata reliquisse, hic illam inuitare incipit, vt ministret filijs, eorumq; curã gerat; quod efficit sponsus Christus triplici ratione, exempli nimirum, præmij, & meriti; nam primò ratione exempli sui ipsius, qui flos est campi, illam ad hoc inuitat, & ait: ego non flos anguli, sed campi sum, qui posui animam meam pro omnibus ouibus meis; quare & tu sponsa mea, hoc idem efficere debes, vt dum filios nostros carissimos administras, illos tanta charitate gubernes, vt si oporteat, animam tuam pro illis ponas; mox verò eandem præmij ratione ad idem pientissimum officium inuitat. dicens, *& lilium* quoque *sum conuallium*, hoc est decor sum, corona, & præmium humilium, qui pro suis filijs afflictionibus se subijciunt; & tandem ratione meriti in proximè sequentibus verbis, ad eandem de filijs curam gerendam, hortatur, inquiens: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, vt infrà suo loco declarabimus. Gilbertus deniq; Genebrardus, & Alphonsus August. posteriorem D. Bernar. expositionem amplectuntur, quam glossæ etiam ordin. auctor & Hugo Car. approbant, & dicunt, mirabile dictu, sponsa ecclesia vocat ad lectulum sponsum, quia floridus est: at sponsus eam prouocat ad campum, & ad certamen, quia flos campi Christus est, & lilium conuallium, superbis resistens, & humilibus dans gratiam, & gloriam. Ego autem opinor sponsum Christum in his verbis sponsam ecclesiam commonefacere, ne dum ipsa se pace optima frui, & maximam regni firmitatem habere conspicit, ob gloriosam ipsius Christi à mortuis resurrectioné, nimiùm tàm magnæ tranquillitati confidens, existimet in hoc pacis lectulo, absque vlla afflictione se perpetuò mansuram; & hac de caussa inquit, ò sponsa

ſponſa pacem equidem relinquo tibi,& maximam regni ſoliditatem,& eminentiam, at meminiſſe etiam te oportet, me eſſe florem campi, qui cunctorum premitur pedibus, & lilium conuallium, quod omnes libenter carpunt; te verò eſſe veluti lilium aut roſam inter ſpinas, quibus undique ac durè urgetur; Quare nè glorieris lectulum eſſe floridum, & tigna domorum noſtrarum cedrina, laqueariaq; cypreſſina, nam *ego ſum flos campi,& lilium conuallium*, tu verò *lilium inter ſpinas*, hoc eſt tu & ego varijs & innumeris afflictionum pœnarumq; generibus ſubijcimur, ac perpetuò ſubijciemur, dum in hoc eccleſiæ militantis regno permanebimus; neque enim ſub capite ſpinoſo, membrum eſſe decet delicatum.

LECTIO LXXVIII.

Ego flos campi, & lilium conuallium.



PLura ſanè & cuncta pulcherrima de campo, flore, liliò, & conuallibus,à nobis in medium proponi & explicari poſſent,at hæc pauca dixiſſe ſat erit,quæ nunc proponere,& explicare ſtatui. Quod dicitur primùm ſpectat ad campum myſticè acceptum,campus,& eruditè animaduertit Heſychius, in diuinis literis pro diuina quandoque accipitur inſtitutione,quam ſancti prophetæ & Chriſti apoſtoli tradidere,cuius vitis eſt Chriſtus,Agricola pater æternus,nos palmites,ſemen verbum Dei,vuæ & vina bonorum operum prouentus, & ſpinæ ſcelera ſunt prauæq; hominum conſuetudines,quod D.etiam Greg. lib.16. moralium cap.23. aſtruere videtur, nam illa verba,quæ Iob.cap.24.habentur, ipſe exponens,hoc eſt, *agrum non ſuum demetunt*, inquit, *poteſt agri nomine ſcripturæ latitudo deſignari,quam Hæretici non ſuam demetunt, quia ex ea ſententias longè à ſuis ſenſibus diuerſas tollunt.;* Deſignantur etiam ipſius campi nomine caro, & ſpiritus, vt docet D.Hieronymus ſuper epiſtolam ad Galatas ſcriptam cap. 6. inquit enim, *omne quod loquimur, agimus, & cogitamus,in duobus ſeminamus agris, carne videlicet, & ſpiritu, ſi bona igitur ſunt,quæ de manu, ore, & corde promuntur, certè hæc in ſpiritu ſeminata, vitæ æternæ fructibus redundabunt,at ſi mala ab agro carnis excerpta fuerint,corruptionis nobis ſegetem pullulabunt;* quam myſticam D. Hieronymi interpretationem amplectuntur,etiam Origenes & D. Aug. iſte namq; ſuper pſalmum 36.illa verba exponens *inſuper, & pecora campi*, inquit, *per pecora campi congruè accipiuntur homines in carnis volu-*

ptate gaudentes; ille verò Homelia 11. in librum Num. ait, *Agri nomine hominum quoque corda intelliguntur, quem agrum angeli Dei excolendum suscipiunt*: Nec non D. August. in psalmum 64. vbi legimus: *Et campi tui replebuntur ubertate*. & in Psalmum 95. vbi dicitur: *Gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt*, arbitratur, sub camporum appellatione iustos populos figurari, qui propter æqualitatem, & bonorum operum vbertatem, campi Dei dicuntur, quàmquàm, vt in hoc loco D. Hieronymo placet, Iudæorum populum campus designat, qui per prophetas, & legem colebatur, sicuti conuallis exprimit gentium populum, in quo Christus factus est lilium, vt suprà declarauimus; Adhùc vterus virginis symbolicè campus nuncupatur, vt astruunt in hoc loco Hugo Card. Rupertus Abbas, D. Bernar. D. Thom. & doctus Haymon, cuius fœcundissimi campi flos & fructus est Christus, vt cecinit Isaias cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*. Rursus Hugo Card. per campum in his verbis ecclesiam significari dicit, qui sanè campus non vnius, at variorum generum flores habet, vt paulò superius diximus, at in Euangelio D. Matth. cap. 13. campus ille, in quo bono semini mixta sunt zizania, mundum potissimum perbellè exprimit, vt ibidem placet Origeni, Homelia 13. & D. August. lib. 2. de Genesi contrà Manichæos; & certè mundus iste, campus est maximus, quem Deus pater agricola plantauit, & cuius nos omnes incolæ sumus, vt vnanimi probant consensu Theodoretus, D. Bernar. D. Thom. Haymon, Hugo Card. Ægidius Roman. Glossæ ord. auctor, & aliqui ex recentioribus interpretibus: Ego quidem campum in hoc loco mundum symbolicè nobis designare puto: & licet Ecclesiam quoq; satis congruè exprimat, cùm quia ecclesia Dei, quam militantem vocamus, locus est certaminis, vt dicitur Ecclesiastici cap. 2. *Fili accedens ad seruitutem domini, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationes*: tùm quia locus est laboris, vt habemus apud D. Matth. cap. 20. *Ite & uos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo uobis*. Tùm etiam quia, sicuti campus bonus debet esse longus, latus, & æqualis; ita Dei Ecclesia longitudinem habet beneuolentiæ, latitudinem charitatis, & iustitiæ æqualitatem. Veruntamen Christum sponsum, dùm se campi florem nuncupat, satius Mundum, quàm Ecclesiam, Campi nomine intelligere voluisse arbitror: tùm quoniam vnanimi consensu, quàm plures Doctores sancti id adstruunt; tùm quoniam in Mundo potius Christus flos premitur, pedibusq; calcatur, quàm in Ecclesia Dei: Hìc enim ab Hypocritis tantum, & malis Christianis afflictiones patitur; ibi verò & à Tyrannis, & ab Hæreticis, & à Iudæis semper affligitur, & cruciatur: Præterquàm quòd ipsemet Christus in Euang. D. Ioan. c. 16. inquit:

inquit: *In mundo pressuram habebitis*, sed *confidite, ego vici Mundum*, & cap.15. *Si Mundus uos odit, scitote quoniam me priorem uobis odio habuit*: & demum ipsa luce clarius id affirmat D. Greg.11. lib. Moral. cap.27. inquiens. *Quid enim sunt nati Homines in Mundo, nisi quidam flores in campo? nam quot floribus campus, quasi tot Hominibus plenus est Mundus*. Sed hactenus de Campo. Ad Florem iam accedamus, qui quidem varia symbolicè figurat, & principe loco, ex verbis ipsius Iob, cap.14. de ipso Homine dicentis: *Qui quasi Flos egreditur, & conteritur*; colligimus Florem humanæ Naturæ, vt ita dicam, fragilitatem exprimere, vt ibidem D.Hieron. placet, & D.Greg.11. Moral.cap.27. Etenim Homo quasi Flos egreditur, quia nitet in Carne, ac conteritur; quia reducitur in puluerem, & mehercle, quemadmodum Flores Zephyro præcipuè flante nascuntur, qui ventus est lenis, & placidus, non rigidus, & asper, vt Boreas; ita Homines mitiores nascuntur, ac humiliores cæteris Animantibus, quæ nascuntur, aut aduncis vnguibus, aut horridis pilis, aut acutis dentibus armata: sicuti etiam Flores, qui Austro meridionali calido vento, ac nebuloso spirante, languere videntur, humanæ vitæ prosperitatem perbellè designant, quam humanæ imbecillitatis feruor dissoluit, vt innuit D. Iacobus, cap.1. suæ Ep. cùm inquit: *Flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt*. Alibi verò, vt in Cantic. Cāt.cap.2. vbi dicitur: *Fulcite me floribus, stipate me Malis*; Florum nomine Christi Fideles adhùc incipientes, & tenelli significantur, sicuti per Mala, Perfecti, & Iusti intelliguntur, vt ibidem docet D.Greg. Sponsa etenim Ecclesia, quia amore languet, fulciri se Floribus, & Malis stipari appetit; quia dum se æternitatis desiderio afficit, dum qualiter illuc perueniat, tota anxietate perquirit, eò quòd perfectionem dum in Carne viuit, omnino non inuenit, fatigata, in desiderio suo quiescit, & gaudet, si illos circà se respiciat, quibus vel ipsa proficiat, vel in quorum perfectione consolationem aliquam de languore suo recipere possit. Imò verò ex varijs florum generibus, qui sunt in Campo, varios Christianorum status, qui sunt in Mundo, colligi posse idem Doctor sanctus asseuerat, Hom.6. in Ezech. dùm illa verba, quæ Gen. cap.27. habentur, exponit: *Ecce odor filij mei, sicut odor Agri pleni, cui benedixit Dominus*, inquit enim: *Ager est hic Mundus varijs Floribus plenus, nam aliter olet Flos vuæ, quæ magna est virtus, & opinio concionatorum, qui Audientium mentes inebriant; aliter Flos Oliuæ, quæ suaue est opus misericordiæ, amore Dei feruentis, & lucentis; aliter Flos Rosæ, quæ mira est fragrantia, rutilans in Martyrum cruore, ac redolens; aliter Flos Lilij, quod est candida Carnis vita, ob virginalis pudicitiæ perfectionem; aliter Flos Violæ, quæ magna est virtus Humilium, quippe qui ex desiderio vltima loca te-*

nentes, se ipsos per humilitatem à terris in altum non subleuant, sed cælestis regni purpureum decorem in animo seruant; & tandem aliter spica redolet, cùm ad maturitatem producitur, quoniam bonorum Operum perfectio, ad eorum satietatem, qui esuriunt Iustitiam, præparatur. Inde Flores varij, sicuti Campos, Hortos, & Syluas pulchritudine sua exornant; ita Christi Fideles, & sancti Viri Ecclesiam militantem decorant, suisq; moribus, virtutibusq; illustrant: nam lilia quidem florent in Cãpis, Rosæ in Hortis, & Violæ in Syluis, quemadmodum Virgines, liliorum instar, in sui Corporis campo pudicitiæ candorem, odoremq; suauem Deo exhibuerunt; & Martyres, ceu Rosæ rubentes, in suæ vitæ horto, hinc inde afflictionum spinis circumsepti, quibus durè vrgentur ob Christi fidem, sanguine suo rubro in Ecclesia rutilarunt; & demum Monachi, Heremitæ, Confessores, & Anachoritæ in heremis, ac sacrorum cœnobiorum syluis, ceu pallentes Violę, Deum contemplantes latuerũt, at bonæ vitę odore coràm Deo, & Hominibus redoluerunt, vt illud de his dici ponit, quod Cantic. cap. 2. habetur. *Flores*, nimirum, *apparuerunt in terra nostra*: nam Flores profectò sunt Viri iusti ob pulchrum colorem, suauem odorem, dulcemque saporem: quippe qui honestæ vitæ pulchritudine sũt speciosi, laudabilium exemplorum odore alios attrahunt, & dulci verborum sapore Auditorum mentes reficiunt. Adhùc opera bona mente proposita, sed nondum foris exhibita symbolicè flores, qui sunt spes futuri fructus, appellantur, tùm ab Orig. hom. 30. in D. Matth. tùm à D. Greg. Cant. cap. 7. hic namq; illa verba explanans *Mane surgamus ad vineas, & videamus si floruit vinea; & si Flores fructus parturiunt*, ait *Florent certè Vineæ cum Mentes Fidelium bona opera proponunt; at Fructus non pariunt si ab eo, quod proposuerint, aliquibus victi erroribus infirmantur*: ibi verò dicit Orig. *vnusquisque nostrum post hyemes tentationum, ad Aestatem festinet, proferens tenerum ramum, & molle Cor ad credendum Deo, & profectus nostri proferant folia interim, & flores operum, vt postmodum etiam Fructus perfectissimos in Christum exhibeamus, cùm venerit quod perfectum est.* Atq; vt ab his terrestrium camporum floribus ad illos, qui florent in Agro cœlesti contendamus, florum appellatione Beati spiritus, & Animæ sanctæ quandoque designantur, ut Greg. sanctus in Cant. cap. 2. explanat, inquiens, *Flores in terra nostra apparuisse dicuntur, quia Animæ sanctæ cum suis à corporibus recedunt, in cęlo recipiuntur, & quasi in terra viuentium florent:* necnon Angeli Dei Flores, & potissimum liliorum Flores in scripturis sanctis appellantur; vt in Euang. D. Lucę cap. 12. sub illis verbis, *Considerate lilia Agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent*: quæ verba D. Ambr. ibidem explicans, ait. *Non alienum videtur vt Angeli istius*

Mundi

Mundi Flores dicãtur, quod eorum claritatibus Mundus ornatur, & bonum sanctificationis odorem aspirãt, quorum præsidio fulti possumus dicere Christi bonus odor sumus. Demum ipsemet Christus Flos mysticè nuncupatur, tàm apud Isa. cap. 11. dicentem. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*, quàm apud Salomonem in Cant. cap. 2. *Ego Flos Campi*; seu vt legunt Hebræi, *Ego lilium Saaron*; seu, vt alij volunt, *Ego Rosa Campi*: nam D. Hier. super Isa. ibidem, ita exponit; *Virgam, & Florem de radice Iesse ipsum Dominum Iudæi interpretantur, quod scilicet in Virga Christi regnantis potentia; & in Flore eius pulchritudo ostenditur: nos autem Virgam de radice Iesse sanctam Mariam Virginem intelligamus, & Florem Dominum nostrum, qui pulchrè Flos ascendens dicitur, quia de Carnis humilitate excelsa conscendit, & nos secum duxit ad Patrem*; quod etiam vnanimi consensu affirmant D. Ambr. lib. 3. de Virg. & lib. 2. de Spiritu sancto cap. 5. D. Bernar. serm. 3. de Annunc. & Rupert. Abbas lib. 11. de Verbo Dei cap. 18. Audite D. Ambr. *Radix Iesse Patriarchæ familia est Iudæorum; Virga Maria; Flos Mariæ Christus, qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe, ex vtero virginali germinauit, sicut ipse dicit, Ego Flos Campi*: Audite D. Bern. *Neque hinc discrepat, quod Nazareth interpretatur Flos; Amat enim florigeram Patriam, Flos de radice Iesse, & libenter inter lilia pascitur Flos Campi, & lilium conuallium*: Audite demum Rupertum Abb. *Virga ista, sed recta, beata est virgo Maria, & Flos, qui de Virga ista ascendit fructus Ventris eius Christus est, filius Dei, & Virginis*: Et sanè si Floris excellentia à pulchritudine dignoscitur, odore, & fructu; nonne Christus flos est excellentissimus, si pulcher est, & decorus, vt inquit Dauid in ps. 42. *Speciosus es forma præ filijs hominum?* Si suauis est, & odore iucundus, vt cecinit Sponsa in Cant. cap. 1. *Curremus in odorem Vnguentorum?* Si demum proficuus est, ac salutaris, vt ait Elisabeth in Euang. D. Lucæ cap. 1. *Et benedictus Fructus ventris tui Iesus.* Verùm audite rem omni attentione dignam: Flos, vt ait Pythagoras, habet in Cœlo patrem, qui Sol est, & in terris Matrem, quæ est ipsa Planta; Ita Christus habet in Cœlo Patrem sine Matre, dum æterna generatione producitur, & Matrem in terris habet sine Patre, dùm temporaria oritur natiuitate: præterquàm quòd si Flos ex calore Solis nascitur, & roris humore, qui sereno tempore de Cœlo fluit; certè Christus, & Spiritus sancti virtute, & diuinæ Gratiæ rore, qui in temporis plenitudine de Cœlo fluxit, nobis natus est Homo, vt dicitur in Ps. 102. *Tanquàm Flos Agri, sic efflorebit*; & in hoc loco, *Ego Flos Campi*. Hæc igitur de Campo, & Flore satis dicta sint, nunc de conuallibus, & Lilio nonnulla dicenda supersunt, quæ in sequenti lectione proponemus.

LECTIO LXXIX.

Et lilium Conuallium.

IAm tempus expostulare videtur, vt ad lilium Conuallium accedamus: & primùm de conuallibus non est vt multa dicamus, quando quidem, aut Gentium plebem designãt, sicuti Capus Iudæorum populum figurat, ex antiqui Origenis, ac D. Hier. auctoritate in Cant. Cant. aut Homines humiles, & pœnitentes figuratè exprimunt, ex D. August. & Cassiod. testimonio super Ps. 103. quibus etiam assentiuntur D. Greg. super Can. cap. 6. & D. Bern. ibidem, serm. 54. Audite D. Aug. & Cassiod. *Illud animaduertere debemus, quoniam in humilitate Hominum, qui loco Conuallium ponuntur, Aquæ, seu Fontes diuinæ gratiæ æfluant?* Audite D. Greg. *Quid est quòd Sponsus descendit in hortum suum, vt videat Poma conuallium, & non montium? nisi quòd illis suæ miserationis præmium tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit?* Audite denique D. Bern. *Profectò Sponsus ad Pœnitentium valles descendit, ut diuinæ gratiæ frumento abundent.* De Lilio autem quàmplura dicenda mihi sese offerunt: etenim non solum Flos est, at Flos regius nuncupatur, non à regia Iunone, cuius lactis guttas, dum Herculi per somnum lac præberet, in terram decidisse effinxere Poetæ, ex quo lacte mox lilium pullularit; sed à regia, qua præstat celsitate: nam tanta super cæteros flores proceritate attollitur, ut ad tres etiam cubitos interdum erigatur; & ob hanc caussam factum esse puto; vt cùm flos omnis sit symbolum Spei, (quæ, cum sit futuri Boni expectatio, vt illam diffinit Speusippus Platonicus, ex floribus etiam inspectis, inde fructum expectare solemus) Flos potissimum lilij Spei publicæ sit indicium, ac generalis futuri Boni prænuncius, quemadmodum videre est in várijs Romanorum Imperatorum nũmis, Alexandri Pij Aug. Titi, Claudij, & Hadriani: in quibus ab altera parte, Dea lilium dextera manu prætendit, cuius inscriptio est, aut *Spes publica*, aut *Spes Augusta*, aut *Spes pop. Rom.* Cuius sanè rei non ignarus Maro Poeta, cùm Spem publicam de Marcello conceptam, nobis significare vellet, tacita quadam ad clarissimum illum Iuuenem allusione, statim liliorum meminit, quæ manibus plenis in huius Iuuenis honorem danda sint, inquiens lib. 6. Æneidos.

Nec Puer Iliaca quisquàm de gente Latinos
In tantum Spe tollet Auos, nec Romula quondam,

Vllo

Vllo se tantum tellus iactabit Alumno;
Tu Marcellus eris, manibus date Lilia plenis,

Solet etiam lilium pulchritudinis signum esse, quippe quod siuè formam, quæ rotunda est, siuè colorem, qui candidus est; siuè odorem, qui iucundus est ac suauis, consideremus, Flos est quammaximè pulcher. Inde aliqui tradunt Ciuitatem illam Persarum mollem, ac delicatam, vbi Regum erant hyberna, ob mitissimam Cœli plagam, aliasq; amœnitates, Susas cognominatam fuisse, quòd Susa Persarum lingua sit lilium, ac si loci pulchritudinem à nomine lilij, quod Flos est pulcherrimus acceperint: quàmuis alij à multitudine potius liliorum, quæ passim illic, & feracissimè proueniunt, cognomentum illi Ciuitati inditum scripserint; verumtamen illud certè verum est, Vrbem Florentiam ob eius pulchritudinem admirabilem, à Lilio flore, qui Flos per Anthonomasiam dicitur, huiusmodi nuncupatam fuisse, & ob id etiam lilij ciuitatem quandoq; appellatam: vt inuidè mihi facere videantur, qui Fluentiam, antiquum huius Ciuitatis nomen, à fluente flumine desumptum sibi somniant: quemadmodum illos iurè, & quidem optimo carpit Pierius Bellunensis suis hieroglyphicis, vbi de lilio pertractat: Et mehercule, si nihil est pulchrius pudicitia virginali, nihilq; venustius Virginibus sacris, nonnè lilium, & candidum præcipuè lilium Flos est pudicitiæ, ac virginitatis? Flos est qui sacris dicatur Virginibus? Flos est, quem ipsi quoque gentium Sacerdotes Nymphis pudicis, & castis offerre soliti erant? vt videre est apud Propertium Poetam de Lilijs ita canentem;

Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis
Romula nè faciem læderent hasta Taci.

Sed, quid Poetarũ testimonia, & Gentium exempla propono? ipse Christus summè pulcher, & decorus, summèq; pudicus, & castus, inter lilia pascitur, hoc est, inter candidissimos Virginum choros, vt exponit D. Hieron. aduersus Iouinianum, quod D. etiam Greg. suis in commẽt. super Cant. cap. 2. affirmans ait; *Et quid per lilia, nisi mundæ Animæ designantur? quæ dum castitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem quibusq; Proximis suauiter olent; inter lilia ergo Sponsus pascitur, quia procul dubio Animarum castitate delectatur, quæ & in se ipsis Carnis mundiciam seruant, & Proximis exempla virtutum, quasi odoris suauitatem donant:* & D. Ambr. in lib. de inst. virg. cap. 15. idem asseruit inquiens, *Christi lilia sunt sacræ Virgines, quarum est splendida, & immaculata Virginitas, quam ob causam Christus in Cant. ait, Ego sum Lilium conuallium, hoc est Decor Virginum, & humilium Animarum.* Vt interim tritam illam Ecclesiæ auctoritatem silentio prætermittam, quæ in sacrarum Virginum Hymno de Christo canit, *Iesu corona Virginum;*

Qui

Qui pascis inter lilia: nequè me latet liliorum nomine, tùm perfectos Homines Christi Fideles, & Iustos; tùm optimam ipsorum vitam figuratè exprimi, vt docet D. Greg. in Cant. cap. 6. illa verba explanans, *Dilectus meus descendit in hortum suum, vt lilia colligat*, inquit enim, *tunc Sponsus Christus lilia colligit in horto Ecclesiæ, quando Perfectos quosque ab hac Vita succidit*: & lib. 24. Moral. cap. 10. ait, *Quid quæso per lilia, nisi illorum vita declaratur, qui veraciter dicunt, Christi bonus odor sumus in omni loco?* Adhùc in Cant. Cant. cap. 5. vbi legimus, *labia illius lilia stillantia Myrrham primam*, idem Doctor sanctus exponit labia Christi sponsi lilia esse, hoc est, Verbi Dei Prædicatores, sub his verbis. *Quid labia sponsi, nisi ipsos, quos dicimus Prædicatores Christi intelligimus, qui dum cruciatus, & mortem Martyrum Populis prædicant, quasi Myrrham mortificandis carnibus, ad condimentum distillant?* Et quid est quod labia Sponsi lilia esse dicuntur, nisi quòd illi, per quos Christus loquitur, necesse est vt mundi sint, & per eos bonus odor diffundatur? Atque vt silentio nunc prætercam, quod in proximè sequentibus verbis dicturus sum, vniuersa Ecclesia Christi sponsa inter filias esse perhibetur, sicut lilium inter spinas, vt infrà luce clarius apparebit. Præterea, lilium ob eius candorem, & puritatem symbolum est Angelorum, qui natura puri sunt, & candidi, absque vlla erratorum macula: hinc D. Ambr. super D. Lucam cap. 12. illa verba Euangelistæ exponens, *considerate lilia Agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent*, aiebat, *Nec incongruum quisquam putet, quòd Angelis lilia comparentur, cum Christus ipse lilium se nuncuparit, dicens, Ego Flos Campi, & lilium conuallium*. Tandem, vt ex hoc loco satis manifestè colligimus, ipsemet Christus lilium mysticè nominatur, vt omnes ferè Interpretes hic asseuerant: quibus addere possumus D. Hier. testimonium aduersus Iouin. & D. Ambros. super D. Lucam cap. 12. Et certè si lilium Flos est regius ob eius super omnes flores celsitatem; si foris habet Folia candida, & intus radios lucentes & aureos; si plurimùm habet humoris; si mira odoris suauitate redolet; si maxima præstat florum vbertate; si denique humanis corporibus medendis non parum est proficuum, ac salutare, nonnè hæc omnia cùm Christo quadrare dicemus? si Rex Regum existens, cæteras omnes Creaturas dignitatis celsitate superat? si foris candidus est in humanitate, quam in similitudinem quidem peccati, at re vera omnium erratorum expertem assumpsit? si intus habet Diuinitatem instar auri lucentem? si sacrò diuinę Gratiæ humore redundans, in nos omnes illam effundit? si gloriosum ipsius nomen suauiter olens, annunciatur in vniuersa terra? si omnium Donorum cœlestium vbertate præstat? si demum Sacramentorum virtute vniuersis tàm Corporum quàm Animorum

morum nostrorum ægritudinibus medetur? *Ego Flos Campi, & lilium conuallium.* Verum quoniam, vt suprà annotauimus dictionem illam Hebræam *Susanna lilium* non solum, at *Rosam* etiam, & multo magis aliqui vertunt, Rabbini, nonnulla de ipsa Rosa in medium afferre libet, atque in primis, si Rosa sine spinis consideretur, cùm venustatis, tùm amoris, tùm etiam illius potissimum Gratiæ signum est, qua quis præditus omnium in se amorem contrahit, & omnium sibi animos conciliat: hinc Magi, hoc est sapientes apud Indos, Rosam tanti fecerunt; vt ad Principum animos conciliandos non alia re quapiam libentius quàm Rosis vterentur; & ob hanc causam forte fortuna prisci Poetæ Veneri, quæ Amoris, & Gratiarum mater est, Rosam dicarunt, eiusq; purpureum colorem ipsius Veneris sanguinem esse dixerunt, qui quidem ex icto ipsius pede defluxerit, & Rosam, quæ quidem prius alba erat, aspergine sua continxerit; quapropter Amoris, & Gratiarum indicium Rosam esse, nos quoque dicere possumus; licet alij velint humanæ imbecillitatis hieroglyphicum esse, ac Boni momentanei, cùm Rosæ breuis sit vita, & ita caducus decor, vt quò die Florens, vigensq; nitet, eodem ipso defloreat, & elanguescat: Inde Poeta quidem elegantissimus, vt id comprobaret aiebat;

Mirabar calicem fugitiua ætate rapinam.
Et dum nascuntur consenuisse Rosas.

Imò verò in Antiquorum memorijs obseruatum legimus, lilia, Rosas, aliosq; Flores in Sepulchrorũ, ac Mortuorum Corporum ornatũ adhiberi: Rosa verò florens, & vigens inter spinas Bonum designat, quod vndiq; Malis est circumseptum; seu potius humanas voluptates amaritudinis, & asperitatis plenas indicat, vt non illepidè Catullus Venerem, quæ iucunditatis hilaritatisq; auctrix est præcipua, spinosas in pectore curas gerere dixerit: & quod melius est, Eucherius à sanguinis rubore pro Martyribus Christi Rosas ponere consueuit; & sponsus Christus in Cantic. Ecclesiam sponsam in medio semper afflictionum, dum in hoc sæculo manet, permansuram fore ostendere volens, illam inter filias, ceu Rosam in medio spinarum, aut, vt alij vertunt, sicut lilium inter spinas, semper manere dicit; vt infrà dilucidius declarabimus. Et de his hactenus.

LECTIO LXXX.

Sicut lilium inter spinas; sic Amica mea inter filias.



Nanimi consensu Interpretes omnes, quos ego viderim, Sponsum in his verbis de Sposa loqui exponunt: at cū quæ persona sermonem habeat, non omnes idem sentiunt; nā, vna ex parte, Orige. & D. Hier. opinantur, Sponsum suos amicos alloqui, & sodales, illisq; causam reddere, cur ipse, qui diù Flos in Campo fuerat, voluerit in conuallibus esse lilium, quæ huiusmodi est: nam cùm multo tempore ipse sponsus Flos in campo extiterit, nullus tamen ex ipso campo Flos, ad sui similitudinem processit, vbi verò ipse factus est lilium in conuallibus, tunc & Sponsa proxima eius ad ipsius similitudinem facta est lilium, Audite: *Sicut lilium inter spinas; sic Amica mea inter filias.* At reliqui omnes Explicatores, ex altera parte, Sponsum non solum de sponsa, verùm etiam cùm sponsa, hic verba facere arbitrantur: licet alio, & alio modo id ostendant; Et enim ex Antiquis Greg. Nyss. B. Maximus, Neilus, Psellus, & Euseb. adhuc ex recentioribus Iacob. de Valen. & Cosmas Dam. inquiunt, Sponsum in hoc loco respondere sponsæ, eiusque eloquium cōfirmare, quod de seipsa pronunciarat, cùm dixit: *Ego Flos Campi, & lilium conuallium:* ac si dicat Sponsus, benè dicis q Sponsa amica mea, te florem esse campi, liliumq; conuallium, nam *sicut lilium inter spinas, sic tu Amica mea inter filias*, qui laudes amplificandi modus est, iuxtà illud axioma; *Opposita iuxta se posita magis elucescunt.* Cæteri vero Interpretes, vt Theodoretus, D. Greg. D. Bern. Hugo Card. D. Tho. Doctus Haym. Ægid. Rom. Glossæ ordinariæ Auctor, Gilb, Geneb. & Alphonsus August. existimant Sponsum ita Sponsam affari, vt postquàm se ipsum iure optimo commendans, & Campi Florem, & lilium conuallium se nuncupauit, hic Sponsæ decorem collaudans, ceù lilium, vel, vt alij vertunt, ceù Rosam inter spinas, inter filias illam esse dicat. Quare, sicuti tres sunt Expositorum variæ de sensu literę opiniones, totidem etiam de Mysterijs ipsius spiritus sententię erunt: prima verò est Origenis & D. Hier. qui ita exponunt, Sponsus Christus beatos Spiritus, & Angelos alloquens inquit, Sponsa, & proxima mea, quę est Ecclesia gentium, in medio Filiarum, quę sunt infideles Animę, & non credentes, quasi lilium è spinis emersit: seu sic Ecclesia gentium Amica mea, in medio hęreticorum, quasi lilium in medio spinarum posita est, quàmquàm D. Hier. per filias

istas,

istas, magis hæreticos, quàm Infideles intelligendos esse astruit, cuius rationem hanc reddit: quoniam hæ Animæ filiæ vocantur à Sponso Christo, nunquàm autem illas Animas appellasset filias; quæ nunquam omnino ad fidem venissent; at hæretici primum fidem amplexati, & credentes aliquando, post hęc ab itinere fidei dogmatumq; veritate declinantes aliquo modo filij Dei nominari possunt, vt ex D. Ioann. colligimus in Epist. prima cap. 2. de hęreticis inquiente: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum*: Huic autem explicationi fauere videtur Apost. in Epist. quam scribit ad Philipp. cap. 2. quo loci in hunc modum scribit: *Omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei in medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in Mundo, verbum vitæ continentes*. Secunda verò opinio illorum est, qui volunt Sponsum Christum vniuersę Ecclesię laudes hic amplificare, & dicere, O quàm rectè dicis ô Sponsa, te esse Florem, & lilium; imò verò ita candida es tuis virtutibus, ac suauè olens, vt inter cęteras omnes hominum congregationes; tu sola sis, veluti lilium inter spinas: quapropter hi Interpretes, per Christi Sponsam, non gentium Ecclesiam, vt Orig. ac D. Hier. placet, at vniuersam Ecclesiam in omni statu acceptam intelligi debere statuunt: per spinas autem non solum Infideles, & Hęreticos, cùm prima opinione exponunt, at omnium reproborum hominum Ecclesias intelligunt, siue sint Pharisæorum conciliabula, siue Hęreticorum conuenticula, siue septa Mahumetana, siue Pseudochristorum congregationes, quę candidam, & suis virtutibus suauè olentem Christi Ecclesiam catholicam, ceu lilium circumstantes, in hoc Mundo maledictis, iniurijs, & cruciatibus persequuntur, pungunt, & lacerant, summis illam viribus obruere, & suffocare nitentes: & quoniam non parua difficultas remanebat, quomodo videlicet tot reproborum hominum, & Infidelium congregationes sub nomine filiorum Dei continerentur, qui nunquàm ad fidem venerunt, respondet Cosmas Damian. vnà cum Theod. & ait: *Filiæ autem dicuntur propterea quòd vocatæ quidem sunt, sed ipsæ seipsas electione sui priuarunt, multi enim sunt vocati, pauci verò electi*: vt legimus in Euāg. D. Matth. cap. 22. In tertia demum sententia, & postrema, ij sunt, qui sub duplici sensu mystico hęc verba exprimunt, Tropologicè nimirum, de Anima Iusti, & allegoricè de Christi Ecclesia: priori modo illa explanant D. Greg. & D. Bern. In posteriori autem sensu interpretantur reliqui omnes quos suprà recensuimus: Quod igitur ad sensum tropologicum spectat inquiunt illi, Christum sponsum sponsam Animam affari, quam, à lilio inter spinas existente sumpta metaphora, commonefacit,

donec

donec in carne manet, & in hoc corpore mortali, inter spinas profectò, ceu lilium illam semper versari, cùm necesse sit vt ipsa patiatur hìc tentationum afflictiones, tribulationumq; aculeos, vt his tamquàm medijs caussis efficacibus, ad cœlestem, æternamq; gloriam peruenire queat, iuxtà illud, quòd apud diuum Matth. cap. 5. legimus, *Beati, qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Alij verò de vniuersa Ecclesia Dei hæc verba allegoricè explanantes, aiunt, postquàm Sponsus Christus sub floris campi, ac lilij conuallium parabola, se plurimis, ac diuturnis hostium persequentium afflictionibus subiectum esse, suam commonefecit Sponsam Ecclesiam; hìc iterum illam, met, velutì lilium inter spinas, inter filias nitere dicens, commonefacit, nè tàm citò requiem in lectulo florido quærat: nam, & si pulchra est & decora, pulchrior tamen, atque candidior efficitur tentationum aculeis, spinisq; afflictionum, quas à Iudæis, ab Hæreticis, à Tyrānis, & ab Hypocritis perpetuo passa est, & quotidie patitur: quemadmodum enim lilium candorem inter spinas retinet, & quo magis pungitur, eo suauiorem reddit odorem; ita Ecclesia sancta suæ puritatis cādorem inter hostium cruciatus, afflictionesq; enitet; & quantò magis ab illis affligitur, & cruciatur, tantò gratiorem bonæ opinionis odorem latiusq; effundit. Audite Domini, *Sicut lilium inter spinas, sic Amica mea inter Filias:* ac si dicat, ò Sponsa, & Amica mea, non decet sub capite spinoso membrum esse delicatum, spinis, ego circundatus sum, non solum passionis meæ tempore, quo spineam coronam capiti meo imposuerunt; at semper, dum in hac mortali vita permansi, acerbissimis afflictus sum cruciatibus; quare tu quoque Sponsa mea, ceù lilium es, aut Rosa inter spinas, dum in hoc sæculo manes, vt per medias afflictionū spinas, per medios labores, & cruciatus, ad perennem cœlestis Beatitudinis requiem tuta peruenias, ibique in lectulo verè florido, ipso Deo Opt. Max. Sponsoque Christo, vnigenito ipsius Filio in Æuum fruaris. Verùm Ægid. Card. etsi idem ferè, cum Theod. Hugone Card. & alijs, quorum paulo superius meminimus astruere videtur, attamen id vnum addit, Sponsum videlicet Christum in his verbis, Sponsam Ecclesiam, ad idem pietatis officium, ratione meriti, tertio loco & postremo inuitare, ad quod & ratione exempli, & ratione præmij bis illam iàm inuitauerat; ac si dicat, ò sponsa si vis esse amica mea, dum nostrorum curàm filiorum geris, teipsam tribulationum spinis exponere debes, vt pro illis afflicta, ita gloriam in Cœlo sempiternam merearis; *Sicut lilium inter spinas, sic Amica mea inter Filias:* Hæc, Domini, sunt, quæ ad literæ sensum, spiritusq; mysteria in his verbis pertinentia, à varijs tàm priscis, quàm recentioribus interpretibus proponuntur.

tur. Ex quibus ego tertiam & postremam opinionem amplector, cæterisq; duabus probabiliorem esse opinor, quippe quæ cùm dictis & dicendis magis quadrare videtur.

LECTIO LXXXI.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.



Pud Hebræos in eorum textu legimus, eandem dictionem *Susanna*, quæ in his verbis habetur, in præcedentibus etiam haberi; & sicut D. Hieron. & septuaginta interpretes cùm aliquibus ex Rabbinis, hìc & ibi vertunt *lilium*, ita alij vtrobique *rosam* legunt: existimant enim hebraicæ linguæ periti. *Susanna* vernacula lingua significare *lilium*, & *rosam*, & *lætitiam*, vt videre est apud Gilbertum Genebrar. varijs in commen. Rabbinorum super Cantica, & apud Benedictum Aria Montanum in interpretatione nominum Hebraicorum, Chaldæorum, & Græcorum: & certè vna ex parte quatenus *Susanna* deriuari potest à Susa ciuitate, quæ est Metropolis Persarum Regni, & apud Persas *lilium* designat seu à shes, hoc est à sex, quod sex folia alba *lilium* candens semper habet, *lilium* potius quàm *rosam* significat: Verùm altera ex parte, tùm quoniam *Susanna* Hebraica lingua *rosam* potius, quàm *lilium* exprimit, tùm quoniam non *lilium*, at *rosa* inter spinas florere conspicitur: *rosam* potius legi debere quàm *lilium* dicemus: Et certè nullum est liliũ, Cuius sunt varia genera, quod inter spinas nascatur: etenim Plinius lib. 21. cap. 5. tria genera liliorum assignans, rubeum nimirum, quod à Græcis Crinon vocatur, purpureum quod idem ferè est cùm Narcisso, & candens, nullum ex istis inter spinas florere dicit, quinimò cùm alij ex recentioribus, in eorũ tractatibus de plantis & floribus multa liliorum genera proponat: lilium album quod omnibus satis notum est, lilium cœleste quod iris domestica dicitur, & vernacula lingua *Giglio pauonazzo*, lilium cæruleum, quod iris syluestris maior appellatur, & italicè *Giglio azzurro*, & lilium adhùc cæruleum, quod iris syluestris minor dicitur, & Acorum falsum, quod vernaculè nuncupatur *Giglio giallo*, & demum lilium conuallium, quod nos vulgò appellamus *mughetto*: nullum horum inter spinas, hoc est spinis circumseptum nascitur; nisi dicamus Acorum falsum inter vepres, hoc est in locis aquaticis, vbi sunt vepres & spinæ frequenter nasci; verùm de hoc sponsum loqui probabile non est, quandoquidem nec odore aliquo præstat, nec vlla vtilitate: sa-

tius igitur est, si dicamus aut legendum esse sicut rosa inter spinas, aut sponsum in his verbis nolle ostendere lilium inter spinas nasci, at facere potius comparationem suæ sponsæ cum reliquis filiabus Hierusalem, quam huiusmodi esse astruit, qualis est lilij cum spinis, quæ namque nihil odoris habent, nihilq; candoris præseferunt, immò verò nullius prorsus vtilitatis existunt, nisi vt in ignem mittantur, & incendantur, perpetuò crepitantes: lilia verò & candido colore præstant, & suauè olent, & maximè salutaria sunt infirmis, ita pariter ecclesia sponsa cùm cæteris aliarum gentium congregationibus comparata, veluti lilium est relatum cum spinis, Ecclesia namque catholicæ fidei candorem habet, boni nominis odorem, & bonorum operum quàm maximam vtilitatem: At quodcumque sit, illud sanè verum est, nos in nostra versione ita legere, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias:* & quoniam de lilio satis superq; in præcedentibus sermonibus dictum est, dicam nonnulla de spinis vt sicuti per lilium Ecclesiæ candorem, puritatem, & innocentiam mysticè significari exposuimus, ita spinarum nomine inimicorum omnium afflictiones & cruciatus, quibus ipsi Christi Ecclesiam perpetuò excruciant & affligunt figuratè intelligi declaremus: *Sicut lilium inter spinas.* Spinæ igitur in scripturis sanctis seu vepres & tribuli, cum duri sint, rigidi, ac pungentes varia nobis symbolicè designare solent; & primùm ex Isaia propheta cap. 27. iræ Dei duritiam nobis indicant, vt ibidem affirmat D. Hieron. suis in Comment. inquit enim propheta. *Quis dabit me spinam & veprem in prælio, gradiar super eam, succendam eam pariter?* Sicuti namq; duræ sunt spinæ & pungentes, ita rigida est in impios homines iræ Dei duritia, atque aspera; imò verò ipsæmet impiorum hominum iniquitates & peccata spinæ vocantur, quę nostros animos pungunt & dilacerant, hinc legimus in Cantico Isaiæ *expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruscas*, vbi Eucherius ait, spinę symbolum sunt iniquitatis, & vua iustitiæ; Necnon terra Adę germinat spinas & tribulos, quoniam propter eius inobedientiam peccata pullularunt, qua de caussa Christi caput spinis coronatum fuit, vt hoc nostrorum indicium esset scelerum, quę supra caput suum expianda suscepit; quamquàm D. Augustinus super D. Ioannem asseuerat spinas super caput Christi, carnes martyrum laceratas significare, quibus ipse Christus veluti preciosa Corona præcingitur, ac decoratur. Sunt adhùc aliqui sancti doctores qui tropologicè hęc sponsi verba, de sponsa amica interpretantes, *Sicut lilium inter spinas sic &c.* aiunt lilium iustorum esse animam, & spinas esse carnem, & carnis concupiscentias, ac ipsius tentationes, quibus ipsa anima quasi spinis dùm in hoc sæculo manet, circumuallatur, ita placet D. Bern. serm. 48. super Cantica. Cum inquit, donec in

carne

carne est anima inter spinas profecto versatur, & necesse est vt patiatur inquietudines tentationum, tribulationumq; aculeos: quod si sponsa lilium est, iuxta sponsi verbum, videat, quàm vigilem sollicitamq; esse illam oporteat super sui custodia, septam vndique spinis, quibus plenus est mundus: Etenim tentationes omnes, & omnes afflictiones quibus in hac vita affligimur & cruciamur, vepres dicuntur & spinę, ut D. Ambro.3.lib.exam.cap.11. D. Hierony. super Isaiam cap. 23. D. Greg. lib.22. Moralium, cap. 24. & D. Bern. serm. 48. super Cantica Canticorum vnanimi consensu affirmant: verum afflictiones non solum & cruciatus symbolicè spinæ vocantur, at ipsimet homines Ecclesiæ inimici (quicunque illi sint) illam affligentes, & persequentes, tribulorum nomine intelliguntur; vt placet Origeni, Hom.2. super Cantica D. Cyrillo 12.lib. super D. Ioan.cap.15. D.Ambr. super Psal. 118 D. August. in epist.48. D. Hier. super Nahum cap.1. & super Oseam cap.10. & D. Gregorio super Cantica cap.2. & D. Bernardo, Hugoni Card. Theodoreto, D. Bonauen. docto Haymoni & alijs ibidem: Omnes igitur Ecclesiæ inimici, aut Infideles, aut Hæretici, aut Tyranni, aut Hypocritæ, aut etiam mundus, caro, peccata, & ipsimet dæmones, sunt veluti spinæ duræ & asperæ, quæ pungunt quidem Ecclesiam, & impugnant: at non vincunt nec expugnant; sed perseuerat ipsa fortis & constans, nec vllatenus inter tot tentationum tribulos & inter tot persequentium spinas perturbatur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*: Hoc est inter cæteras omnes omnium hominum congregationes, quæ sanè filiæ Dei aliquo pacto nominari possunt; Etenim vt eruditè animaduertit D. August. lib. vnico contra Adimantum Manichæi discipulum, cap.5. Filij nomen in scripturis sanctis trifariam accipitur, vno modo secundum naturam, quo pacto Isaac Abrahæ filius dicitur, & Iudæi omnes qui ex eadem radice & origine veniunt: alio modo secundum doctrinam, & ita discipuli omnes qui aliquid ab aliquo didicerunt, illius filij nuncupari possunt, vt docet Apostolus cap.4. poster. Ep. ad Cor. scriptæ; tandem filij Dei dicuntur per imitationem, sicut Apostolus Galat. cap.4. nos vocat Abrahæ filios, qui eius fidem imitamur. Hæ igitur filiæ, inter quas Ecclesia Christi sponsa, veluti lilium inter spinas, nitere dicitur, filiæ certè ipsius Dei nominari possunt, non per imitationem, aut per doctrinam, sed per naturam tantum: nisi dicamus illas esse filias dæmonis per doctrinam, & imitationem, Dei verò per naturam seu creationem, de quibus loquebatur Apostolus Eph. cap. 2. inquiens de dæmone: *Qui nunc operatur in filios diffidentiæ*: Quare sicuti Christi fidelium vnio, quæ est catholica ecclesia, filia Dei nominatur & est, cùm per creationem, tùm per doctrinam, tùm etiam per imitationem & gratiam, vt legimus in Psalmo 44.

Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, quia concupiuit Rex speciem tuam, ita reliquorum omnium hominum infidelium congregationes, Dei filię nuncupari possunt,& sunt, si non per imitationem & doctrinã, at saltem per creationem, vt in hoc loco habemus: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

LECTIO LXXXII.

Sicut malus inter ligna Syluarum, sic dilectus meus inter filios.



Erba sunt sponsæ ad sponsum, de quo hæc pronunciat, illum inter cęteros omnes filios talem esse, qualis est malus arbor pomifera inter ligna syluarum, quæ sunt arbores steriles, & infæcundę: nam malus cęteris omnibus gratior, fructum habet & visu pulchrum, & gustu gratum, & olfactu suauem. Quandoquidem sponsa à sponso se laudari audiens, nè ingrati animi labe polluta censeatur, illi uicem reddit, & protinus in uocem laudantis erumpit, cupiensq; dilecti sponsi non solum beneólentiam, at eius quoque dulcorem commendare ait, *Sicut malus inter ligna syluarum, sic &c.* Licet enim flores, lilia, & vguẽta, suauiter oleant, & nares odore demulceant, & eiusmodi tamen non sunt, vt grata sint ad edendum, & fauces delectent, at malus, & optimi odoris est, & saporis, vt nares simul & fauces suauitate demulceat, ac dulcore delectet; imò verò vt aliqui ex recentioribus animaduertunt, sponsa non solum par pari refert, at vt gratum animum decet, maiori cùm fœnore ad spõsum laudes reciprocat, cùm non satis existimet sponsum cõferre cum lilio, quod flos est pulcherrimus, ac odoriferus, nisi cùm malo etiam arbore pomifera atq; dulcissima illũ cõferat; nam flores & lilia res tenues sunt & humiles, malus autem arbor nobilis est, & inter steriles syluarũ arbores, præstantissima, maximèq; fructifera; *Sicut malus inter ligna syluarũ, sic &c.* Quare neq; dramatis ordo mutatur neq; noua efficitur scena, vt ferè omnes interpretes hoc pacto literę sensum declarantes affirmant. Verum Origines quem D. Hiero. sequitur, & Hugo Card. nouam hic fieri sceaam opinatur, inquiens, sponsam suis cùm adolescentulis sermonem habere, & coràm illis sponsi laudes recensere, sicuti sponsus in proximè præcedentibus uerbis, suis cùm sodalibus locutus fuit, & sponsæ laudes narrauit: veruntamen priorem potius amplector explicationem, sicuti namq; sponsus non suos sodales, at sponsam supra

pra affatus est, illam lilium inter spinas appellans, ita nunc sponsa non suas alloquitur adolescentulas, at sponsum dilectum, illum inter filios esse dicens, ceu malus est inter ligna syluarū; *Sicut malus inter ligna syluarum sic.* In hoc autem literæ sensu hæc pauca illaq; parui quidem momenti animaduersione digna sunt; nam primùm quoad nos unà cū vulgata edicitione legimus, *Sicut malus;* D. Hiero. & septuaginta interpretes vertunt, *Sicut arbor mali*; & quod nos dicimus *inter ligna syluarum*, ipsi dicunt, *inter ligna sylua;* & tandem sicut nos habemus in textu *sic dilectus meus inter filios*; sic isti habent *fratruelis meus in medio filiorum;* quæ tamen omnia non re ipsa, at uerbi abinuicem discrepant; Cur autem sponsus sponsæ fratruelis nuncupetur & sit, suprà satis manifestè declarauimus, dum illa verba interpretaremur, *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi:* Præterea sponsa non temerè, at summa certè ratione ducta sponsi prestantiam nobilitatemq; super omnes iuuenes ostendere volens, ab arbore malo metaphoram sumpsit, quæ præterquā quòd uisu pulchra poma producit, gustatu dulcia, suauiaque olfactu, vmbram quoq; præstat gratissimam, & sola inter syluestres arbores frugifera est. Est autem malus arbor notissima, cuius fructus est malum, notissimum pomi genus, quod cùm visu pulchrum sit, odoratu suaue, & gustatu dulce, amoris potissimum est indicium, ut ij qui amoris agmina pingere delectantur, malis amantes lusitare pingant, & Menalcas apud Virgilium Egloga 3. dicit *Malo me Galatea petit.* Quemadmodum & uos ornatissimi iuuenes, in diebus bacchanalibus quos carnis priuij appellant, malis citrijs, in hac Pisarum Ciuitate, ut plurimum cum castissimis puellis ludere consuestis. Imò verò poetæ mala præsertim dulcia, Veneri Amoris matri dicata esse scribunt, cui apud Sicyonios populos statua erecta erat, quæ una manu malum, altera uero papauerem tenebat, ex malo quidem amorem, ex paupere uim prolifica, ac seminis copiam significantes: Hinc illud apud Apuleium de Paride legitur: *Tunc animo uolenti Phrygius iuuenis, malum quod tenebat aureum, ueluti uictoriæ calculum, puellæ pulchriori, hoc est Veneri tradit:* & quod mirabilius est, ipsemet Prophæta Salomon in hoc eodem secundoC antico (ut paulò inferius habebimus) sponsam inducens, quæ se sponsi amore languere, suis nunciat adolescentulis, statim etiam illā proponit, quæ floribus se fulciri, & malis se stipari exposcit, inquiens, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Amans igitur ac dilecta sponsa cùm sponso dilecto, & amante sermonem habens, per bellè quidem illum inter filios talem esse dicit, qualis est malus inter ligna syluarum. Verum ad sensus spirituales iàm accedamus: Ecclesia suis coràm adolescentulis, ut uolunt Origenes, D. Hiero. & Hugo

Card. quæ sunt animę iustorum hic uitàm adhùc degentium, Christum sponsum illum esse dicit, cùm filiis hoc est cùm sanctis hominibus, & cū cęlestibus Angelis comparatum, ut est arbor mali cùm reliquis syluæ arboribus coparata: ita ut iusti homines & beati spiritos angelici, qui filij excelsi esse dicuntur in Psalmo 81. etsi, boni sunt & frugiferi, comparati tamen cùm sponso Christo, qui filius est dei unigenitus & naturalis, ueluti ligna syluarum infrugiferi censeantur; Aut etiam per filios qui symbolicè ligna syluę nuncupantur, intelligunt Origines & D. Hiero. malos Angelos, qui uniuscuiusq; hæreseos authores fautoresq; uisi sunt, & sic filij dei illi esse uidentur, qui aliquando fuerant, & non sunt; nisi dicamus hos esse per creationem dei filios, non per gratiam, ut sancti homines in hac uita, non per gloriam, ueluti spiritus in cęlo, non per naturam, ut Christus sponsus uerus homo, ac uerus Deus: Quare in hoc sensu Ecclesia cōparat Christi doctrinæ suauitatem ad hæreticorū dogmatum asperitatem, quæ sterilis est infrugiferaq; doctrina; Nam sponsi mala suauia, sunt dulcia ecclesiæ dogmata, quę populo dei à concionatoribus nunciantur, ligna uerò sylue infrugifera impia dogmata sūt, quę à diuersis hęreticis affirmantur, de quibus in Euangelio D. Matt. cap. 3. dicitur, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignē mittetur*. At cęteri omnes quos ego uiderim explicatores, aiunt, Ecclesiam sponsam loqui cùm sponso Christo, quàmuis alio, & alio modo hęc uerba mysticè exponant; Nam D. Grego. Papa ita Ecclesiam Christum alloquentem inducit: O mi dilecte, sicuti ligna syluestria usui hominum habiles fructus non gignunt, malus uerò poma gignit hominibus salubria, ita tu ueluti malus inter cęteros homines, quasi inter ligna syluestria, quandoquidem in te solo salutis cibum quoties quæro, inuenio, in cæteris uerò hominibus si quid boni inuenimus, quod manducemus, non quod illorum est, sed quod Christi est ab illis sumimus; At D. Bern. quem sequitur Alphonsus Augustinianus, inquit, Ecclesiā sponsam in his uerbis innuere uelle, inter omnes homines, qui sunt Dei filij per gratiam, & adoptionem, solum Christum fructum facere, cùm cęteri omnes declinarint, ut ait Prophęta in Psal. 73. & ueluti ligna syluarum steriles facti sint, aut præ Christi fructu uberrimo infrugiferæ dicantur, cum sine ipso nihil facere possint, ipso met Christo in Euangelio D. Ioan. cap. 15. inquiente, *Sine me nihil potestis facere*: Rursus D. Thomas, doctus Haymon, & Iacobus Val. ferè idem sentiunt, & dicunt, inter omnes electos unus mediator Dei & hominum Christus Iesus, speciali gratia prẹditus est, quippe qui solus est filius Dei per naturam, cæteri uero ex ipsius gratia, *qui dedit nobis potestatem filios Dei fieri*, ut ibidem cap. 1. habemus. Adhuc Cosmas Damianus à D. Grego-

rio,

rio,& à D.Ber. parum dissentiens,inquit: Solus Christus in sterili huius mundi sylua natus, ea arbor est, quę fructus affert & poma aurea, visu pulcherrima,& gustatu,olfactuq; suauissima,ut Prouerb. ca.3.legimus: *Is cum ipsa sit sapientia dei,lignũ vitæ est ijs qui apprehenderent eam, & fructus eius pretiosior est cũctis opibus:* Alij uerò omnes qui emẽtito Christi nomine seipsos extollunt,arboribus syluestribus similes sunt,quæ nullũ fructum ferunt,aut si quem fructum ferunt,nempe impia dogmata,& à uera religione abhorrentia instituta,&hi sunt Pharisęi,Pseudo prophetę,Hæresiarchæ,Philosophi,& quicunq; à Christo dissentiũt,rationẽ bene beateq; uiuẽdi tradere pollicentes,de quibus aiebat Dominus noster, apud D.Matt.c.7.*Attendite uobis à falsis Prophetis,qui veniunt ad uos in uestimẽtis ouium intrisecus autem sunt lupi rapaces:à fructibus eorũ cognoscetis eos,nunquid colligũt de spinis vuas?aut de tribulis ficus?* Ægidius tandem Card, ab his omnibus dissentiens,inducit Ecclesiam sponsam, quę sponso Christo obedire parata,ostendit se quidem filiorum curam gerere uelle, sicut illi sponsus Christus pręceperat, at primum sibi ipsi incumbendum esse,postea uerò aliis, tùm ex pręstantia contemplatiuę uitæ super actiuam, tùm ex ordine charitatis, qua primùm nos ipsos, mox uerò proximum diligere tenemur, & ait:sicut malus uiridis est inter ligna syluarum quæ sunt arida, sic Sponsus meus Christus inter alios iustos summè bonus est; ipsi uerò quasi aridi sunt, & alieni à Deo, si conferantur cum Christo, qui solus est filius Dei naturalis. Ego uerò opinor Ecclesiam spõsam quę à sponso Christo lilium inter spinas, hoc est inter cęteras impiorum omnium hominum congregationes pura & candida, quin imò & suauè olens,& pulchra appellata fuerat, suũ sponsum Christum uicissim talem inter omnes impiarum congregationum Principes & auctores qui sunt per creationem Dei filij, nuncupare,qualis est malus inter ligna syluarũ, quę omninò infrugifera sunt & sterilia, hoc est & uitę innocentia illum esse pulcherrimum,& boni nominis fama clarissimum, & miræ dulcedinis excellentia suauissimũ; sicuti malus arbor est & visu pulchra, & olfactu suauis, & gustatu grata; & mehercule,Christus est visu pulcherrimus ob vitæ innocentiam, vt inquit Apostolus Petrus cap.1. suæ primæ Epist. *Ipse est, in quem desiderant Angeli prospicere;* Christus adhùc est olfactu suauissimus, ob nominis famam, ut dicitur Gen. cap. 27. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni,cui benedixit dominus;* Christus deniq; est gustatu gratissimus ob miræ dulcedinis suauitatem, ut dicitur in Psal. 33. *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Quare optima ratione ducta Ecclesia sponsa, inter cęteros omnes filios Christum dilectum suum talem esse dicit, qualis est malus inter ligna syluarum.

LECTIO LXXXIII.

Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.



On parũ difficultatis habet, vt acri ingenio suo D. Bern. in hoc loco animaduertit, cur nimirum Ecclesia sponsa symbolice loquens de Christo, vt ipsius laudum præconium faceret, prætermissis tot tantisq; arboribus, & potioribus ac præstantioribus, mali arborem proponat, cum qua sponsum comparat inter ligna syluarum, quæ infrugifera sũt, nec fructus humano vsui aptos ferunt; cui sanè difficultati & si facere satis nititur D. Bern. inquiens, *fateor parua laus est, quoniam parui laus est, non enim commendatur hoc loco magnus dominus, & laudabilis nimis, sed paruus dominus, & amabilis nimis; neq; ipsius maiestas hic attollitur, sed humilitas*. Veruntamen si rem diligentius perpendamus, nullam certè arborem hac arbore malo ad rem ipsam accommodatiorem, Ecclesiam sponsam proponere potuisse cognoscemus: hoc autem vt manifestius appareat primum quid per ligna syluarum symbolicè intelligatur, aperiemus, mox qui sint hi filij, inter quod Christus uigere dicitur declarabimus, & demum agemus de arbore mali, rem ipsam quã quærimus facilè dissoluentes:

Quod igitur spectat ad ligna syluarum, illud adnotatu dignum propono varia lignorum genera in scripturis sanctis reperiri, etenim datur lignum absolutè sumptum, quod aliquando Christi crucem designat, aliquando incarnatam Dei sapientiam figurat; de cruce Christi legimus apud Hieremiam Prophætam cap. 11. *Mittamus lignum in panem eius*: nam lignum in panem mittere, est dominico corpori crucem adhibere, vt exponit D. Greg. 12. lib. Mor. cap. 4. de vito autem iusto & iniusto dicitur Ezechiel cap. 17. *Ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile, omnis enim*, vt ait Dominus noster in Euangelio D. Lucæ, cap. 14. *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*. de incarnata adhùc sapientia Dei cecinit Salomon in Prouer. cap. 3. *Lignum vitæ est iis, qui apprehenderint eam*: Verùm præter hæc ligna præcisè accepta, habemus D. Lucæ cap. 23. lignum viride, ac lignum aridum, & sicut illum Christum hominem diuinum, sic istud alios omnes homines designat, cùm ipse solus inter omnes homines vim habuerit diuinitatis, cuius efficacitate, etsi per passionem decidi potuit,

tuit; per resurrectionis tamen gloriam rursus ad vitæ viriditatem venit, sicuti lignum uiride etsi præcisum fuerit, adhuc virescit; Neque sum inscius Ezechielem cap. 17. tùm ligni alti, tùm humilis meminisse, cùm deum ita loquentem inducit, *& cognoscent omnia ligna campi, ego Dominus qui humilio lignum altum, & extollo lignum humile;* quę verba Origines hom. 12. in Ehechielem explanans, ait, lignum altum populus est Iudæorum, qui nunc humiliatus, sceleris sui pęnam luit, quia in Christum dominum nostrum ausus est mittere manum, tu autem ò plebs gẽtium lignum humile eras, lignum terrę hęrens, uerum te deus ad sublimem euexit dignitatem; Necnon ipsemet Origenes super Gen. cap. 6. illa uerba exponens: *Facies tibi arcam de lignis quadratis* inquit, quadratum est quod nulla nacillat ex parte, sed quousq; illud verteris, firma & solida stabilitate consistit; & hęc ligna quadrata in arca Noe, quæ omne pondus vel animalium, intrinsecus, vel fluctuum extrinsecus ferũt, arbitror esse doctores & magistros in Ecclesia Dei, qui & Christi populos intrinsecus positos verbis commonefaciunt & doctrinę gratia consolantur, impugnantibus verò extrinsecus aut gentibus, aut hęreticis, & quæstionum fluctus certaminumq; procellas commouentibus virtute verbi ac sapientia rationis obsistunt.

Rursus lib. Gen. cap. 2. tria lignorum genera commemorantur, lignũ videlicet pulchrũ visu, & ad vescendum suaue, & hoc vt exponit D. August. lib. 2. de Gen. ad Manichęum, iustorum hominum gaudia spiritalia significat; tùm ad aspectum intelligentię pertinentia, tùm ad escam qua beatæ animæ pascuntur, alterum vero erat vitæ lignum, in medio paradisi plantatum, quod ex authoritate D. Hilarij super Psal. 1. & D. Bern. serm. 48. super cantica, dei sapientiam & ipsummet Christum qui est virtus & sapientia patris figuratè exprimit, in medio Ecclesię positum, vt cùm ipse sit panis viuus, qui de Cœlo descendit, mundo det vitam & salutem æternam; demum aderat lignum scientiæ boni & mali, in medio quoq; Paradisi plantatum, & ordinatam animę integritatem figurat, quę consistit in medio, vt ibidem D. August. astruit, & ideo lignum dignoscentię boni & mali dicitur, quoniam si anima quæ debet in ea, quę anteriora sunt se extendere, hoc est in deum, & ea quę posteriora sunt obliuisci, corporeas nimirum voluptates, ad seipsam, deserto deo, conuersa fuerit, & sua potentia tamquam sine deo frui voluerit, intumescit superbia; quę est initium omnis peccati, & tunc experiendo discet, quid intersit inter bonum quod deseruit, & malum in quod cecidit: Præcipitur ergo ipsi animę vt de omni ligno paradisi comedat, de ligno autem in quo est dignoscentia boni & mali, non edat, hoc est non ita illo fruatur vt ipsam naturæ suæ integritatem, quasi manducando vio

let

let atq; corrumpat. His autẽ ligna quoq; Libani quæ ſunt imputribilia; addere poſſumus,ex quibus Rex Salomon, vt habemus in Canticis ca. 3. ferculum ſibi fecit, & quemadmodum ex D.Greg. ibidem ferculi appellatione deſignatur Eccleſia,ita per ligna Libani ſancti viri intelliguntur, ex quibus myſticus Salomon Chriſtus in æternitatem permanſuris, ſibi conſtruxit Eccleſiam, quę verè ferculum dicitur, quòd ipſa quotidie fert animas ad æternum conditoris conuiuium: Et tandem varijs in locis, potiſſimum verò in Pſal. 95. & in Canticis capit. 2. ligna ſyluarum leguntur, ibi namq; dicitur: *Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum*, hìc verò habemus: *Sicut malus inter ligna ſyluarum*, & myſticè nobis per huiuſmodi ſyluarum ligna ſignificantur, aut Angeli Dei, & iuſti homines vt placet Origini, D. Hieron. & Iacobo Valentino, aut iuſti homines tantum, vt opinantur D. Grego. D. Bern. D. Thom. Doctus Haymon, Ægidius Card. & Alphonſus Auguſt. aut gentes infideles quęcũque illę ſint, exprimuntur, vt aſſerit D. Greg. lib. 19. Mora. capit. 27. aut demum omnes homines impij tàm fideles,quàm infideles, & potiſſimum Sathanicarum Synagogarum, hęreticarumq; claſſium auctores & principes, vt ego cenſeo vnà cum Hugone Card. & Coſma Damiano: & certè primam opinionem nullatenus approbandam opinor,nam etſi mundus iſte vel etiam Eccleſia, quam militantem vocamus, ſyluarum nomine intelligi poteſt, in quibus arida ligna & infrugifera cùm pomiferis habentur, cęleſtis tamen paradiſus, in quo ſunt Angeli beati, deo fruentes, nequaquàm ſylua nuncupari poſſe videtur; & ob hãc cauſſam per ligna ſyluarum non Angelos dei, & iuſtos homines deſignari arbitror; ſecunda vero opinio quamquam ex parte vna defenditur, ex altera tamen damnatur, nam iuſti homines in Eccleſia dei non verè infrugifera ſyluarum ligna nuncupantur, at ligna potius quę plantata ſecus decurſus aquarum, fructus ſuos dabunt temporibus ſuis: niſi dicamus cum ijs qui illam tuentur, iuſtos homines, ſi cum Chriſto conferantur, qui eſt arbor mali frugifera, ſyluarum infrugifera ligna nuncupari at ſi propriè loqui velimus, non infrugifera ligna, at non ita frugifera (vt eſt arbor mali Chriſtus) dici debent: quare tertia, vel etiam quarta ſententia remanet vera, cęteriſque probabilior, vt per ſyluas non cęleſtis paradiſus, non Eccleſia tantum, at totus hic mundus, eiuſque Sathanicę Synagogę intelligantur; quarũ ligna infrugifera non ſunt Angeli dei, non iuſti homines, at omnes impij, tàm fideles quàm infideles, vti ſunt iudei, heretici, hypocritę, ac dęmones ipſi; quippe qui, aut nullum fructum ferunt, aut ſi quem ferunt, omnino inutilis eſt uſui humano, & noxius. Hinc autem facile eſt ſecundo loco declarare, quinam per filios deſignentur, ab Eccleſia ſponſa; neque enim intelli-

gendi

gendi sunt Angeli dei, qui ipsius filij sunt per creationem, gratiam, & gloriam, ut dicitur in prima opinione, neque iusti homines, qui sunt dei filij per creationem & gratiã, ut affirmatur in secunda sententia, sed omnes impij, qui sunt dei filij (uelint nolint) per creationem ut astruitur in tertia & quarta interpretatione: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios*. Optima igitur ratione ducta Ecclesia sponsa, cùm de lignis syluarum loqueretur, & in syluis nulla sit frugifera arbor, nisi malus, malum arborem Christum sponsum appellat, quæ etsi arbor est exigua & humilis, ut D. Bern. ait, ipsius tamen fructus, qui sunt mala, utpotè pulchri uisu, suaue olentes olfactu, & gustatu dulces & grati, quàm maximè nobis exprimũt bona opera & laudabiles Heroum uirtutes; etenim præterquàm quòd ex Herculis statua, quę Romæ erat in Capitolio, id optimè dignoscitur, quippe quę ex ęre constructa, spolio leonino, clauaq; insignis, lęua manu tria poma seu mala cõtinebat, quę tres in Hercule heroe uirtutes insigniores designabant, quarum vna excandescentiæ moderatio, altera auaritiæ temperamentum, postrema generosus voluptatum contemptus, quod quidẽ symbolicẽ nobis indicat, Herculem facultati concupiscenti modum imposuisse; ò rem pulchram & omni dignam admiratione: *Si omne quod est in mundo*, vt ait D. Ioan. in Epist. 1. cap. 2. *aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*, quis profectò mira præditus humilitate, liberalitate, & castitate, hæc tria humani generis vitia, quæ vocant capitalia, vicit ac superauit, nisi mysticus Hercules Christus, suę crucis claua? nonnè si mitis fuit & humilis corde, superbiam depressit? nonnè si pauper extitit, nõ habens vbi reclinaret caput suum, auaritiam abstulit? nonnè deniquè si clamabat: *Sint lumbi vestri præcincti*, carnis luxuriam coarctauit? Verùm id etiam ex sanctorum patrum auctoritatibus comprobatur, & præsertim ex D. Greg. suis in Comment. super Cantica cap. 8. & ex D Bern. ibidem Serm. 48. iste, namque sic ait, vna inter ligna syluarum, arbor faciens fructum Dominus Iesus est, qui secundum hominem etsi minóratus est ab Angelis, prælatus tamen est hominibus, & ob id inter ligna syluarum excellit, non inter hortorum plantaria; ille verò sic inquit, inter ligna syluarum malus arbor est Christus, quoniam inter homines pręstanti virtutum excellentia solus ipse viget: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios*.

LECTIO

LECTIO LXXXIIII.

Sub umbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.



Ergit adhùc sponsa loqui, & eadem arboris mali metaphora vtens, non amplius sponsum, at suas affatur adolescentulas, quibus, sponso è scena abeunte, summa cùm animi lętitia nunciat, se voti compotem effectam, sub illius vmbra demum sedisse, eiusq; fructum suo gutturi dulcem degustasse, quæ duo tam diu desiderauerat, & maxima cordis anxietate à sponso sibi concedi in primo Cantico petierat dicens: *Indica mihi ò sponsæ, quem diligit anima mea, vbi pascas, & vbi cubes, in meridie*; ac si dicere velit etsi lilium sum inter spinas, & sponsus malus est inter ligna syluarum, quæ arbor est satis vmbrosa atque frugifera, attamen sub vmbra illius tuta quiesco, & fructus illius dulcis est gutturi meo; quæ verba si allegoricè explicentur, dicendum est, Ecclesiam sponsam Christi Fidelibus incipientibus, ac paulatim in Christiana fide proficientibus lætam nunciare, vt non timeant etsi lilium ipsa est inter spinas, hoc est innumeris afflictionum generibus subijcitur, neque perturbentur etsi sponsus inter ligna syluarum, veluti malus arbor reperitur, hoc est varijs inimicorum hominum sectis & synagogis circumseptus cõspicitur; quandoquidem sub ipsius Christi protectionis vmbra, ab omnibus mundi periculis tuta manet, & sub arbore saltem pomifera sedens, veræ doctrinæ, cœlestisque sapientiæ fructus degustat suo gutturi dulces ac suaues, sicuti per multa annorum sæcula ante Christi temporariam natiuitatem tantopere expetiuerat; Ita omnes interpretes, quos ego viderim, vnanimi ferè consensu hæc verba exponunt, tùm quò ad literæ sensum, tùm quò ad mysteria spiritus: & primùm ita inquiunt Origenes & D. Hieron. Ecclesia concupiscit sedere in protectione Christi filij Dei, refugiens reliquas omnes doctrinas, & vni soli adhærens verbo Dei, cuius dulcem fructum in faucibus habeat, meditando nimirum Dei legem, cuius eloquia dulcia sunt super mel & fauum; ita inquiunt D. Thomas & doctus Haymon, Ecclesia sponsa protectionem conditoris sui exoptat inter præsentis vitæ aduersa, cùm sit lilium inter spinas, & expectat perfrui fructu eius, hoc specie visionis illius, satiariq; dulcedine charitatis eius, qui malus est inter ligna syluarum: Differunt autem hæ duæ expositiones, quoniam ista de fructu diuinæ visionis, quam in futura vita expectamus, Ecclesiam loqui interpretatur; illa verò de fructu exponit doctrinæ

Christi,

Christi,ac eloquentiũ Dei, quæ in hac vita gustamus; & sanè tàm priorem quàm posteriorē interpretationem amplector, vt alij quoque annuunt explicatores: Nam D.Greg. ait:Sponsa quæ tropologicè mens nostra est,sub Spiritus sancti protectione se sedisse dicit,cùm vmbra Christi sit Spiritus sancti protectio,qui mentem,quã sua gratia replet,obumbrare dicitur,dum omnem afflictionum feruorem temperat,& dum aura suæ inspirationis suaui mentem tangit, quicquid noxij caloris sustinebat,expellit,vt dum in eius inspiratione sedens pausat, vires colligat, quibus ad ęternam vitam robustius currat; quinimo fructum Christi qui est arbor frugifera plantatus per fidem in corde nostro, suo gutturi dulcem extitisse dicit, nam si mens hanc fructiferam arborem excolit, eiusq; fructum auidè comedit, omnes mundi voluptates præ eius dulcedine postponit, ita vt aliquando in cœlestibus etiam mens ipsa accensa compungatur,& Angelorum cibo quantò dulcius, tantò quoque auidius pascatur. D.autem Bern.ita exponit, Ecclesia sponsa sub Christi patrocinio se esse cõgaudet: nam etsi ab alijs quoq; tàm hominibus quàm Angelis,vmbram habet solatij,attamen salutis fructum suauem non obtinet nisi à Christo sponso, vnus est enim vitæ auctor, vnus mediator Dei & hominum Christus Iesus, & ipse solus veluti vmbra ab ęstu uitiorum refrigerat, & ceu fructus virtutum delectatione nos replet. Adhùc D. Bern. ita interpretatur, vt sponsa Ecclesia sub Christi fide se esse lętetur, & diuinarum rerum gustum suauem se obtinuisse, nam vmbra est Christi fides, cùm nunc videamus,quasi per vmbram, per speculum in ęnigmate, tunc autem facie ad faciem: & ob hanc caussam tàm diu sumus in vmbra nocturna, quàm diu per fidem ambulamus in terris; tunc autem in luce erimus meridiana, quãdo videbimus in cœlo Deum sicuti est: & quemadmodum nunc suauitas est gutturi nostro, ita ventri tunc satietas erit perpetua. Verum Hugo Card. ita explanat: Ecclesia sponsa suas alloquens Adolescentulas, inquit: Iàm sub vmbra figurarũ antiquę legis,quam desideraueram in Patriarchis,& Prophetis,sedi diu expectans,& non plenè quiescens, & legis intelligentia, vel Beatitudo ęterna, quæ legi promittebatur, dulcis est cordi meo, quoniam intellectu,legis veritatem percipit,& affectu,legis suauitatem gustat: attamen Hugo Card.nimis duram, & cùm dictis parùm quadrantem hanc expositionem noscens,alteram tradidit,inquiens, Ecclesia sub Christi protectione, & refrigerio se esse lętatur, & magnam ex eius fructu, qui est Christi Corpus, & Sanguis, suauitatem percipere gaudet, qua reficitur in hac vita. Ægidius quoque Rom.non benè admodum hęc verba explicat, dicens: Tunc sedemus sub vmbra Christi, quando ardor libidinis nos minime vrit; & tunc fructus eius dulcis est gutturi nostro,
quando

quàndo terrenas voluptates relinquentes, diuina gratia delectamur. Demum recentiores Interpretes, vt Cosmas Damia. Iacobus Valentinus, & Frater Alphonsus Augustinianus, idem ferè dicunt, quod nos in huius lectionis initio de mystica horum verborum interpretatione asseueramus. Ex his igitur omnibus vos colligatis Sponsi vmbram, sub qua Sponsa se sedisse dicit, ipsius Christi presidium ac protectionem mysticè nobis significare, extrà quam vmbram omnia periculis plena sunt; & nusquàm secura, & tuta quies esse potest, nisi in Christi auxilio, vt dicitur in Ps. 16. *Sub vmbra alarum tuarum protege me*; & in Ps. 26. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Fructus autem Sponsi Spóse gutturi ita suauis, ipsius Christi doctrinę ac cœlestis sapientię suauitas est, qua fidelium mentes interius delectantur, vt dicitur in Psal. 112. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua? super Mel, & Fauum:* Nunquàm autem hoc cibo suauissimo pascimur, nisi sub vmbra Christi sedentes quiescamus; & hac de caussa Sponsa suis nunciat Adolescentulis, se primùm sub vmbra Sponsi sedisse; mox verò illius fructum suo gutturi dulcem degustasse. Audite, *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.*

LECTIO LXXXV.

Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi.



Vàmquàm vmbra res tenuis est, ac leuis, quippe quæ Aer est, Solis lumine carens, quod fit alicuius opaci corporis obiectu, & præsertim Nubium, vmbra tamen Sponsi, & Sponsi Regis Christi, res magna est, & præclara, cùm sit non humanum presidium, angelicauè custodia, at cœlestis, diuinaque protectio, quæ alibi Dei alarum vmbra symbolicè nuncupatur, vt in Ps. 16. *Sub vmbra alarum tuarum protege me*; & apud Ionam proph. cap. 4. Hederę vmbra dicitur, qua Ionas ab ęstu Solis protegitur, sub his verbis. *Et præparauit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum, laborauerat enim, & lætatus est Ionas super hædera lætitia magna*: Hic demum vocatur vmbra arboris mali, quę allegoricè ipsummet sponsum Christū designat. Neque me latet Mortis etiam vmbram in scripturis sanctis haberi, vt in Ps. 43. *Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra Mortis*, vt in libro Iob cap. 3. *Obscurent eum tenebræ, & vmbra Mortis*: & apud Isaiam cap. 9. *Sedentibus in tenebris, & vmbra Mortis*

Mortis, lux orta est eis. & in Cant. Zacch. apud diuum Lucam cap. 1. *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra Mortis sedent*. Quæ sanctorum Patrum auctoritates si mysticè exponantur, & duritiam legis, & nostri Corporis mortem, & Mentis obliuionem, & Diaboli tandem imitationem, sub vmbræ mortis appellatione, nobis significari demonstrant, vt D.Greg. placet lib.4. Moralium, cap.20. lib.11. cap.11. & lib.33. cap.3. Etenim de legis duritia ita inquit. *Vmbra Mortis Mosaicæ legis erat duritia, quæ vnumquemque peccantem, Corporis morte puniri iubebat: sed postquàm Redemptor noster asperitatem legalis sanctionis, per Euangelij mansuetudinem temperauit, nec iàm pro culpa, corporis mortem inferri constituit, sed Mors spiritus, quantum timenda esset indicauit; in lucem procul dubio Mortis vmbram produxit:* sicuti Iob cap. 10. per multa ante annorum sæcula prædixerat. Adhuc de Carnis morte sic ait, idem Doctor sanctus: *Vmbra Mortis electos Dei Martyres opprimit, cum Mors Carnis, quæ æternæ Mortis imago est, illos ab hac vita disiungit, quia sicut illa Animam à Deo; ita hæc ab Anima separat Corpus*, vt ipsimet in Ps. 43. clamabant. *Cooperuit nos vmbra Mortis*: Rursus de Mentis obliuione ita scribit: *In Scripturis sacris pro vmbra Mortis obliuio Mentis aliquando accipitur: nam quemadmodum Mors, hoc quod interficit efficit, vt non sit in Vita; ita & Mentis obliuio, hoc quod intercipit agit, vt non sit in memoria*, vt dicitur in Cant. Zacch. Illi namque in vmbra Mortis sedent, qui à diuini amoris notitia in obliuione latescunt. Et demum de imitatione dæmonis hoc pacto D.Greg. ait: *Vmbra Mortis, antiqui Hostis imitatio est, quia sicut Vmbra qualitatem Corporis sequitur; ita iniquorum Hominum actiones ex Dæmonis imitationis specie exprimuntur*. Verùm de vmbra Mortis hoc mane nobis nequaquàm agendum est, at de vmbra Sponsi Christi, quæ diuinum præsidium indicat, spiritalisq; Gratiæ refrigerium, vt ferè omnes Interpretes in hoc loco affirmant. Et certè, sicut Vmbra ex corpore consurgens, vltra Corpus extenditur, & sæpe Corpus minimè videtur, cuius vmbra conspicitur, nonnè superna Dei protectio longè lateq; diffusa seipsam vbiquè extendit? Et quàmuis ipse Deus à nobis non videatur, ipsius tamen præsidij effectus nobis innotescunt: quinimò sicuti Vmbra à Solis radiorum æstu nos defendens, ardentia membra in æstate refrigerat; ita Dei protectio, cùm Vitiorum æstus in nobis flagrat, sui refrigerij spiritum nobis tribuit. Præterea, Vmbra illum insequitur, qui faciem vertit ad Solem, illum verò qui terga vertit absque dubio fugit: quemadmodum etiã qui Deum præ oculis habet, sireq; voluntatis faciem ad Deum vertit Iustitię, ac Misericordiæ Solem, is diuino pręsidio in omnibus suis actionibus custoditur; ille verò prorsus derelinquitur, qui Deum contemnit, & pro-

pter

pter scelera, quibus quotidie delectatur, illum à tergo relinquit: Item Vmbra moto corpore, mouetur, & quiescente, quiescit, quippe quæ Corpus, eiusq; motum, figuramq; insequitur; & Dei protectio, sicuti benè operantes, atque in bonis operibus se exercentes custodit; ita deserit in ocio torpentes, atque in cathedra peccatorum sedentes. Demum sub Vmbra cùm itineris labor ad quietem nos reuocat, libenter quiescimus, & tranquillè, ibiq; sedentes cibo, ac potu nos ipsos reficimus, & recreamus; & sub Vmbrę Dei prędidio ab omnibus vitę laboribus, ab omnibusq; Mundi periculis tuta manet Ecclesia, & secura, ibiq; quietè sedēs, verę doctrinę fructu suaui reficitur, & recreatur, inquiens: *Sub Vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*. Verùm protinus mihi obijcietis, Nonnè Vmbra res mala est & noxia, si Solis calorem prohibet & splendorem? si serpentibus est iucunda, atquè amica? si colubrorum est altrix? si Fructuum maturitatem retardat? si męrorem melancolicis incutit? si fugit insequentes, & fugientes insequitur? si quò Sol remotior est à nobis, eò fit ipsa maior? & quò propinquior minor? si nunquàm in eodem statu permanet, sed modo crescit, & modo decrescit? si videtur esse Corpus, at Corporis est similitudo, & figura inanis? si nunquàm appręhendi potest, at illicò euanescit? si demum nullam re ipsa existentiam, at imaginariam tantum apparentiam habet? si res igitur ita se habet, obijcitis vos, qui fieri potest vt Vmbra, quę tàm mala est, & noxia, diuini prędidij sit indicium, quod summè bonum est, omniumq; bonorum in Creaturis origo? Audite, & omni attentione audite: nam, quemadmodum Sponsa non de Vmbra Mortis; ita nec de Vmbra præcisè loquitur, quę tot malorum effectrix est, at Vmbra Sponsi, quæ alarum diuinarum est Vmbra, omniumque Bonorum auctrix, & conseruatrix; pręterquàm quòd generalis, & satis trita Theologorū sententia est, vt quæ in Creaturis aliquo modo reperiuntur vniuersa, quà perfectionem dicunt in Deo Opt. Max. si nō secundum formam propriam, eminenter saltem, vt inquiunt, & virtute reperiantur: quatenus verò nonnihil in seipsis imperfectionis habent, eatenus à Deo seclu di debeant: hinc ipsemet Deus in Ps. 49. de vniuersa Creaturarum omnium pulchritudine sub Agri metaphora verba faciens, aiebat: *Pulchritudo Agri mecum est*. Vmbra igitur, etsi multas habeat imperfectiones, ob quas diuinæ protectionis symbolum esse nequit, non paucas tamen in se continet perfectiones, quarum gratia diuinum præsidium indicat, vt satis apertè paulo superius demonstrauimus, quod quidem adhùc manifestius confirmari potest ex verbis ipsius, quæ sub peculiari quodā sensu de Vmbra se loqui ostendit, dum sub Vmbra Sponsi se quietè sedisse ait: etenim sub Vmbra sedere, laborum, æstusq; refrigerium, & quietem

quietem quærere est, ac possidere: in quo sensu salutaris est Vmbra, atque proficua, quinimò; præsidium perbellè significat: *Sub Vmbra illius, quem desideraueram sedi.* Verùm quod pertinet ad sedem, cùm sub Vmbra Sponsi Sponsa se sedere dicat, multa quidem sub sedis appellatione, at Corporis quietem potissimum, & Animi tranquillitatem symbolicè designari aiunt: Et mehercule Sedes dominationis, ac principatus potestatem indicat: hinc Origenes in suis Hom. super D. Matth. cap 19. illa verba exponens: *Tunc sedebit in sede maiestatis suæ*, inquiebat hoc est: *In potestate dominationis suæ*, vt per hanc sedem in qua Christus omnes iudicaturus veniet, ipsius dominatus potestatem intelligi velit, quam Theologi delegatam vocant: hanc enim à Patre sibi communicatam habet solus Christus Filius hominis, vt dicitur in Euãg. D. Ioan. cap. 5. *Pater omne iudicium dedit Filio, quia filius hominis est*, quod quidem ea potissimum de caussa ipsi Filio hominis datum fuisse arbitrantur D. Aug. & Doctus Remigius in hoc loco, vt forma illa Iudicis esset, quæ stetit sub Iudice; & illa iudicaret, quæ iudicata est: quinimò & Sapientiæ symbolum sedes esse dicitur, vt videre est apud Dauidem Proph. in Ps. 70. quo loci Deum scientissimum esse incomprehensaq; sapientia præditum significare volens, illum astruit sedere super Cherubim, qui sapientes nuncupantur: & fortè fortuna Christi sedes, in qua sedens iudicabit, diuinam ipsius sapientiam mysticè præmonstrat, qua, vti Iudices omnes facere debent, sapientissimè iudicaturus est Viuos, & Mortuos; quando quidem ad ipsum præsertim filium, vt sacri dicunt Theologi, diuina aptatur Sapientia, sicuti potestas Patri, & Spiritui sancto Bonitas attribuitur, quæ sunt tria, illaq; præcipua sanctissimæ Trinitatis attributa: Quare Dominus noster in sede maiestatis suæ: hoc est magna cùm Sapientia venire dicitur, vt quorumlibet hominum opera, siuè bona, siuè mala dignoscere sciens, vnicuique tribuat quod suum est. Necnon Viros sanctos, & beatos Angelos, illosq; potissimum, qui vocantur Throni, per sedem, & Dei sedem designari legimus, cùm in Ps. 121. vbi dicitur: *illic sederunt Sedes in iudicio:* tùm apud Salomonem in libro Sap. cap. 7. dicentem: *Anima Iusti Thronus Sapientiæ:* tùm etiam apud Origenẽ Hom. prima super Gen. & apud D. Aug. & Cassiod. super Ps. 120. qui ita aiunt: *In his, quorum conuersatio in Cælis est, Deus requiescit, ac residet, hoc est, in Sanctis perfectioribus, & in quibusdam Angelis, qui dicuntur Throni.* Adhùc altius conscendentes æternitatis indicium esse Sedem inuenimus apud Æthnicos Auctores non solum, sed apud Orthodoxos etiam Patres: etenim antiquiores Romani, eorum imperij perennitatem nobis significare volentes, numismata percutere effecerunt, in quorum altera parte Mulieris in pulcherrimo

Gg solio

folio sedentis, quæ Vrbem Romam præmõstrabat, simulach rum sculptum aderat, cuius hæc erat inscriptio: *Romæ Aeternitas*: ad quod fortasse Poeta Maro.lib.6.Æne.alludere voluit, inquiens:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

Imò verò Dauid Proph.Ecclesiæ triumphantis, ac cœli empyrei ęternitatem indicans, illam in Ps.44. Sedem nuncupauit, dicens: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi*: Verùm & quid dignius, quiduè sublimius de Sede dici potest, quàm si ipsammet diuinitatem, qua nihil maius, aut melius excogitare possumus, sub Sedis appellatione figuratè exprimi dicamus? Ita censet Rupertus Abbas suis in Commen. super Cant. Cantic. cap.1.illa verba exponens: *Dum esset Rex in accubitu suo*, hoc est: *In Diuinitate sua, Nardus mea dedit odorem suum*, vbi sic inquit: *Quid enim est, vel erat accubitus Regis, nisi Cor, vel sinus Patris? & quid sinus, Corue Patris, nisi diuinæ naturæ fœcunditas, eructans verbum bonũ?* Et subiungens, beatam Virginem Dei matrem ita loquentem inducit: *Dicebant impij de Christo rege illum tantum hominem esse, & nihil quod suprà hominem sit, in eo extitisse, at mentiti sunt, quoniam ipse, prius quàm Ego essem, est, erat, & erit in accubitu suo, nam in principio erat Verbum: & dum ita esset, Nardus humilitatis meæ dedit odorem suum, quo ipse mirificè delectatus, descendit in Vterum Matris*. Attamen, si quid est, quod per sedem maximè designetur, illud certè est quies, & tranquillitas, siue Corporis illa sit, siue Animi: inde Ægyptij; cùm Æquinoctij quietem, & firmitatem, quando scilicet æqua noctis, & diei mensura Sol Mundũ illustrat, nobis hieroglyphicè exprimere vellent. Cœnocephalum sedẽtem pingebant: Et Nasamonęi Lybiæ Populi, vt perpetuam, in altera Vita, quietem sibi augurarentur, sedentes moriebantur, & sedentes in sepulchris se collocari iubebant: sed quid Gentium exempla propono? ipsemet Deus, qui solus, omnis mutationis est expers: *Stabilisq; manens, dat cuncta moueri*, vt cecinit Boeth. in scripturis sanctis potissimum sedere dicitur, quàmquàm omni situ, veluti incorporeus, Spiritusq; simplicissimus, caret, vt in Psal. 28. *Sedebit Dominus Rex in æternum*; vt in Ps.46. *Deus sedet super Sedem sanctam suam*, & alibi sæpe: Imò verò nos, qui in hac vita mortali perpetua rerum vicissitudine, ac mutatione circumducimur, & agitamur, quando profectò vera fruemur quiete, sempiternaque requie, nisi post transactam hanc Mundi durationem, cùm erit Cœlum nouum, & Terra noua? ita inquit D. Ioan. in Apocal. cap.14. *Amodo iàm dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis*. Sponsa igitur Ecclesia id mente considerans, seq; in hoc sæculo nequàm, veluti lilium inter spinas, inter pungentes impiorum hominum afflictiones,

grauiaq;

grauiaq; pericula perpetuò commoraturam ſciens, ſuis læta nunciat Adoleſcentulis, hoc ſibi inter tot, tantosq; Mundi cruciatus, reſtare refugium, vt ſub diuinæ ipſius Sponſi Chriſti protectionis Vmbra tuta maneat, ac ſecura; ac ſi dicat vnà cùm Dauid Proph. in Pſal. 26. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Nā Dñs eſt adiutor meus, refugium meū, & protector meus: *Sub Vmbra igitur illius, quem deſiderauerā ſedi.*

LECTIO LXXXVI.

Et fructus eius dulcis Gutturi meo.



SI qui pedibus iter longum, ac difficilè ingrediuntur, aut ipſius itineris labore deſeſſi, aut Solis æſtu feruente, aut alijs agitati incommodis, dum ſub alicuius arboris vmbra ſedentes quieſcunt, cibo quoq; ac potu ſe ipſos recreare ſolent, quid mirum ſi ſponſa noſtra in hoc difficili huius vitæ mortalis curſu, in quo varias perpetitur calamitates & miſerias, dum ſub vmbra illius quem deſiderauerat, ſedet, illius quoq; fructu ſe reficiat, quem ſuo guſtui dulcem, ſuis coràm Adoleſcentulis prædicat, inquiens: *Et fructus eius dulcis gutturi meo*. Nunc autē poſtq; de ſponſi vmbra, ſponſęq; ſub vmbra ſeſſione ſatis egimus, nonnihil etiam de ipſius ſponſi fructu, ſpōnſęq; gutture pertractare libet, atque hinc exordiar. Sponſi Chriſti fructus ſunt Eccleſiaſtica commoda, vt D. Grego. aſtruit ſuper Iob. cap. 31. illa verba Prophętæ exponens, *Si fructus eius commedi abſq; pecunia;* ait enim, *Terre fructus abſq; pecunia commedit, qui Eccleſiaſtica commoda ad vſum Corporis percipit: ſed exhortationis miniſterium populo non impendit*, ita vt alimenta Eccleſiaſtica *mutus manducet, & exigat quod ſuo debetur corpori, quod verò ſibi ſubiectorū cordi debetur, non impendat*. Nonnunquàm enim fructum tàm Bonorum, quàm Malorum appellatione, noſtra ſiuè bona, ſiuè mala opera exprimuntur, vt placet tùm D. Aug. l. 2. de Serm. Dom. in monte, illud D. Matt. cap. 7. interpretanti, *non poteſt Arbor bona malos fructus facere*, vbi dicit, *Arbor eſt anima, cuius fructus ſunt opera*; tùm D. Greg. ſuper Cant. cap. 5. dum illa verba explanat: *Veniat dilectus meus in hortum meum, & commedat fructum Pomorum ſuorum*, vbi ſic ait, *In Hortum tunc venit Dilectus, & fructum comedit, quando Chriſtus mentes noſtras viſitat, & bonorum operum dilectione ſe ipſum ſatiat:* Verùm quod eſt adhùc excellentius, cæleſtia dona, vitamq; æternam per fructū deſignari legimus Prouerbiorum cap. 31. *Date ei de fructu manuū ſua-*

rum, nam qui in hac vita boni operis semen seminauerit, in futuro sæculo æternæ remunerationis fructum consequetur, vt inquit D. Greg. lib. 6. Mora. cap. 4. sub his verbis, *Tunc Sancta Ecclesia de fructu manuum suarum accipit, cùm laboris sui retributio ad cælestia Bona percipienda illam attollit*: Præterea sicuti palma arbor Christi crucem figuratè indicat; ita palmæ fructus vitam, quam Christus in cruce inuenit, symbolicè præmonstrat, vt ex eodem D. Greg. in Cant. cap. 7. colligimus, quo loci sponsus ita loquens inducitur: *Ascendam in Palma, & apprehendam fructus eius*; & subiungit Doctor Sanctus: *In Palmam Sponsus ascendit, & fructus eius apprehendit, quia in Cruce Christus suspensus fructum vitę inuenit, at nobis omnibus tribuit*: De quo sanè vitæ fructu, quo tandem in Cælo fruemur, etsi plura dicere possum, hęc pauca tamen tetigisse in præsentia, satis; illud equidē silentio non pręteribo, hoc vitæ lignum ferrè duodecim fructus, & per singulos menses reddere fructum suum, vt narrat in Apoc. cap. 22. D. Ioan. inquiēs: *Et ostendit mihi fluuium Aquę viuæ; & ex vtraq; parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, & per menses singulos reddens fructum suum*: Quod Apostolus sanctus Galat. cap. 5. manifestius explicauit, hos duodecim fructus enumerans, quos Spiritus sancti fructus appellat; & sunt isti: *Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continetia, Castitas*: Demū ex ore ipsiusmet Domini nostri apud D. Matth. cap. 13. habemus triplex genus fructus, fructum nimirum trigesimum, sexagesimum, & centesimum, quorum sanè fructus sancti Patres varijs explicant interpretatio nibus; nam. D. Hieron. in lib. aduers. Iouin. existimat trigesimum dari Coniugatis, sexagesimum Viduis, & centesimū Virginibus, sicuti nam que sexagesimus trigesimum, & centesimus vtrumque numeri quantitate, & perfectione excellit; ita Virgines Virginumque præmia tàm Viduis, quàm Coniugatis, horumque Donis, quàm maximè pręstat, & ob hanc causam ferrum Coniugatis, Viduis Argenteum, & Virginibus Aureum à quibusdam tribui solet, qui de hac triplici hominū castitate symbolicè locuti sunt. At D. Aug. lib. pri. quęst. Euang. quęst 9. opinatur centesimum fructum martyribus assignari propter vitę sanctitatē, & mortis contemptum, sexagesimum verò Virginibus tribui propter ocium interius, quia non pugnant contrà consuetudinem Carnis, solet enim ocium concedi sexagenarijs post militiam, vel post actiones publicas; & demum trigesimum fructum dari Cōiugatis, cùm hęc sit ętas pręliantium, ipsi enim habent acriorem conflictum, ne libidinibus superētur; rursus D. Greg. Hom. 17. super Ezec. ait fructus terræ bonæ triginta affert, cùm Mens fidei perfectionem, quę est in trinitate

tate conceperit, sexaginta verò affert, cùm bonę vitę opera perfectè tulerit, nam cùm decem sint Dei pręcepta, & decies sex ducta in sexagenarium numerum surgant rectè per sexagenarium bonorum operum perfectio designatur, Centum denique affert, cùm ad æternæ vitæ contemplationem profecerit, quæ per centenarium numerum rectè figuratur, quoniam cùm post triginta, & sexaginta ad centenarium numerū computandum peruenimus, idem centenarius numerus in dexteram trāsit, quæ vitam æternam significat, sicuti sinistra pręsentem exprimit vitam. Tandem doctus Remigius suis in Comm.super D. Matt.cap. 13.ita exponit, Semen est Verbum Dei, quid tunc trigesimum fructum producit, quando bonam cogitationem gignit; tunc sexagesimum, quando bonā cogitationem emittit; tunc demum centesimum, quando ad boni operis fructum perducit: At hoc in loco Sponsi Christi fructus, etsi res multas variasq; nobis mysticè designat, vt in præcedentibus sermonibus satis superq; ostendimus, varias proponentes tàm Priscorum, quàm Recentiorum Interpretum explicationes, pręcipuè tamen ipsius Christi veram Doctrinam, diuinamq; Sapientiam indicat, qua Mentes fidelium interius delectantur, vt dicitur in Psal. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? super Mel, & Fauum*: Quo sanè cibo suauissimo nunquā pascimur, ac recreamur, nisi cùm sponsa Ecclesia sub vmbra Christi quiescentes sedeamus: audite, *Sub Vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*: hoc est quilibet Christi fidelium menti, vt ego opinor: neq; me latet, sponsę guttur Ecclesię prędicationem, quam Concionatores verbi Dei exercent, symbolicè significare, vt D. ait Greg. Cant.cap. 7. illud Prophetæ Salomonis exponens: *Guttur tunc sicut uinum optimum*, etenim in gutture vox est, per Guttur ergo ipsa prædicatio designatur, quæ quasi vinum optimum esse dicitur, quia Mentes Hominum inebriat, vt prætcritorum obliuiscantur, & in anteriora currentes nō defatigentur; quod ferè idem asseuerare uidetur D.Hier. super lib. Prou.cap.6. quò loci Salomon inquit: *Liga præcepta in corde tuo iugiter, & circunda ea gutturi tuo*: Nā ita dicit Doctor sanctus, In cogitatione pręcepta Dei fixa retine, & loquelam tuam horum vtiquè dulcedine, ne fortè lingua labaris, cōmunito; quare sicuti Greg. Papa Ecclesię sponsæ guttur sanctum prędicationem exprimere putat; ita D.Hier. ipsummet Concionatorum sermonem, siue loquelam figurare existimat: Et ob hanc caussam fortè fortuna ab Ecclesia Dei canitur in Hymno Pentec. Spiritum sanctum Apostolorum guttura sermone ditasse, quippe qui a Domino Nostro Iesu Christo in vniuersum Mundum Verbi Dei Concionatores, & Sacrosanctæ fidei promulgatores mittebantur: Audite: *Tu septiformis munere, dextrę Dei tu Digitus, Tu*

ritè promißum Patris, sermone ditans guttura. Ego verò sponsæ guttur, ipsius Ecclesiæ, hoc est omniū Christi fideliū mentes significare arbitror; quemadmodum enim Guttur, quod Colli pars est anterior, pro illa sumitur via, qua Spiritus a Pulmone ad Os transmittitur, quæ in Homine aspera Arteria nuncupatur, in qua vox est; ita Fidelium, & Iustorū Hominum Mentes sunt Ecclesiæ pars anterior (posterior namq; pars sunt fidelium impiorum Animæ) & illę sunt quę cęlestis doctrinæ, diuinorumque eloquiorum dulcedinem degustantes, ad pusillos & imperfectos, qui sunt incipientes, & paulatim in Cristi fide, ac sapientia proficientes, illam suaui concentu transmittunt. Quid autem per guttur ipsius Sponsi Christi intelligatur, non est huius loci declarare, nā in Cant. cap. 5. de hoc agitur à Proph. vbi sponsam ita de sponso loquentem inducit: *Guttur illius suauissimus, & totus desiderabilis*: atque vt ibidem D. Greg. placet, nouū indicat Testamentum, per quod Christus nobis loquitur, & in quo, quàm suauis est Dominus, a fidelibus degustatur, sicuti per Guttur aut Gutturem (vt Antiquiores dicebant) voces transferuntur, & sapores hauriantur in ventrem: Illud dùmtaxat non prætereundum hic censeo, nempe, antiquum, & doctum Originē in hoc loco non Guttur, sed Fauces legere, inquientem: *Et Fructus eius suauis Faucibus meis*: In qua tamen versione parùm, & ferè nihil à nostra discrepat: ipse namque partem, nos verò totum accipimus; cùm Fauces gutturis nostri sint partes, seu gutturis nostri via, vbi iàm deglutita dulcedo nulla sentitur: & de his hactenus hæc dicta sint.

LECTIO LXXXVII.

Introduxit me Rex in Cellam vinariam.


Ponsa suis adhùc cùm Adolescētulis hìc loqui perseuerat, illisq; præ gaudio gestiens nunciat, se à Sponso, quem Regem appellat, in Cellam vinariam introductam fuisse, eiusq; vinum optimum bibisse; & miro sanè ordine procedit Propheta, quandoquidem si post cibum exigitur Potus, rationi consentaneum erat, vt postquam sponsi fructus, ac Poma degustauit sponsa, suoque Gutturi dulcia experta est, à sponso quoque in Cellam vinariam introducta, illius vini optimi potione se oblectet: & quàmuis sponsa solùm dicat, sponsum illam in Cellam vinariam introduxisse, nec se bibisse Vinum asseueret; attamen non aliò spectat facta mentio domus uinarię, vt eruditè animaduertit Cosm. Dam. quàm,

vt

vt ſignificet ibi vinum ſe hauſiſſe, quò mirificè affecta fuerit, & refecta; ita hęc verba exponunt omnes, quos ego viderim explicatores, tribus tamen exceptis, qui ſunt Origines, Theod. ac D. Hier. qui non in minori numero legunt: *Introduxit me Rex in Cellam vinariam*, at in maiori numero dicunt: *Introducite me in Domum vini*, & ob id antiquus Origines, ſponſum hic loqui putat, & petere à ſponſę Adoleſcentulis, vt in domũ vini ſe introducant; ac ſi dicat, ò Adoleſcentulę iàm à ſponſa ſuſceptus ſum, & in medio Vberum illius requieui, vos igitur introducite me, cur tamdiù foris maneo? at D. Hier. ſeu potius ipſemet etiam Origen. in ſecundis commen. ſuper Cant. & Theod. exiſtimant, ſponſam quidem loqui, ſed non amplius ad ſuas Adoleſcentulas, ſed Amicos, & Familiares ſponſi, à quibus expoſcere videtur, vt ſe in domum lętitiæ introducant, vbi Vinum bibitur, & Epulę parantur, quę enim iam viderat Cubiculum regium, nunc regale in Conuiuium introire deſiderat, & Vino lætitiæ frui. Quare hi duo, ſeu tres tantum Explicatores, & dramatis ordinem mutari arbitrantur, & nouam hìc effici Scenam. At reliqui omnes Interpretes tàm recenciores, quàm priſci, id negant, cùm ijſdem in ſcena manentibus perſonis, ſponſa, non ſponſus loquatur; & non ſponſi Amicos, at ſuas alloquatur Adoleſcentulas, quas etiam in verbis proximè pręcedentibus affata fuit: *Introduxit me Rex in Cellam vinariam*, quæ verba ſi myſticè exponantur, ab his tribus reliqui omnes abhorrent: quemadmodum etiam in literę ſenſu ab inuicem hos diſcrepare oſtendimus: nam Origines ita Chriſtum ſponſum loquentem inducit, ò Animæ incipientium iàm ab Eccleſia ſuſceptus, ſum, & in medio Cordis eius requieui, vos igitur in Domum vini introducite me ſponſum, Dei verbum, & ſapientiam, atque iàm impleantur Animę veſtrę Vinō Spiritus ſancti, cur enim tamdiu foris maneo? Ecce, ſto ad Oſtium & pulſo, ſi quis mihi aperuerit ingrediar ad eum, & cęnabo cum eo, & ipſe mecum. D. autem Hier. ſeu potius Origen. ita explicat, Eccleſia Criſti a Prophetis, & omnibus ijs, qui ab initio ſęculi verbum Dei miniſtrarũt, (iſti enim ſunt Amici, & familiares ſponſi Chriſti) expoſcit, vt ſe introducant in Domum, vbi ſapientia miſcuit in Cratere Vinum ſuum, ideſt in intelligentiam ſacrarum ſcripturarum, ad quam Prophetę, & Verbi Dei Cōcionatores Animas perducunt, quę illos audiunt, & intelligunt: hoc autem vinum eſt ex illa vite, quę D. Ioan. cap. 15. dicit: *Ego ſum Vitis vera*: At reliqui omnes, etſi in literę ſenſu conueniunt, vt ſponſa ſuis cùm Pediſſequis ſermonem habeat, in myſtico tamen ſenſu idem nequaquam ſentiunt. Nam D. Bern. ita interpretatur, Sponſa eſt Eccleſia primitiua, hoc eſt Apoſtoli Sancti, qui loquuntur cùm Plebe Iudęorum, teſtificantes in die Pentecoſtes ſe introductos fuiſſe in Cellam

Christi vinariam,& Spiritus sancti amore, quasi vino cœlesti ebrios factos fuisse; hinc D. Petrus Act.apost.cap.2. Cum repleti spiritu sancto Discipuli Christi, musto ebrij à Iudæis putarentur, aiebat: *Non sunt ebrij sicut vos existimatis*, nempè non musto, sed Spiritu sancto ebrij sunt. Hugo verò Card.sic exponit, Vox est Ecclesiæ primitiuę ex Iudæis congregatæ, quæ, cùm primùm in Cella aquaria commoraretur, hoc est solam aquam biberet, quæ lex est, iuxta exteriorem literæ intelligentiam, nunc videns à Sponso Christo ad internam spiritalis intelligentiæ suauitatem intromissam esse, quæ per Cellam vinariam figuratè exprimitur, rectè inquit: *Introduxit me Rex in Cellam vinariam*, in qua quadruplici Vini genere eam inebriat, sensu nimirum Historico, Tropologico, Allegorico,& Anagogico: aut ipsemet Hugo, ita secundo loco exponit, Vox est Ecclesiæ primitiuæ, se in bonorum spiritalium copiam, & affluentiam iàm introductam fuisse affirmãtis, quæ sunt Virtutes theologicæ, Dona Spiritus sancti, & Christi sacramenta: aut demum ita explicat, Ecclesia primitiua se iàm in Cellam vinariam à Sponso, hoc est, in cœlestem Gloriam quæ est supernorum gaudiorum contẽplatio à Christo introductam fuisse, nisi re ipsa, certa saltem spe lætatur: Verùm D. Thom.& Haym.hoc pacto interpretantur, Ecclesia sponsa, quę est Plebs Iudæorum,& Gentium suis loquitur cùm Adolescentulis, quę sunt Animæ, iàm perfectæ inhærentes diuino Amori, & coràm ipsis gaudet, se iam introductam esse in Cellam vinariam à Rege sponso Christo, quãdo ex omnibus Gentibus in vnam Ecclesiam Fideles congregati sunt, in qua Vinum adest Euangelicæ doctrinæ: at Iacob. de Valen. tres putat esse Sponsi Christi Cellas vinarias, vt censuit etiam Hugo, à quo tamen in modo declarandi dissentit, nam primum Christi Cellarium est sacra Scriptura veteris testamenti; in qua Vinum continebatur, quod est Euangelium noui testamenti, mysteria namq; antiquæ legis erant, quasi Vtres mysteriorum noui testamenti, & tunc Christus in hoc Cellarium Sponsam Ecclesiam introduxit, cùm suis Apostolis sensum aperuit, vt intelligerent Scripturas, quemadmodum in Euang. D.Lucæ, cap.14. legimus. Et cùm super illos misit Spiritum sanctum, à quo septiformem gratiam receperunt. Alterum verò Cellarium est Ecclesia, quam militantem vocant, in qua septem Vtres habentur pleni Vino, idest Sacramenta plena gratijs, cùm Sacramenta nouę legis Gratiam contineant,& conferant quam significant. Tertium denique Cellarium est Ecclesia cœlestis, seu triumphans, in quo Vinum Glorię suauissimum cõtinetur, quo solo plenè satiamur. Inquit igitur Iacob. Valen. Sponsam Ecclesiam in his verbis gratias Sponso Christo summa animi cùm lętitia agere, & in hanc triplicem Cellam vinariam se introductam fuisse suis narra-

re Ado-

re Adolescentulis, sicut in primo Cantico illùc se introduci petebat. Aliqui verò ex recentioribus, vt Cosmas Dam. & Alphon. Aug. inquiũt, per Cellam Sponsi Christi vinariam, sacrosanctam Scripturam intelligendam esse, in qua Vinum optimum continetur, hoc est sensus mysticus, & spiritalis mysteriorum Euang. quod quidem vinum est vinum nouum, quod in Vtres nouos, nempe in Apostolos sanctos, & reliquos Viros euangelicos, qui deposito vetere homine, nouum induissent, mittendum esse Christus prędixerat apud D. Matth. cap. 9. Quinimò, postquàm à mortuis resurrexit, in ipsos ipsemet illud misit, quùm illis sensum aperuit, vt intelligerent Scripturas. Gilbertus demum Geneb. duas proponit explicationes: prior est Hebręorum, qui per Cellam vinariam Sanctuarium, vel sacrum Altare accipiunt, vbi libabatur Domino, eò quod in sacrificiorum libaminibus effunderetur Vinum. Posterior autem expositio est ipsiusmet Genebrardi, inquiẽtis: Nos arcana Dei per Cellam Christi vinariam intelligimus, quę Animos hominum inebriant; seu sacramentum Calicis, quod Deum lętificat, & homines, Christi sanguinem continens nostrę redemptionis pretium. Hi sunt interpretes, qui hęc verba de Sponsa Ecclesia allegoricè exponunt: quibus addere possumus Ægidium Card. qui à secunda Hugonis interpretatione parùm, aut ferè nihil dissentiens ait: Ecclesia sponsa loquitur dicens, Rex Christus introduxit me in vbertatem; spiritalis lętitię, quę per vinum mysticè designatur. Vnus, D. Greg. tropologicè de Anima, & Mente sancta, quę est Dei sponsa, hęc verba explanans, opinatur per Cellam vinariam intelligi posse, tùm arcana cœlestis beatitudinis, tùm diuinam Scripturam, inquam vtramque Cellam vinariã iusti hominis mentem à Sponso Christo introductam fuisse possumus: & iuxta priorem sensum ita explicat: Tunc a sponso Christo Mens sancta per Spem in arcanam ęternitatis contemplationem introducitur, vbi Angeli sancti Vino sapientię inebriantur, & Deum facie ad faciem videntes omni voluptate spiritali satiantur, cùm postpositis rebus omnibus temporarijs, & caducis illùc intrat, vbi ex illis angelicis delicijs, quantum sibi conceditur, gustat: iuxtà verò sensum posteriorem ita interpretatur: Tunc Mens sancta à sponso Christo in diuinarum Scripturarum intelligẽtiam ducitur, cùm diuina illi mysteria patefiunt. Ego verò per Cellam vinariam, neque cœlestem gloriam, neque Ecclesiam militantem, neque diuinam Scripturam, nequè legem antiquam, nequè Bonorum spiritalium copiam, at spiritalis lætitię vbertatem vnà cùm Aegid. intelligendam esse existimo: quandoquidem quod dicunt de Ecclesia triumphante, non video quonam pacto sequentia Verba, cùm ijs præcedentibus connectantur, quæ sunt huiusmodi: ***Ordinauit in me Charitatem***, nam in cœlesti gloria, vbi

est

est perfecta Charitas, & omni ex parte absoluta ipsa ordinari non potest, at ibi verè ordinatur, vbi sunt, qui circà modum, & ordinem Charitatis errare queunt, quod est verum in Ecclesia militante: Veruntamen si Persona quæ loquitur est Ecclesia primitiua, Gentium, videlicet, ac Iudęorum in Christo facta vnio, quomodo per Cellam vinariam in quam ipsa Ecclesia à sponso Christo introducitur, Ecclesia designari potest? idem enim in seipsum introduceretur: Necnon diuinam sapientiam, aut veterem legem per Cellam vinariam nequaquàm intelligi posse censeo; quippè quæ per fructum Sponsi suauem designabatur, vt suprà annotauimus, cum præsertim Vini potius appellatione, quàm Cellæ vinariæ diuina Sapientia exprimatur, & lex antiqua per aquam commodè significetur: Demum, non video, quodnam symbolum sit inter Cellam vinariam, & Bonorum spiritalium copiam; quapropter satius esse reor si dicamus, per Cellam vinariam plenam Vino vbertatem exprimi lætitiæ spiritalis, quam deinde Charitas diuina consequitur: ita vt huiusmodi sit horum verborum mysticus sensus: *Sponsa Ecclesia*, quæ suis nunciarat Adolescentulis, hoc est Incipientibus Christi Fidelibus, ac Proficientibus, vt illis aliquam præberet consolationem, se inter tot, tantasq; miserias, quibus quotidie, veluti lilium inter spinas affligitur, & cruciatur, tutam commorari, sub vmbra diuini præsidij, fructumq; veræ doctrinæ, ac cœlestis Sapientiæ degustare, hic iterum illis eisdem nunciat, se ob id exultare, quòd à Sponso deducta est in maximam lætitię spiritalis vbertatem, & miro, optimèq; ordinato amore erga Deum, seipsam, & Proximum accensa: Et sanè nulla res est, quæ tàm commodè, & congruenter per vitem, vinumq; symbolicè præmonstretur, quàm Corporis, Animæq; letitia, vt satis in primo Cantico declarauimus, dum illa verba interpretaremur: *Quia meliora sunt Vbera tua Vino*: quod non solùm Aegyptiorum Sacerdotes, & sancti Patres asseuerarunt, verum etiā Philosophi, & Poetę Gręci, & Latini vnanimi consensu affirmant: inde Socrates apud Xenophōtem in Symposio aiebat: *Vinum non aliter mœrori mederi, quàm Mandragorā hominibus; lætitiamq; non aliter excitare, quàm Oleum inspersum Igni flammam adauget*: & apud M. Tullium 3. lib. quęst. Tusc. legimus: *Huic calix mulsi impingendus est, vt plorare desinat*: imò verò Proph. Salomon in lib. eccl. cap. 31. inquiebat: *Exultatio Animæ, & Corporis est Vinum moderatè sumptum, ad iucunditatem enim creatum est, non ad ebrietatem*, quod suis in comment. ibidem affirmant Beda Venerab. & Origenes, Hom. 7. super Leuit. & Basilius magnus Hom. quam habuit de laudibus Iulithę martyris; & D. Hier. super Dan. cap. 10. & D. Bern. serm. 3. de sacra Pentec. Atquè inde esse opinor, vt ars Musica, quę ad Animi hilaritatem potissimum, lętitiamque

compa-

comparata est, non alio magis stimulo concitetur, quàm Vini suauis gustu, vt cecinit Tibullus:

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos nescia membra modos.

Preter quam quod illud in ore omnium satis tritum Adagium circumfertur, *Bibite Cantores*, cùm Vinum, & Musica perbellè, atquè indiuiduè iungantur, quippè quę vtraquè iucunditatis caussa sunt, atquè lętitię, vt ait Salom. Eccle. cap. 42. *Vinum, & Musica lætificant Cor.* Si res igitur ita se habet, vt Vinum Corporis Animiq; lętitiam designet, dubio procul Cella vinaria Sponsi Vino optimò plena, ubertatem indicat lętitię spiritalis, qua Sponsa Ecclesia inter tot, tantasq; calamitates, ne illis oppressa succumbat, à sponso rege Christo affìcitur: quod eò magis adhùc confirmatur, quoniam vbi lętitia spiritalis, ibi potissimum diuinus reperitur Amor; & ob hanc caussam Sponsa in Cellam vinariam introducta, statim Charitatis ordinem à Sponso se accepisse narrat, inquiens: *Introduxit me Rex in Cellam vinariam, ordinauit in me Charitatem*, vt in sequenti sermone manifestius ostendemus.

LECTIO LXXXVIII.

Ordinauit in me Charitatem.



Vmma certè ratione ductus Propheta Salomon, postquàm Sponsam in Cellam vinariam à Sponso introductã fuisse dixit, in qua Vinum, quod est lætitiæ symbolum, bibit; Amoris protinus meminit, & Charitatis, cuius ordinem, modumq; Sponsam à Spõso Rege accepisse narrat, cùm Amor etiam per Vinum, & nõ ineptè figuratè exprimatur, sicuti Timor exprimitur per Aquam, quæ duæ sunt Animi nostri affectiones; atque, vt in hoc loco, vbi de rebus diuinis agitur, illud Poetæ Comici dictum satis tritum silentio reticeam, quod est: *Sine Cerere, & Baccho friget Venus*, hoc est: *Amor*; Diui Bern. auctoritatem in medium proponam, quippe qui serm. 13. illa verba D. Ioan. cap. 2. exponens: *Erant enim ibi sex Hydriæ*, inquit, Per Aquam timorem, & Amorem per Vinum significari, nam Aqua plenæ dicuntur Hydriæ, cùm ex timore Dei Præcepta seruantur, siquidem per Aquam intelligitur Timor, vt habemus apud Salomon. Prou. cap. 14. *Timor Domini Fons vitæ*; Vino autem plenæ sunt, cùm iàm timor vertitur in Amorem, & Charitas excludit timorẽ, seu cùm ea, quæ prius obseruabantur formidine pœnę, iàm obseruamus

amore Iustitiæ. Quare tribus dumtaxat exceptis Interpretibus, Origene videlicet, Theodoreto, ac D.Hier. qui legunt: *Ordinate in me Charitatem*, reliqui omnes Explicatores, qui legunt: *Ordinauit in me Charitatem*; aiunt, Sponsam suis hic nunciare Pedissequis se à Sponso in eius Cellam vinariam introductam, vinoq; illius optimo inebriatam, ordinem, & modum amandi recepisse. Audite: *Introduxit me Rex in Cellam vinariam, ordinauit in me Charitatem*. at Orig. ait Spōsum hic quoque Sponsæ Adolescentulas affari, à quibus exposcit, vt in ipso ordinent Charitatem, amandiq; modum ipsi tradant, quemadmodum in præcedentibus verbis ab illis eisdem in Domū vini se introduci petijt: Theodoretus autem, & D.Hier. quàmquàm Sponsæ verba hæc esse dicunt, illam tamen non suis cùm Adolescentulis, at cùm Sponsi sodalibus loqui opinantur, à quibus ipsa petit, ut in se ordinent Charitatem, & Amorem erga Sponsum & alios. Verùm ad mysticos sensus iàm accedamus. Doctus Origenes putat è propheta induci Christū sponsum ita loquentem, ò Sponsę Ecclesię Adolescentulę, ò Animę Incipientium, ac Proficientium in Christi fide: *Ordinate in me Charitatem*, hoc est ergà me, & Proximum, & Inimicos etiam ordinate Amorem, plurimorum etenim Charitas inordinata est, quando, quod in primo loco diligere debent, diligunt in secundo, & quod in secundo diligunt in primo: Perfectorum autem Charitas ordinata est, vt primo Deum, deinde Proximum diligant, & primò cœlestia, mox uerò terrena quęrant: Theodoretus adhùc, & D.Hier. inducunt Ecclesiam, quę petat à Prophetis, & Apostolis sanctis, qui sunt Sponsi amici, ut introductam in domum uini, hoc est in sacrarum Scripturarum intelligentiam, eam pręcipuè amare doceant, & quo ordine, ut primo uidelicet Deum, deinde seipsam, & demum Proximum amet: at reliqui omnes Explicatores Sponsam Ecclesiam hic induci opinantur suas alloquentem Adolescentulas, quibus nunciat à Spōso Christo se introductam in Cellam uinariam, quę est, si figuratè exprimatur, aut Ecclesia triumphantium, in Cœlo, aut pręliantium in Terris, seu diuinæ Scripturæ intelligentia, aut lex antiqua, aut bonorum spiritalium copia, aut demum (quod ego cēseo) lætitiæ spiritalis vbertas, ibiq; Charitatis ordinem, & modum recepisse, qui ordo, & modus omni Virtuti modum, ordinemq; tribuit, quemadmodum etiam Charitas omnibus christianis virtutibus decore, ac dignitate antecellit: Aliqui tamen ex recentioribus animaduertunt, hæc Sponsæ Ecclesiæ verba, ità verti ab aliquibus: *Vexillum eius super me Amor*, seu *Charitas*; & hi sunt Gilb. Geneb. Cosmas Dam. & Alphons. Angust. nimirum, Spōsus meus Christus leuauit super me pro vexillo Charitatem, seu me sua trahit Charitate, & dilectione, quæ cùm sit reliquarum Virtutum caput, Christianæ mi

litiæ

litiæ est vexillum: ac si dicat Ecclesia sponsa, tot tantisq; beneficijs me sponsus Christus affecit, vt insigniter etiam me amare docuerit, non vulgari amore, quemadmodum ipse quoque summopere me dilexit, & profusis charitatis suæ visceribus, veluti fortissimis vinculis me tractam, vltrò sibi deuinxerit: *Vexillum eius super me Amor*, seu potius: *Ordinauit in me Charitatem*; sicuti Duces in bello, sublato vexillo errantes Milites ad se colligunt, & post se ducunt. Qui verò sit huiusmodi charitatis ordo, varij varia dicunt, nam loqui possumus aut de Charitate sponsi Christi erga sponsam Ecclesiam, aut contrà de Ecclesię, & Christi Fidelium amore erga sponsum Christum, & proximum: quare, si priori modo de Charitatis ordine loquamur, vnà cum D. Bern. & Hugone Card. dicemus sponsum Christum suos Electos ordinata semper Charitate dilexisse, ac sibi illos copulasse, vt maiorem Maioribus, & minorem Minoribus gratiam largiatur, nam, vt ait Apost. quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores ad consumationem sanctorum, vt omnes in vnitatem corporis Christi, vna, eademq; Charitas ordinet, liget, & contemperet. Si verò posteriori modo loquamur de ipsius sponsæ Ecclesiæ charitate, hunc sanè ordinem ponemus vnà cùm Origene, Theodoreto, D. Hieron. & alijs, vt primo diligamus Deum, secundo nosipsos, tertio Proximum amicum, demum Inimicum: & quoniam inter Proximos etiam ordo est, ut animaduertit Glossæ ordinariæ Auctor; nam, licet simus omnes vnius corporis membra, attamen, sicut in vno Corpore aliqua sunt nobiliora Membra, atquè honestiora, & alia inferiora, ac ignobiliora; ita inter proximos Amicos quidã sunt chariores, & alij minus cari, idcirco oportet, vt primò diligamus inter Amicos proximos, Parentes, mox filios, deinde Affines, postremo reliquos omnes Amicos; imò verò inter Inimicos etiam charitatis ordo reperiuir, vt primo, & magis sit diligendus Inimicus, qui tibi quidem est Inimicus, sed bonus, & amicus Animæ suæ, quàm Inimicus qui tibi, & sibi noceat: cui sanè ordini fauet id quod D. Aug. habet in primo, lib. de doctr. Christ. vt primò diligamus, quod suprà nos est, secundò quod nos sumus, tertiò quod iuxtà nos est, quartò quod infrà nos est, quintò, & postremò quod extrà nos est, nimirum Deum, Animam nostram, Proximum, Corpus nostrum, & temporaria Bona, vt Agrum, Vineam, & alia huiusmodi. Si demum loquamur de modo Charitatis, inquiunt Orig. & D. Hieron. nullum esse modum, nullamuè mensuram diligendi Deum, aut, si quis est modus, ille est quem docemur ab ipsomet Christo apud D. Matth. cap. 22. cùm inquit: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota Anima tua, & ex omnibus viribus tuis*, nempe, vt Hugo Card. exponit dulciter, sapienter,

&

& fortiter; at diligendi Proximum aliqua mensura est, vt illum videlicet, sicut teipsum diligas, vt ibidem iubet Redemp. noster, aut ita dicemus vnà cùm Iacob. Valent. Deum diligendum esse propter se, & in se, Proximum autem in Deo, & propter Deum, verùm Inimicum nec ex toto corde, nec sicut te ipsum diligere debes, nã præcisè iubet Christus, & ait: *Diligite inimicos vestros*, & de his in præsentia hactenus.

LECTIO LXXXIX.

Ordinauit in me Charitatem.



REm magnam imò cælestem, ac diuinam hodierno die laudandam sustipio, qui Charitatis encomia innumera propè, atquè infinita coràm vobis, Auditores ingeniosi, celebraturus accedo: etenim, quod est Homo inter animantia, Aurum inter Metalla, Ignis inter Elementa, Sol inter sydera, Cęlum empireum inter cęlestia corpora, Seraphin inter Angelos, Christus inter Homines, id profectò est Charitas inter omnes, ac singulas virtutes, siue morales sint, siuè Cardinales, siuè Theologicę: & certè nihil est inter omnia Animantia nobilius Homine, qui solus ratione præditus, cæteris omnibus dominatur: nihil est inter Metalla preciosius Auro; quod cæteris splendore, virtuteq; antecellens, ab omnibus maximè æstimatur: nihil est inter Eleméta splendidius Igne, atquè in actione efficacius, quod reliquis tribus supereminet: nihil est inter Sydera Sole micantius, qui suo lumine Terrena illustrat, & cęlestia Corpora: nihil est sublimius empyreo Cælo, quod est beatorum Spirituum domicilium: nihil inter Angelos excelsius est, atquè ardentius Seraphin, qui cęteris omnibus Deo propinquiores, immenso illius ardent amore: nihil denique excellentius est inter Homines, & Angelos ipso Christo, qui verus Homo existens, admirabili hypostaticaq; vnione vnitus est ipsi Deo, quo nihil prorsus est, aut esse potest maius, aut melius. O rem pulchram; & nihil est inter virtutes omnes Charitate nobilius, preciosius, efficacius, micantius, sublimius, excelsius, aut excellentius: atq; ob id in Scripturis sanctis præclarissimis nominibus, ac præstantissimis nuncupatur. Audite, de Deo. D. Ioannem cap. 4. suæ primæ Epist. dicentem, *Deus Charitas est*, audite de Christo, qui Amoris titulis describitur Cant. cap. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, audite adhùc, nonnè Seraphin amoris ardorem significant? nonnè cęlum empyreum amore, & Charitate est

plenum?

plenum? nonnè Sol Planetarum medius sui luminis, & caloris amore cuncta fouet, & illuminat? nonnè Ignis est Charitas, si D. Lucę cap. 12. dicitur, Ignem, hoc est amorem, *veni mittere in terram*? nonnè Auri nomine Charitas designatur Apoc. cap. 3. *Suadeo tibi emere à me aurũ ignitum*? nonnè deniquè homo, qui Animal est maximè sociale coniunctionis, & Charitatis est indicium? Et mehercule nihil maius est Charitate, si Deus magnus, & laudabilis nimis Amor est, & Charitas, vt aiebat, non dicam Phædrus discipulus Socratis apud Plat. in Conuiuio sub his verbis: *Magnus Deus est Amor Dijs, Hominibusq́, mirandus*, at D. Ioan. Christi Discipulus, cùm in inquit: *Deus Charitas est*: verùm hæc Charitas increata est, & infinita, qua Deus seipsum, & vniuersas Creaturas in seipso perpetuò amat: nã si amor, vt docet D. Tho. p. p. summę. 20. quæst. ar. j. quidam voluntatis motus est primarius, cuius actus tanquam ad obiectum sibi proprium, ad bonum amatum, & desideratum dirigitur; in quocunq; sanè reperitur voluntas, amorem quoquè reperiri necessum est: et si Deus purus est Intellectus, ab omni prorsus materia, & potentia, tàm Physica, quàm Metaphysica secretus, nonnè voluntate etiam prædítus est? quę ex necessitate Intellectũ consequitur? cùm igitur Deus purissimus sit, atquè simplicissimus Intellectus, Voluntas etiam quàmmaximè libera, atq; fęcundissima est, necnon sempiternus, & infinitus amor; qui quidem Dei amor idem prorsus est, sicut & Intellectus, & voluntas cùm ipsa diuina substantia, à qua nec re, nec ratione distinguitur, nisi solam rationis ratiocinantis distinctionem concedamus, quę distinctio ex opere Intellectus effécta, non simpliciter est (vt aiunt) sed secundum quid, cùm detur à parte rei (vt placet D. Thom. p. p. quęst. 13. art. 4. distinctionis fundamentom, nam distinctis conceptibus, quos habemus de diuinis attributis, aliquid à parte rei respondet; quod & D. August. 5. lib. de Trin. cap. 11. & D: Ansel: suis in Monologijs càp. 16. vnanimi consensu affirmant: qua propter, sicuti Deus est ipsamet sua diuina substantia, ita quoque est suus Intellectus, sua Voluntas, suus amor. Audite: *Deus Charitas est*, *Magnus Deus est Amor Dijs*, *Hominibusq́; mirandus*. Nonnè res ita se habet? quandoquidem primus amor est inter primum amantem, primumque amatũ, hoc est inter Deum, & se ipsum, quippe qui vt intelligens, & volẽs primum est amans, & vt summè bonus, & pulcher est, primum amatum. Atque huiusmodi primus amor Dei in seipsum, quem essentialem appellant Theologi Boni, ac Pulchri desiderium est, non Boni, ac Pulchri, quo careat Deus, qui totius Bonitatis, & Pulchritudinis fons est, & origo, at sueme Bonitatis, & Pulchritudinis, quę idem sunt, quod diuina eius essentia: neq; ob id sequitur, vt simplicissima Dei natura

in partem amantem, & non amatam, aut contrà in partem amatam, & non amantem secernatur: hęc enim, videlicet esse amantem, esse amatum, & esse amorem, nullam in Deo compositionem, aut diuersitatẽ ponunt; nam qui amãs est, amatus est, & amor, & qui amatus, amor est, & amans, & qui amor amans est, & amatus, tres, & vnum, imò nõ tres, sed vnum, sicut vnus est Deus: Verùntamen Deus, quemadmodum vnus est Deus, & tamen Pater est Deus, Filius est Deus, & Spiritus Sanctus est Deus, ita quęlibet diuina Persona est amans, quælibet amata, & quęlibet amor; amor inquàm essentialis, & ęternus, omni carens principio cùm Temporis, tùm Naturę, tùm etiam originis, cùm sit à seipso, in seipso, & per seipsum, non factus, non creatus, non aliquo modo productus, vt inquiunt, non solum Sacri Theologi, verum etiam Ethnici, Philosophi, & Poetæ, vt Orpheus, Merc. Trismeg. Hesiod. Parmenides Pythagoricus, & Plato in Cõuiuio sub his verbis: *Antiquissimus est Amor se ipso perfectus*: illud certè asseuerare possumus, Patrem potissimum, & per quandam, vt dicitur in Scholis, attributionem, nuncupari Amantem, Filium Amatum, & Spiritum sanctum Amorem; sicuti etiã Patri Potentia, Filio Sapientia, & Spiritui sancto attribuitur Bonitas, quàmuis omnes, & singulæ diuinæ Personæ ex æquo sint potentes, sapientes, & bonæ, non tamen tres omnipotentrs, tres sapientes, & tres boni, sed unus omnipotens, unus sapiens, & vnus bonus, cùm Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna sit diuinitas, æqualis gloria, & coæterna maiestas, ut ait D. Athan. in symb. Quamobrem Pater, & Filius essentiali, æternoq; Amore se inuicem amantes, & Patrem in Filium, & Filius itidem in Patrem, viuos Amoris radios excitantes, Spiritum sanctum producunt, qui Patris, & Filij Amor est, Amor inquàm notionalis à Theologis nuncupatus: Deus igitur Charitas est, & Amor, Immensus, & infinitus ab immensa ipsius bonitate, aut ab infinita ipsius pulchritudine emanãs: Atquè cùm ea sit Boni, Pulchriq; natura, vt non sibi tantùm, sed alijs etiam consultum velit, aliquos suæ Bonitatis, & Pulchritudinis radios, Deus Opt. Maximus, qui summus est Amor, extrà seipsum Mundo cõmunicauit, quando in Temporis exordio, ex nihilo prorsus utramquè condidit Creaturam, spiritalem uidelicet, & corpoream, quam ex sola ipsius benignitate, & Charitate creatam fuisse legimus in Psal. 143. Et quemadmodum vniuersa amore suo creauit, vniuersa itidem amore disponit, vniuersa amore gubernat, vniuersa demum amore conseruat: neque enim Deus op. max. aut diuina sui omnipotentia, aut sapientia infinità, aliquid vnquam extrà se ipsum produxisset, nisi vehementi amoris sui bonitate excitatus fuisset, quę sola omnium Dei effectuũ, quos extrà se ipsum operatur principium est; nam semper potuit Deus creare
Mundum,

Mundum, semper illum producere sciuit, at nunquam nisi quando voluit hunc effecit, cùm in Deo posse, & scire Creaturas omnes producere, sit illas in esse obiectiuo, & ideali ponere; at illas creare velle, ipsas est constituere in esse earundem proprio, & actuali, vt aiunt Scholastici: quod etiam cecinit Dauid ibidem, inquiens: *Omnia quecunque voluit Dominus, fecit in Cœlo, & in Terra.* Quare nec Dei Verbum, nec Verbi principium, hanc Mundi Fabricam pulcherrimam vnquam cōdidisset, nisi vis magna, vt ita dicam, & impetus diuini amoris extitisset, quo Deus excitatus, summam illam suę bonitatis amplitudinem, aliqua ex parte nobis communicauit: Potissimum verò tribus, quasi radijs, illius diuinę Charitatis ab illo tergemino vultu, Patre, Filio, & Spiritu sancto, qui sunt vnus Deus, tanquam ab vnico, indiuiduoq; principio exeuntibus, suæ nos bonitatis, & pulchritudinis participes ipse Deus effecit, radijs nimirum in Creatione, Conseruatione, & Redemptione splendentibus: de primo dicitur in Psal. 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli:* de secundo dicitur in Psal. 144. *Custodit Dominus omnes diligentes se:* de tertio demum dicitur in Psal. 145. *Dominus soluit Compeditos, Dominus illuminat Cæcos.* Hę sunt Domini mei, tres illæ famosæ Gratiæ, non poeticę, quas Heiod. Eglen, Euphrosinen, & Thaliam appellat, at cęlestes, & diuinæ, quas Theologi Charitatis filias, seu diuini amoris dona nuncupare solent. O magnam Dei amoris vim in temporaria omnium Creaturarū productione, ô admirabilem ipsius Charitatis efficacitatem in perpetua creatarum omnium rerum conseruatione, sed ô maximam summeq; admirabilem diuinæ clemētiæ largitatem in redemptionis mysterio: ita inquit Apost. Ephes. cap. 2. *Propter nimiam Charitatem suam, qua dilexit nos Deus, filium suum misit in Mundum:* & certè amor, diuinaque Charitas ipsummet Deum è Cęlo traxit, illumq; in Terras descendere, vt ita dicam, coegit, vt Verbum fieret caro, vt Deus fieret Homo; Verùm adhùc maiora, longeq; admirabiliora audite, solus amor Deum immensum, & ęternum, quem nec locorum terminis, nec temporum curriculis comprehendi posse scimus, in angusto virginei Ventris carcere clausit, in vilissimūq; brutorum Animalium præsepiū coniecit; solus amor (inquā) illum, qui panis est Angelicus, in solitudine deserti loci fame oppressit; solus amor in hoc Mundo terreno illum Peregrinum, nullumq; habentem domicilium constituit: quid dicam amplius? solus amor Cruci affixum, Morti Immortalem subiecit, Inuictum vicit, atq; de ipso gloriosè triumphauit, vt non iniuria ille Poæta exclamarit: *Omnia vincit Amor, & nos cedamus Amori.* Quid mirum igitur, si Deus est Amor, soliq; Amori subijcitur, ipsum diuino suo amori, nos quoq; sibi de-

ſponſare diſpoſuiſſe? ita inquiebat ipſemet Deus apud Hierem.cap. 31. *In charitate perpetua dilexi te:* Inde lege naturæ, aut etiam Moſaica minime contentus legem inſtituit euangelicam, quæ lex eſt amoris, ſolaq; nullam admittit diſpenſationem, cùm nec Deus diſpenſare poſſit, vt nõ amemus; quod in Cant. Eccleſia ſponſa animo cogitans magna animi iucunditate ſuis nunciat Adoleſcentulis, Sponſum Chriſtum Charitatis ordinem ſibi tradidiſſe, & inquit: *Introduxit me Rex in Cellam vinariã, ordinauit in me Charitatem.*

LECTIO XC.

Ordinauit in me Charitatem.



QVemadmodum riuuli omnes à fonte emanãt, ita leges omnes ab vnica pendent amoris lege, ad quam veluti ad centrum quoddam, quicquid in Scripturis ſanctis continetur, reduci neceſſum eſt; ita inquit Dominus noſter apud D. Matth.cap.22. *In hoc præcepto vniuerſa lex pendet, & Prophetæ, Diliges Dominum Deum tuum, & Proximum tuum ſicut teipſum.* Et certè omnia Sacrarum ſcripturarum volumina in amore, veluti in Epithome colliguntur, quem vnum, veluti ſibi propoſitum ſcopum frequenter repetunt, & inculcant: hunc vnũ nobis perſuadent, & huic vni nos operam dare hortantur, & propè impellunt: nam Charitas Princeps eſt, ac omnium Virtutum Regina, ipſarum Vita, & Anima, ipſarũ Dux, & Aſylum: hinc Patres ſancti varia, & illa quidẽ præclara de Charitate encomia conſcripſerunt, potiſſimum verò D. Auguſt.& D. Proſper Epiſcop. Regien. ille namq; in tractatu 5. ſuper Epiſt. Primam D. Joan.cap.3. ait: *Solam Charitatem filijs Dei à filius Diaboli diſcernere, etenim ſignent ſe omnes Chriſticulæ ſigno Crucis, reſpondeant omnes Amẽ: cantent omnes halleluia, baptizentur omnes, intrent omnes Eccleſiam, fabricent Baſilicarum parietes; non diſcernuntur filij Dei à filijs Diaboli, niſi Charitate, nam qui habent Charitatem nati ſunt ex Deo, qui ſecus, non ſunt nati ex Deo:* adhuc idem Doctor ſanctus ibidem inquit: *Solam ſufficere Charitatem, ſine qua nihil tibi prodeſt,* quod ab Apoſt.Rom.ca.13. accepit, inquiente: *Plenitudo legis eſt Dilectio:* Rurſus in Enchir.ad Laurentium cap.117.inquit: *Charitas, quam fide, & ſpe maiorem dixit Apoſtolus cap.13. prioris Epiſt. ad Corinth. ſcriptæ, quantò in quocunque maior eſt, tantò melior eſt in quo eſt: cùm enim quæritur vtrum quiſq; ſit bonus homo, non quæritur quid credat aut ſperet, ſed quid amet, quoniam qui*

rectè

rectè amat, dubio procul rectè credit, & sperat; qui verò non amat, inaniter credit, etiam si vera sunt quæ credit. & inaniter sperat, etiam si bona sunt quæ sperat: verum a Prospero Regiensi Episcopo li. 3. de vita contempl. cap. 13. summopere Charitatis virtus commendatur, dum ait: *Charitas est recta voluntas, ab omnibus terrenis prorsus aliena, iuncta Deo indiuiduè, igne quodam Spiritus sancti accensa, à quo est, & ad quem refertur, corrumpi nescia, omnium affectionum potentissima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, bonarum actionum summa, salus morum, cęlestium finis præceptorum, Mors criminum, vita Virtutum, pugnantium virtus, palma victorum, Anima sanctarum Mentiū, & præmium perfectorum.* Magnæ quidem sunt morales Virtutes, adhùc maiores commendantur Cardinales, at omnium maximæ, & optimę, dicuntur, & sunt Theologicæ, nam sicuti naturales virtutes acquisitis nobiliores sunt; ita infusæ tàm acquisitis, quàm naturalibus pręstantiores sunt, & digniores, ex infusis autem, quæ circa Deum versantur reliquis aliis plurimum dignitate præstant, vt eruditè docet D. Tho. 1. 2. quæst. 68. art. 8. Cùm ad summum Bonum, quod vnum obiectum sibi proponunt nos incitent, atquè dirigant: neq; me latet tres enumerari Virtutes, quæ Deum proximè vident, nosq; ad æternum ipsum Deū opt. max. videndum perducunt, qui est æternum, ac infinitum Obiectum, quod ab oculo mortali clarè videri nequit, & hę sunt Fides, Spes, Charitas, quæ hanc ob causam Theologicæ virtutes appellātur, quia nos in Deum tendere faciunt: at his duabus maior est Charitas, quę nunquā excidens, sola est ęterna, cùm post mortem Fides, & Spes non maneāt, sicuti Charitas, Fides enim in hac vita dùmtaxat Deum sibi propositū habet; & Spes hìc tantum, dum vitam agimus, subsistit; Charitas autem æterna perfectior adhùc est in Cęlo, quàm nunc sit in Terris, sine qua nihil omnino sumus, aut in hac, aut in futura vita, vt eodem in loco scribit Apost. ad Corint. inquiens: *Si Charitatem non habuero, nihil sum.* Præterea, quemadmodum Spes, & Fides finem aliquando assequuntur; ita initium habuerunt, quippe quę cùm Angelis ortę sunt, nec ante ipsos extiterunt, cùm Deus solus existeret, in quo nec Fides, nec Spes sūt, aut esse possunt; Charitas vero & fine, & principio carens ęterna manet; qua Deus semper seipsum diligit, qui Charitas est & Amor, & quā uis Charitas, qua nos Deum proximumq; amamus, vtpote creata à Deo, & animis nostris infusa, principium habeat, attamen fine carens sempiterna manet in Cęlo: adhùc regio cęlestis maior est, & illustrior quàm sit Terra, & Inferorum locus, modò spes est apud Inferos in sedibus purgatorijs; Fides autem potissimum est in Terris, at Charitas maximè fulget in Cœlo: maior itaq; est Charitas ipsa fide, & Spe, atquè illustrior:

Rursus Deus nec Fides est, nec Spes, sed illud est quod fide credimus, & Spe speramus, verum Deus Charitas est, quare sicut Deus Magnus est, & quo nihil maius, aut melius excogitari potest, quisquam sua immensitate omnia replet; ita Charitas magna est, & qua nulla Virtus maior est, aut melior, omnia implens, & in omnibus sedem habens, quàmuis non nisi in viris beatis, & iustis, illius vis & potestas percipiatur: demũ hęc sola Charitatis Virtus omnium diuinorum prçceptorum, & primum, & maximum est, vt legimus in Euang. D. Matth. cap. 23. sub his verbis, ***Hoc est primum, & maximum præceptum, Diliges &c.*** Hinc aiebat Apostolus cap. 13. prioris Epistolæ scriptæ ad Corint.: Reliquas omnes virtutes, imò verò, & vniuersa Spiritus Sancti Dona absq; Charitate nihil esse, in qua sola omnes, & singulæ Virtutes continentur: nàm ***Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt,*** & alia id genus. Verùm quo nobilior est Charitas, atquè pręstantior, eo quoq; vtilior est cęteris alijs Virtutibus, magisq; necessaria, cùm, quoniã ***operit multitudinem peccatorum***, vt dicitur in Prou. cap. 10. & D. Lucæ capit. 7. tùm quoniam diuinam misericordiam nos consequi facit, vt Exod. cap. 20. habemus: ***Misericors sum ijs, qui diligunt me;*** tùm etiam quoniam nullum est opus nostrum quodcũque illud sit, quod absquè Charitate effectum salutare sit, animeq; proficuum, vt vitam consequamur æternam, vt ibidẽ ait Apost: ***Si distribuero in cibos pauperum omnem substantiam meam; & si tradidero Corpus meum, ita vt ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:*** Inde Apoc. cap. 3. sub pulchra Auri igniti metaphora D. Ioan. ad Charitatem complectendã nos cõmonefaciebat, inquiens: ***Suadeo tibi à me emere Aurum ignitum***, hoc est Charitatem: ***Vt locuples fias, & vestimentis albis induaris*** (quæ sunt bona lucidaq; opera) Hãc autem, vt libentius adipisci à Deoq; obtinere contendatis, q. d ipsa sit vobis explicare decreui, & principe loco vobis animaduerto Magistrum senten. 1. lib. dist. 17. existimasse Charitatem, virtutem Theologicam à Sanctis patribus appellatam, qua nos diligimus Deum propter se, & Proximum propter Deum, non esse quid creatum, & infusum à Deo in Anima nostra, at esse ipsummet Deum, & per quandam appropriationem, vt Scholasticorum terminis vtar, esse Spiritum sanctum, cui appropriatur Amor, & Charitas, ita vt Deus, siue Spiritus Sanctus dicatur mitti, vel dari nobis, inexistens Animæ humanæ, & sine aliquo medio habitu informante, excitans ipsam voluntatem ad actum meritorium, aliter quàm excitet Animam ad credendum, & sperandum in Deo, cùm ad huiusmodi actus per ipsos habitus tàm Fidei, quàm Spei infusos in Anima nostra, nos dirigat; ad dilectionis verò Actum per seipsum dùm-

taxat non excitat Deus, hoc est per Charitatem, quæ non est (vt ipse opinatur) habitus infusus, sed ipsemet Deus, & Spiritus sanctus, qui quidē bifariam (vt aliqui exponunt opinionem Magistri) considerari potest, aut quatenus à Patre, Filioq; procedit per modum amoris, aut quatenus vnitus voluntati creatæ illam mouet ad diligendum Deum super omnia, & Proximum propter Deum; priori itaquè modo consideratus, dicitur Amor Patris, & Filij notionalis, vt in præcedente sermone declarauimus; at posteriori modo acceptus, dicitur Charitas, vt ex tali motu Animam Deo caram facit. Verùm hæc opinio non defenditur, nec approbatur imò verò veluti erronea damnatur, & reijcitur à Theologis, potissimum vero à D. Tho. Scoto, Ægidio, ac D. Bonauent. ibidem, tùm quoniam humanus Animus finitæ capacitatis existens, rem infinitā, vt Deus est continere nequit, qua Deum, & Proximum propter Deum diligat; tum quoniam ex varijs iustorum hominum meritis variè mutatur, augetur, ac diminuitur Charitas, quarum certè mutationum capax non existit Deus, qui semper idem ipse est, omnino immutabilis, stabilisq; manens. Quamobrem Charitas Virtus est creata, & hominibus in animo à Deo infusa, idemq; est quod Gratia, cum hoc solo discrimine (vt licet idem sint re ipsa) ratione tamen distinguuntur: nam, vt gratis à Deo nobis donatur, & infunditur, dicitur Gratia; vt vero per eā diligimus Deum, & Proximum, appellatur Charitas, quod ex auctoritate D. Aug. in lib. de Mor. Eccles. confirmatur, qui illud Apostoli dictū Rom. cap. 8. pertractans nimirum: *Quis nos separabit à Charitate Christi*, inquit, *Charitas Dei hìc dicta est Virtus, quæ Animi nostri rectissima est affectio*, qua stante auctoritate, cuiquè patet huiusmodi Charitatem Deum esse non posse, qui Animi nostri affectio esse nequit & quàmque D. Ioan. cap. 4. suæ primæ Epist. dicit: *Deus Charitas est, & qui manet in Charitate in Deo manet, & Deus in eo*, hinc tamen accipitur Charitas pro amore Dei essentiali, quo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus se inuicem, & Creaturas diligunt; nam sicuti Deus est Potentia, Sapientia, Bonitas, ita quoq; Charitas est, & Amor; Nos verò loquimur de Charitate, quæ in nobis est hominibus iustis qua Deum propter se, & Proximum diligimus propter Deum; vel dicamus, Deum esse Charitatem, quia Charitatis est Creator in nobis, & largitor, sicuti Sol virtute calidus affirmatur, cùm in hæc inferiora calorem efficiat, & in hoc sensu explicanda est illa D. Aug. auctoritas, quæ 8. lib. de Trinit. habetur ca. 7. nempe: *Qui diligit Proximum, ipsam quoquè dilectionem diligere debet*: At si Charitas (obijcere possent Aduersarij, Magistri opinionem tuentes) à nobis est diligenda, Deus sanè est Charitas, non habitus infusus à Deo creatus, seu accidens spiritale, quod a nobis diligendū non

esset. Verùm dicimus nos D. Aug. intelligere, aut de dilectione Dei essentiali, & increata, quæ est ipsemet Deus; aut si loquatur de dilectione creata, ipsius verba ita sunt exponenda, vt diligamus Dilectionem ipsam, hoc est, eum, qui talis dilectionis est caussa, & est Deus benedictus: Et si quis rursus nobis obijciat quod dicitur a D. Aug. 15. lib. de Trin. cap. 18. quod huiusmodi est: *Nullum est isto Dei dono, quod est Charitas, excellentius;* at (dicunt ipsi) nullum Dei donum excellentius est Spiritu Sancto; Spiritus igitur Sanctus Charitas est. Huic auctoritati facile est respondere, si dicamus Spiritum Sanctum esse Donum Dei increatum, & Charitatem esse Dei donum creatum, & ob id excellentius est Charitatis donum cęteris omnibus Dei donis creatis, & nobis à Deo communicatis. Quare cùm D. Tho. 2. 2. q. 13. art. 1. duas, & illas veras, & Catholicas assertiones proponens, prior huiusmodi est: *Charitas est Amicitia inter Deum, & Creaturam intellectu præditam, quæ bonũ diuinum respicit, quod est in Cœlo Beatitudo ęterna;* posterior autem hęc est: *Charitas non est habitus naturę viribus acquisitus, sed habitus in ipsa anima à Deo creatus, & infusus, existente tamen debita dispositione ex parte Animæ, ipsam Charitatem, seu Gratiam recipientis:* Quod igitur spectat ad priorem propositionem, tria sunt adnotatu digna, vnum est Charitatem dici amicitiam, quoniam amor est, quo Creatura rationis particeps Deo placet, ipsiq; cara efficitur, & cõtrà Deus illi adeò placet, vt ipsum super omnia diligens cęteris omnibus sibi cariorem habeat, quandoquidem vera Amicitia mutuus est amor inter amantẽ, & amatum, vt docet Ari. 8. l. Eth. secũdo loco vobis animaduertẽdũ duco, dici amicitiã inter Deum, & Creaturam intellectu præditam, quoniam, etsi Deus omnia, quæ fecit, diligit, quibus omnibus suam impartitus est bonitatem, vt dicitur Sap. cap. 11. *Diligis Domine omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti;* attamen, quoniam amicitia verè mutuus est amor, non habet Deus cùm Creaturis intellectu carentibus amicitiam, quippe quæ mutuuam cognitionem non habent, & ob id nec mutuum amorem, cũ amor, & voluntas non feratur nisi in rem cognitam. Postremo loco dicitur, quę respicit diuinum bonum, quod est beatitudo æterna, quoniã cùm Deus diligat hominem, vt aliquam illi bonitatem communicet, & vicissim homo diligat Deum, ut omne bonum quod habet, se ab ipso Deo recepisse cognoscat; certè homo Deum diligere potest, & debet, velut est principium sui esse, & conseruator, vel vt temporaria bona sibi largitur, & Corporis sanitatem, & ècontra Deus diligere potest hominem, vt illi hæc naturalia, & fortunæ bona tribuit, vt vitam, diuitias, honorem, & alia id genus at huiusmodi dilectio tam ex parte Dei, quàm ex parte hominis Christus appellari nequit, nam comunis etiam est bo-
nis,

nis, & malis hominibus, & Angelis, & Dæmonibus, qui ut impij sunt, Charitatem non habent, & tamen non possunt nõ amare Deum Creatorem, omniumq; naturalium bonorum largitorem. At si homo, & Angelus Deum, vt Patrem, & fœlicitatis æternę, & nos ad tantam gloriam prædestinantem diligant, huiusmodi quidem Amor Charitas est, quippe qui nos Deo caros efficit filios, hic quidem per gratiam, ibi verò per gloriam. Huius autem Amicitię, quę verè est Charitas, meminit Redẽptor noster in Euang. D. Ioan. cap. 15. cùm inquit: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis;* verùm quod ad posteriorem ptinet assertionẽ, illud vnum vobis animaduertẽdũ duco: Actus animi nostri alio modo se habere, si ad habitus acquisitos referantur, q̃ se habeant si cùm infusis comparentur, nam ratione illorum non solum animum ipsum disponunt ad habitus, qui dicuntur acquisiti, recipiendos, vti sunt Scientię, Artes, Virtutes, quæ ad mores spectant, & huiusmodi; verùm etiam ipsos habitus efficiunt, & producunt in Intellectu nostro: at ratione infusorum habituum, animum dùmtaxat ad illos recipiendos disponunt, cùm efficiantur, & producantur a Deo; dico manifestius, & terminis vtor Scolasticis: Actus animi nostri, ratione habituum acquisitorum, sunt caussæ, tùm dispositiuę, tum productiuæ: at ratione infusorum sunt tantum caussę disponentes, non producentes, cuius rei ratio hęc est, quoniam actus animi nostri sunt naturales, res autem naturales habitus supernaturales producere nequeunt, tunc enim agerent supra virtutem sibi natura assignatam, cùm omne agens ex modo suæ naturæ agat: quare cum habitus Theologici supernaturales sint, quippe qui supra omnẽ actionem naturalem animam extollunt, ab actionibus animi nostri dispositiuè tantum dependent; effectiuè verò a solo Deo creantur supernaturali agente, & cum effectu supernaturali, sicuti est Charitas, affinitatem habente; nam caussa, & effectus eiusdem ordinis esse debent, vt inter illa aliqua seruetur proportio: inde est, vt Sponsa Ecclesia in his verbis, non ipsammet ex naturæ suę viribus, at Sponsum Christum ex sui gratia in illa Charitatem ordinasse affirmet, nam ab eodem, à quo creatur Charitas, et infunditur, ordinem quoquè recipit, & modum. Audite: *Introduxit me Rex in Cellam vinariam, ordinauit in me Charitatem:* de quo sanè ordine, modoq; Charitatis in sequenti sermone agemus.

LECTIO XCI.

Ordinauit in me Charitatem.



Vamquàm omnia, quę sunt a Deo creata, vt potè Bona, & pulchra à nobis amāda sunt; non omnia tamen Charitatis amore sunt diligenda, & ob hanc causam, Ecclesia Sponsa Spōsum Christū, in illa Charitatem ordinasse dicit: primùm igitur quę charitate diligere nō debemus, aperiam, mox verò quæ ita amare tenemur manifestare tentabo: ad primum itaq; caput accedens, dico quatuor esse, quæ Charitate diligere non debemus, nimirum, nullā Creaturam ratione, intellectu carentem; adhùc inter Creaturas intellectu prędiṭas, vt Dęmones; rursus Peccatores, vt peccatores; & demum inimicos, vt inimici sunt: & certè cuique patet Creaturam rationis expertem Charitate minime amandam esse, nam si Charitas est Amicitia, quę vere est amor mutuus, qui cognitionē præsupponit, qui fieri potest, vt inter Creaturas mente prędiṭas, & carētes (Charitas intercedat) inter quas Amicitia esse nequit? neque enim Creaturę rationis expertes mutuum erga homines amorem habere possunt, quia nec cognitionē habent, quare nec amicitiam, nec Charitatem; imò verò Charitas non simpliciter Amicitia est, vt aiunt Scholastici, & amicitia, quæ super quadā diuini Boni communione fundamentum habet, quod est vita ęterna, cuius cùm capaces non sint creaturę intellectu carentes, Charitatis etiam participes esse nequeunt. Sunt igitur huiusmodi Creaturę amore vtili diligendę, quas nō propter ipsasmet, sed propter nos amamus, cùm ipsę nobis inseruiant: veruntamen si hæ creaturę referantur in Deum, vt nobis vtiles sunt, ad fęlicitatem ęternā cōsequendam, vel ad Dei gloriam manifestandam; ita Charitate amari possunt. De Dęmonibus autē, & peccatoribus, vt huiusmodi sunt, illos Charitate diligendos non esse cuiq; constat, ex eo qđ vt tales sunt (Mali nimirū malo culpę) diuinam nobiscū fælicitatem, & beatitudinē non participant, in qua Charitas habet fundamentum, quare cùm his Charitatis fundamentum deficiat, Charitatem quoq; deficere necessum est; quinimo tantū abest vt isti, quatenus huiusmodi sunt, Charitate sint diligendi, vt odio potius habendi sint, & habeātur à Deo, vt dicit Eccl. c. 10. *Altissimus odio habet Peccatores;* & tamē inimicos, vt inimici sunt, gratuito amore à nobis amādos non esse, hęc vnica ratio probat: inimicus, vt talis est, nobis est cōtrarius, & noxius, qui nos quærit semper offendere, aut in persona, aut in re familiari, aut in honore; Charitas autem non aufert, at hęc seruat; Charitas igitur cū inimicis, vt inimici sunt, consistere nequit: confirmatur, nam

quęlibet

quælibet Creatura ex solo naturę instinctu sibi noxia,atq; cōtraria fugit, & odit; at inimici,vt inimici,nobis,noxij sunt,atq; contrarij,itaq; sunt fugiendi,& odio habendi. Verùm ad illos iā accedamus, quos Charitatis amore diligere tenemur,& hi sūt Deus opt. max. Nos ipsi,Proximus noster,& tam propriū q̃ proximi corpus; ita decernit D.Aug.j.li. de doct. Christ.c.28.sub his verbis:*Id quod suprà nos est,quod nos sumus,quod iuxtà nos est,& quod infrà nos est*, quod idē asseuerauit Prosper Episc.li.3.de vita contempl.c.15. inquiens:*Ordinata Charitas exposcit,vt Deū primo diligamus,& propter ipsū ea,quę in ipso diligenda sunt,& tantū quantum ipse pręcipit diligamus;ipse enim præcipit vt corpora nostra propter nos diligamus,Proximum sicut nos,& ipsum plus quā nos*:huius autē ordinis ratio hęc est, quoniam Charitas suprà beatitudinē ęternā fundatur, vt inter eos sit Charitas,qui eandē sibi cōmunem beatitudinē habent, at hęc quatuor ad ęternam spectant beatitudinē, etsi varia ratione, nam Deus huius beatitudinis est auctor,& obiectū: Nos illius participes sumus,proximus illam nobiscū cōmunicat, & corpus tā proximi, quam nostrū per quandam,vt inquiunt,resultantiam,post generalem corporū nostrorum a mortuis resurrectionē,ipsam beatitudinē cùm animo beato communicabit: quare hęc quatuor,quæ varia tamen ratione æternam beatitudinē suprà quā fundatur Charitas,participāt,ipsius Charitatis amore sunt diligenda. Cū igitur hęc quatuor,seu potius quinq; sint,quę Caritatis amore nos diligere decet,Deū,nos ipsos, Proximū,corpus proprium,& proximi corpus,tūc amandi ordo hic erit,vt primo Deū,mox animū nostrū, deinde animū proximi,postea corpus propriū,& postremo proximi corpus,ita decernunt patres sancti,& potissimū D.Aug.& D.Prosper in locis nuper a me citatis:illud sanè verū est a Domino nostro,cùm D. Matt. c.22.tùm D.Luc.c.10.tùm etiā D.Mar.c.12. Duo tantū obiecta a nobis Charitatis amore diligēda proponi,Deū videlicet,& Proximum, inquit enim Redēptor noster: *Diliges Dominum Deū tuū ex toto corde tuo,ex tota anima tua,& ex tota mente tua,hoc est maximū,& primum mandatum; secundum autem est simile huic,diliges proximum tuū sicut teipsū*: attamē sub his duobus illa quatuor,seu quinq; a nobis cùm Patribus sāctis proposita,satis bene cōtinentur;nā sub præcepto dilectionis proximi,tū proximi animus,tùm corpus cadere intelliguntur;&sub illa dictione *sicut te ipsum*, sui ipsius dilectio,saltem implicitè nobis designatur: non dedit autem Deus pręceptum nobis,vt nos ipsos diligeremus,quoniā pręcepta nō nisi de ijs,in quibus est aliqua difficultas,dari solēt, seipsum verò amare facile est,imò verò cuilibet naturale,inquiente Apost. Eph.c.5. *Nemo carnē suā odio habet*: Neq; opus est, vt huiusmodi Charitatis ordinem a Christo magistro assignatū,& à sanctis patrib. declaratū,rationibus nos

com-

comprobemus, cùm ipsarummet rerum à nobis diligendarum natura, ita exposcat: nam si Animus nobilior est, ac præstantior omni Corpore, & ex seipso æternæ beatitudinis maximè capax, nonne primo, et magis à nobis est diligendus Animus, quàm Corpus? Animus noster, quàm Proximi Animus? & Corpus proprium quàm alienū? at super oĩa tàm Proximum, quàm nos ipsos diligendus est Deus, qui solus est summum Bonum, et ipsamet Beatitudo ęterna, cuius gratia cętera gratuito amore diligere, et amare iubemur. Verùm animaduersione id quoque dignum existimo, inimicorū videlicet dilectionem sub Proximi diligendi præcepto contineri, qñquidem varij sunt Proximi nostri gradus, vt primo, s. diligamus Parentes, mox filios, deinde Vxorē, postea Cognatos iuxtà gradus suos, adhùc notos, & conciues, rursus Aduenas, & Peregrinos, septimo loco, & postremo inimicos oēs, qui nos oderunt, quorū sanè septem graduum, qui constituuntur in Proximi dilectione, nòn opus est, vt pro primo rationes assignemus, cùm illas apud Chrisost. Iau. 2. p. Philosoph. Christ. tract. 3. vbi de Charitate pertractat, cap. 4. satis benè dispositas habeamus; satius aūt erit si aliqua de modo diligendi Deum, nosipsos, & Proximum pertractemus, qui sanè modus breui quadā sententia à Redemptore nostro nobis declaratur, & huiusmodi est: ***Diliges Dominū Deum tuum ex toto corde, Anima, & Mente, & Proximum tuum sicut te ipsum:*** Quod autem ad Dei dilectionem pertinet, nòn sat est si Deum diligas, cùm Ethnici quoque, & Turcæ ipsum diligant, & ob id toto corde illum diligere oportet, totum Cor ipsi Deo, & nullam eius partem vitio concedendo, & tota Anima nihil aliud, nisi Deum cogitādo, reminiscendo, ac volendo, & Deum tota Mēte colendo, in oĩ alia re præter q̃ in Deo consolari renuendo. Sunt tamen aliqui recentiores, qui suis in sermonibus de Charitate tomo 1. ferm. 11. volunt Deum à nobis toto corde, animę, & mente diligendum esse, hoc est vera Fide, firma spe, & perfecta Charitate, ita vt Fides Cordi respondeat, Spes Menti, & Charitas Animæ: nam Fides corde concipitur, Spes alitur Mente, & Charitatē Anima auget: Rem manifestius adhùc explico, Fides corde concipitur: nam vt ait Apost. Rom. cap. 10. *Corde creditur ad Iustitiam*; Spem verò Mente alimus cùm Mente contemplamur, quæ præparauit Deus diligentibus se; & demum Anima Charitatem auget, & incendit, cùm Memoria, quæ pars animæ est, diuinorum meminit beneficiorum: Cùm ergo tibi præcipitur, vt Deum ex toto corde, tota anima, & tota mente diligas, id tibi præcipi intelligas, amorem videlicet in Deum, Fide, Spe, & Charitate coniungi, quippe qui à Fide oritur, Spe augetur, & Charitate ardet. Vel dicemus sic, Deum Opt. Max. ex toto corde, anima, & mente amandum esse, hoc est Intellectu, qui Menti; Voluntate

quæ cordi; & vi concupiſcente, quę Animę reſpondet; ac ſi dicatur, vt omnis intellectus, voluntatis, ac facultatis concupiſcentis conatus, totus omnino, ac penitus in Deum amandum feratur; & non ſolum Intellectum excitet in Deum, verùm etiam appetitum, omnemq; actum exteriorem, velut in poſtremum finem in ipſum Deum Optimum Max. dirigat: ita D.Tho. exponit 3. lib. Sent. diſt. 28. Verũ Origenes in ſuis hom. ſuper D.Matth. cap. 22. inquit: Dilige Deum ex toto Corde, hoc eſt, ſecũdum totam recordationem, cogitationem, & operationem; adhuc ex tota Anima, hoc eſt, vt paratus ſis eam ponere pro pietate Dei; & demum ex tota Mente, vt nihil aliud pręferas, niſi quæ Dei ſunt: & Greg. Nyſſ. ſuper D.Lucam, cap. 10. aliter exponit, inquiens: Cùm tres ſint in homine vnius Animæ vires, vegetandi nimirum, ſentiendi, atq; intelligendi, cùm dicit Cor, vim ſignificat vegetantem; cùm Animam, vim ſentientem, & cùm Mentem, vim intelligentem, vt id totum quo nutrimur, quodve ſentimus, & intelligimus in Deum referamus: Preterea D.Ioan. Chriſoſ. ſup D.Matth. ibidẽ hæc Dñi verba, ita declarat, Dilige Deũ ex toto corde, vt Cor tuum in nullius rei amorem magis q̃ in Dei dilectionem feratur, dilige ex tota Anima, vt totum Intellectum in fide ſtabilem, & firmum in veritate habeas; dilige ex tota Mente, vt oẽs tui ſenſus Deo vacẽt, & nihil aliud ſuprà Deum exoptent: Item Aug. ſanctus, 1. lib. de doct. Chriſt. nouã proponit interpretationem, & inquit: Cor ad cognitionem, Animam ad Vitam, & Mentem ad Intellectum referre oportere: nã tunc Deum ex toto corde diligimus, tota Anima, & tota Mente, cùm oẽs cognitiones noſtras, oẽm vitam, omnemq; intellectum in Deum referimus, à quo cũcta habemus. Rurſus gloſſæ ordinariæ Auctor ſic explicat: Ex toto corde, anima, & mente dilige Deum, hoc eſt, Intellectu ſine errore, voluntate ſine contradictione, & Memoria ſine obliuione: Verùm omnium optimè de hac re pertractat D.Bern. in ſuo tract. de diligendo Deo; vbi poſtquam dixit, *Vultis à me audire, quare, & quomodo diligendus ſit Deus, & ego cauſſa diligẽdi Deum, Deus eſt, modus autem ſine modo diligere;* ita hęc verba interpretatur, Amor cordis ad zelum pertinet affectionis, Amor Animæ ad iudicium rationis, & amor Mentis ad Animi vigorem; dilige ergo Dominum Deum tuum toto Corde, Anima, & Mente, ideſt pleno Cordis affectu, toto rationis iudicio, & omni Animi virtute, ſeu iucundè, fortiter, & ſapienter, quemadmodum ipſe dilexit nos, nã ſuauiter nos dilexit, cùm humanam carnem aſſumpſit, ſapiẽter, cùm Peccatum cauit, & fortiter, cum crucis mortẽ ſubiuit, ita tu Deum diligere debes ſuauiter, nè illectus, fortiter, nè oppreſſus, & ſapiẽter, nè deceptus à Dei amore recedas. De modo autem diligendi teipſum, & Proximum eadem ſunt dicenda, cùm hoc ſolo diſcrimine, vt primùm, & magis tibiipſi, quæ bona

ſunt,

ſunt, & honeſta deſideres, & deinde Proximo iuxta ordinem charitatis quem paulò ſuperius propoſuimus, vt primùm quæ ad Animũ noſtrum ptinent diligamus, mox quæ ad Animũ Proximi, deinde verò q̃ ad Corpus noſtrũ ſpectant, & demũ quę ad Proximi Corpus, ita vt ſit ęqua lanx, & alijs demus, qd ab illis deſideramus, alioqui Vſurarij eſſemus, q plus q̃ dederimus, reqreremus. Atq; illud potiſſimum vobis animaduertendũ duco ſui ipſius, & Proximi dilectionẽ, modũ, mẽſuramq; hẽre, qua caret dilectio Dei, vt eruditè animaduertit D. Ioã. Chriſ. ibidẽ, inquiens, *Tu tamen animaduerte, qualiter nõ cum eodẽ exceſſu poſuit vtrumq;* Præceptũ, Dei nimirũ, & Proximi. Et ſanè dilectio finis, qui eſt Deus Opt. Max. eorum oĩum dilectionem excedit, quæ dirigũtur in finem: inde ſacri Theologi aſtruunt Deum pp ſeipſum, Proximum verò pp Deum diligẽdum eſſe, Deum rurſus Amore complacentiæ, & Proximum amore deſiderij; Deum deniq; ex toto corde, anima, & mente; Proximum aũt ſicut noſipſos. Verùm quo nã modo noſipſos diligere debeamus, vt ſatis huic quęſito faciamus, prenoto, triplici Amoris gñe nos ipſos nos diligere poſſe, aut amore naturali, quo quiſq; duce Natura ſui ipſius conſeruationem diligit, aut amore vitioſo, qui potius odiũ, quàm ſui Amor nuncupari debet; & demũ diuinæ ſimilitudinis amore, qui propriè Charitas dr̃, hic aũt de hoc tertio Amoris genere ſermonẽ habemus, & tunc iuſtus hõ charitate ſeipſum diligit, cùm Deum oĩum Bonorum Auctorẽ, & largitorẽ poſſidere ſatagit, ipſumq; in p̃cordijs intimis habere, & retinere deſiderat, & vt illum retineat oĩ cùm diligentia cõtendit, ſeipſumq; in Dño, & Dñm in ſeipſo oĩ amore proſequitur, nec quicquã, niſi pp Deum agendum ſuſcipit. Poſtquam verò teipſum tali modo diligere didiciſti, audi quid ſit Proximum ſicut teipſum diligere, Proximũ non iubemur diligere quantum nos, ſed ſicut nos, hoc eſt velle, & optare ei Bona oĩa, quæ debemus, & velle, & optare nobisipſis, maximè verò Beatitudinẽ æternã, bonaq; ſpiritalia; ad quæ obtinenda in Bonis ẽt Corporis, & Fortunę illi opẽ ferre tenemur, vt ratio exigit, & facultas pmittit: atq; vt breuiter rem ipſam vnico Redemptoris noſtri dicto pſtringĩ, ipſum audite apud D. Matth. cap. 7. inquientẽ. *Quæcunq; vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*. Si te ipſum tunc rectè diligis, cùm tibi Deum optas, & quæris, illum quoq; Proximo tuo optato, & quærito, illique prouideto quantum in te eſt, cuncta quę ad ipſum Deum obtinendum neceſſaria ſunt; & tunc Proximum tuum ſicut teipſum te dilexiſſe credito: Plura quidem, & omnia pulchra de dilectione Dei, ſuiipſius, ac Proximi dicere poſſem, ſed quoniam, tùm in primo Cantico nonnulla dicta ſunt, tum in ſequentibus multa dicentur, vt ſeſe obtulerit occaſio, idcirco hęc pauca nunc dixiſſe ſufficiat.

LECTIO

LECTIO XCII.

Fulcite me Floribus, stipate me Malis, quia amore langueo.



Amet Sponsa ex vnanimi omnium interpretum consensu, hìc loqui pergit: quas alloquatur personas, non omnes idē sentiunt, nam aliqui sunt opinantes, ipsam sponsam suis cum Adolscentulis sermonem habere; quas etiam in proxi mè præcedentibus verbis affata fuerat, vti sunt D. Gregor. D. Bern. Ægid. Rom. & Alphon. Aug. alij verò, vt Orig. D. Hier. D. Tho. doctus Hay. Hug. Card. Iacob. Val. Cos. Dam. & Gilb. Geneb. existimāt, cùm sponsi sodalibus, non suis cùm Pedissequis sponsam verba facere. Ego autem, etsi vtramque opinionem satis probabilem censeo, posteriorem tamen, vt mysticus sensus, & spiritalis congruentius seruetur, aptiorē approbo, vt infra luce clarius apparebit: Quare & dramatis ordo mutatur, & noua hìc efficitur scena; nam sponsę pedissequis è Scena abeuntibus, earum loco sponsi sodales inducuntur, quos sponsa ita affatur, ò vos sponsi mei Amici, *fulcite me floribus, & stipate me malis, quia amore langueo*. Qui igitur priori modo hæc sponsę verba exponunt, ipsam ita loquentem inducunt; o meę Adolescentulæ postquam sponsus dilectus in me Charitatem ordinauit, & rectè me amorem docuit, en iàm iàm ipsius amore languere incipio; quapropter vos obsecro, & obtestor vt me floribus, quibus Amantes, & sponsi summopere delectantur, fulcire velitis, & constipare Malis, quibus ipsimet amores quàm maximè oblectantur, vt horum antidotorum odore recreata, immensi amoris impetum frangam, & moderer: etenim cùm hac vice, magna ipsi spōsæ copia fuerit, videndi non solum, sed alloquendi etiam sponsum, illius cùm sua ui colloquio delectata, tùm eximio pulchritudinis pręconio in Cęlum vsquè elata, tunc etiam ipsius, quam desiderauerat Vmbra, atquè præsidio recreata, fructu potuq; refecta, maximo eius Amore languere cepit, qui more suo è Scena recedens, protinus illam reliquerat, & ob id spōsa suis coràm Adolescētulis florum odore, saporeq; fructuum se fulciri, & constipari rogat, inquiens: *Fulcite me floribus &c.* Qui verò posteriori modo hæc verba explanant, ita sponsam loquētem proponūt: O sponsi mei sodales, & Amici, vos obsecro, postquam sponsus more suo secessit, & me ęgram, eiusq; amore languentem dereliquit, cuius quò gratiorē experta sum pręsentiam, eò molestiorem experior absentiam; Vos inquàm mihi

aliqua,

aliqua, aut florum, aut malorum solatia præbete; Vos, ne præ amore deficiam, me sustinete, vt paululum super arborem malum incumbam, hisceq; adhibitis remedijs immensi amoris impetum frangam, & moderer: verum vtra sit aptior Expositio, ex ijs, quæ paulo infrà dicenda sunt, ad ipsius spiritus mysteria pertinentia, satis apertè dignoscemus: interim de literę sensu id adnotasse sat erit, Originem videlicet, & Doctores Græcos, alio modo ac nos in uersione nostra habemus, hæc verba legere, nimirum: *Confirmate me in vnguentis, stipate me in malis, quia vulneratæ Charitatis ego sum*, quę verba in literæ quidem sensu idem ferè sibi volunt quod nostra: etsi in verbis ipsis ab inuicem discrepant, nam quod nos dicimus: *Fulcite me floribus*, ipsi legunt: *Confirmate me in unguentis*; & quod nos subiungimus: *Quia amore langueo*, ipsi subinferunt: *Quia vulneratæ Charitatis ego sum*. Sed ad ipsius spiritus mysteria iàm accedamus; & primum illorum in medium proponam interpretationes, qui sponsam suis cùm Pedissequis hic sermonē habere volunt: D. igitur Greg. sponsæ nomine Ecclesiam designans, per flores quosq; teneros Fideles, vti sunt incipientes; & per mala perfectos intelligit, inquiens, Ecclesia Sponsa, in qua sponsus Christus Charitatem iam ordinarat, amore sponsi languere incipiens, appetit se fulciri floribus, & stipari malis, hoc est circà se incipiētes fideles respicere, atq; perfectos, quia dum æternitatis desiderio se afficit, dum qualiter illuc perueniat, tāta anxietate perquirit, & fatigata in desiderio suo requiescit, omnino perfectionem non inueniens, dum in carne viuit, hoc solo gaudet solacio, si circa se respiciat, vel quibus ipsa proficiat, vel in quorum perfectio ne aliquam de languore suo consolationem recipere possit. D. autem Bern. geminam horū verborum mysticam interpretationem proponēs, allegoricam nimirum, & tropologicam, idem ferè allegoricè astruit quod D. Greg. nam inquit sponsa, quę loquitur est communis Ecclesia Sanctorum, quæ ob sponsi Christi absentiam amore languens, expostcit se fulciri floribus, in quibus nouella, & tenera adhuc incipientium cōuersatio demonstratur, & se stipari Fructibus, seu malis, in quibus proficientium fortitudo, & perfectorum maturitas designatur, vt his stipata, & circumsepta suæ dilationis in hoc sęculo molestiam tolerantius ferat. Tropologicè verò ita explanat, sponsa est anima iusti, quę fidei floribus se fulciri petit, ac bonorum operum fructibus in quibus (moram faciente Christo Spōso) interim requiescat: sicuti enim flos fructum pręcedit, sine quo est inutilis; ita Fides bonis operibus pręcurrit, sine quibus mortua est, cùm Mens assueta quieti, ex bonis operibus in fide non ficta radicem habentibus, consolationem recipiat, quoties sibi lux contemplationis subtrahitur; vt quoties a vita corruit contemplatiua, toties in

actiuam

actiuam se recipiat? Adhuc Ægid. Card. ita Sponsam Ecclesiam alloquentem inducit, ô Filiæ Hierusalem, ô Animæ fidelium subditorum, si spõsus est summè bonus, summèq; delectabilis, ac suauis, primum igitur huiusmodi sponsi delectatio mihi quærenda est; quare ante quam ego vobis subditis incumbam, & ministrem, permittite me floribus fulciri, nè meam quam de sponso Christo delectationẽ habeo impedire uidear, qui flos est campi, & Lilium conuallium; & permittite quoque me stipari malis, nè Sponsi Christi, qui arbor est malus inter ligna syluarũ, dulcedinem negligam, cuius amore langueo, suauitateq; summopere delector: & hic sanè Doc. a D. Bern. & D. Greg. in hoc discrepat vt hi per flores, & mala Fideles omnes cũm incipientes, tùm proficientes, tùm etiam perfectos exponant; ille vero ipsummet Christum mysticè interinterpretatur. Et quoniam Christus in verbis præcedentibus flos, & malus in minori numero nuncupatur, hìc verò flores, & mala, in maiori numero proponuntur: ait Ægidius Christi bonitatem, & dulcedinem, quę in ipsomet Christo vnica est; in Ecclesia spõnsa, sęu in omnibus Christi fidelibus multiplicem esse, &, diuersam, sicuti multa sunt, & varia diuinarum gratiarum Dona. Verùm tamen non satis aptã hanc Ægidij mysticam explicationem censeo, quandoquidem sponsi dulcedine, ac suauitate sponsam afficere, seu potius Christi gratiis Ecclesiam donare, non munus est fidelium, siue incipientes sint, & proficientes, siue perfecti; at ipsiusmet Christi, qui omnium Bonorum largitor est optimus. At sponsa non a sponso, sed a suis Adolescentulis, & floribus se fulciri, & malis se stipari exposcit: quare per flores, & mala non Christum, aut Christi Gratias, sed ipsosmet Fideles hic intelligẽdos esse opinor. Attamẽ quodcunq; sit, priorem D. Greg. & D. Bern. interpretationem satius, & libentius approbo. Demum Alphon. Aug. tàm allegoricam, quàm tropologicam Sãctorum Patrum expositionem paulo supra propositam amplectens, illud addit, per flores verba etiam Christi in Euang. nobis relicta; & per mala eius opera egregia huc, & illuc Sanctitatis odorem emittentia figuratè exprimi posse. Verum iàm accedamus ad posteriorem aliorum interpretum expositionẽ; etenim doctus Origines, quem D. Hier. sequitur, ita hęc verba explanat. Ecclesia Christi ab eius sodalibus, qui sunt Prophetæ, seu Apostoli, & Apostolici viri, exposcit se confirmari unguentis, seu myrrhis, & stipari Malis, hoc est duobus Fidelium generibus circùmfulciri, cuius postulati rationẽ reddens, ait: *Quia vulneratæ charitatis ego sum*, & in Sponsum Christũ, & in proximum, nã myrrhæ nomine quæ suauem dùmtaxat odorem emittit, nullũquam fert fructũ, Cathecumenos intelligere possumus, super quos aliqua ex parte innixa Ecclesia confirmatur, cùm in ipsis etiam non parum habeat fiduciç, vt


& ipsi

&, ipsi aliquando frugiferę arbores fiãt, & in Christi plantentur Ecclesia; quæ est deliciarum Paradisus; per mala verò, quæ arbores sunt fructus ferentes suauissimos, Animæ intelligi possun:, quæ ad eius imaginem, qui eas creauit, quotidie innouantur: sicuti enim Christus dictus est Malus inter ligna Syluarum, ita & ipsę Christi fidelium Animæ, imaginem Dei per bona opera reparantes, meritò Arbores appellantur, & Mala: Rursus D.Th.& Haym.opinantur, qui Sponsa Ecclesia cũ Sponsi sodalibus, qui sunt Animæ sanctæ, & beati Spiritus ita loquatur: O mentes beatę quę dilectioni Conditoris nostri inhęretis, fulcite me bonorum operum exemplis, & quonampacto, cum in exordio Virtutum, tùm in profectu, tùm etiam in perfectione vixeritis vos, ostendite mihi, quæ amore Dei langueo; nam tunc Anima Dei amore languere dicitur, cùm nihil eius dilectioni pręponit, nihilq; illam delectat nisi rerum cælestium contemplatio Adhùc Hug.Car. Socios Sponsi. Christi, Doctores Ecclesię, prælatos, & Angelos esse existimans, nomine Florum, pia vota & sãcta Fidelium desideria, quibus ipsa Ecclesia fulcitur mystice explanat, sicuti Mala sunt bonorum Operum exempla, quibus ipsa munitur, aduersus Maledicorum iurgia, & contumelias; inducit autem Ecclesiam Sponsam cùm Sponsi Christi sodalibus ita loquentem, ò vos Ecclesię viri primarij, & Sancti Proceres, fulcite me Christi amore languentem, Fidelium orationibus, quasi floribus, & quasi malis stipate me bonis Operibus, sanctisq; exemplis: seu hoc pacto, fulcite me floribus, hoc est bonorum Operum exordijs, & stipate me Malis perfectis nimirum operibus, quemadmodum mala sunt fructus, & flores ipsorum initia fructuum. Demum Iacob.Val. Cosmas Dam. & Gilb. Geneb. idem ferè asseuerant, quod prę nominati interpretes astruunt; attamen Geneb. ex Origenis testimonio hom. 3. super Cant. id vnum addit, nempe hunc esse locum insignẽ pro Sanctorum inuocatione, quos in his verbis Ecclesia Sponsa summa animi anxietate compellat, illos inuocans, vt ipsorum precibus eam in hoc Mundo fulcire velint, & constipare: quippe quę Sponso Christo abeunte, in Cęlumq; ascendente, in animi deliquium rapitur, eiusq; Amicos sanctos inuocare cogitur, vt ipsorum orationum, instar incensi, aut florum odore confirmata, immensi amoris impetum, quo iàm languet, & frangat, & moderetur, atquè hęc hactenus dicta sint.

LECTIO

LECTIO XCIII.

Quia amore langueo.



SI *omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt Vniuersa sub Cælo,* vt dicit Ecclesiast.cap.3. Quid mirum si sponsa Ecclesia, summæ quietis, ac maximę regni Christi tranquillitatis tempore, quo vniuersis, & singulis ipsius Inimicis strenuè debellatis (omnia in pace quiescunt).in Cellam Christi vinariam, quæ Charitatis est Cella, iàm iam introducta, & bene amare edocta; prę amore langueat? nonne res esset inepta, atque insulsa in conuiuium preciosum induci, & non edere?in Oratorio esse, & non orare? in schola apud Magistrum manere,& nihil addiscere? Schola certè est,& amoris, & charitatis schola Ecclesia Dei, & cella Christi uinaria, in qua quidem Magister vnus est Christus, qui, vt D.Ioan.capit.13.legimus quotidie dicit, *In hoc cognoscent homines, quòd mei estis discipuli, si dilectionem habueritis:* Inde est, vt Ecclesia sponsa charitatis ordine à sponso, & magistro Christo recepto, ita Deum, seipsam, & Proximum in hoc amoris Gymnasio ardenter amet, & diligat, vt charitate langueat; Et mehercule Discipuli bonas literas, aut laudabiles artes à magistro discere cupientes, eius doctrinam omni cùm attentione audire, & omni mentis conatu capescere satagunt, illiusque exempla quò ad fieri potest imitantur. O rem pulchram, Exemplum Amoris, & Charitatis dedit nobis Christus Dominus, & Magister, diligendique Exemplar seipsum nobis effecit, quippe qui pro nostris sceleribus, in ara Crucis, clauis confixus, prę amore non solùm languere, sed mori etiam voluit: nam *maiorem Charitatem nemo habet,* ut ipsemet inquit apud D.Ioan. capit. 15. *Quam vt Animam suam, ponat quis pro amicis suis.* Nos igitur tanti Magistri Discipuli omni cùm diligentia ipsius sequi vestigia, & exempla imitari debemus,vt quemadmodum ipse nihil pręter amorem docuit, aut effecit, ita & nos nihil prætet amare, ac diligere pręstemus, vt vnà cum ipso, nisi moriamur, amore saltem langueamus. Verùm non omnis Amor is est, vt illo languere dicamur, sicuti enim in Christiana Repub. triplex hominum Christi Fidelium ordo reperitur, Incipientium nimirum, Proficientium, & Perfectorum; ita triplex amoris gradus constituitur, quo, si velint, omnes, & singuli, Deum, seipsos, & Proximum diligunt, at non omnes, qui diligunt amore languent, sicuti Perfecti,

 cti,

autem sunt, qui eius amore cùm Ecclesia sponsa languent. O suauem languorem, ac beneficum, ò iucundum soporem,& efficacem,qui; non dicam à corporis sensibus nos separat, aut suprà nosipsos nos conscendere facit; sed omnia peccata dimittit, diuinam gratiam nobis largitur, in cœleste conuiuium nos introducit, dapibus supernis saturat,cùm beatis spiritibus coniungit, & vnum facit cùm ipso Deo: quapropter Origenes hæc sponsæ verba explanans aiebat. *Quàm pulchrum est, & quàm decorum à Charitate vulnus accipere, alius enim iaculum carnei amoris excipit, alius terreno cupidine vulneratur, Tu verò nuda membra tua, & teipsum præbe iaculo electo, siquidem Sagittarius est Deus, & iaculum est Christus*, qui dicit apud Esa. Prophe. cap. 49. *Posuit me Dominus quasi sagittam electam, & in pharetra sua seruauit me*; qua quidem sagitta non plumbea, sed aurea ipsius sponsæ Cor à Sponso qui non terrenus, sed cęlestis est Amor, sauciatum languescit, cùm dicat, *Fulcite me Floribus, stipate me Malis, quia amore langueo.* Neque me latet huiusmodi sponsæ Christi Ecclesiæ verba, ad Perfectos potissimum Christi Fideles, qui sunt Episcopi, & Animarum Pastores satis congruenter aptari, quorum Amor erga Deum, & Proximum, tùm affectu, tùm effectu nimius esse debet; affectu quidem nè tepescat, sed assiduè ferueat; effectu verò nè solum Dei præcepta, sed consilia quoque seruare satagant; affectu inquam alienis miserijs compatiendo; & effectu necessitatibus, & indigentijs opem ferendo; affectu demum,& effectu, vt huiusmodi Amor in sinu cordis semper viuat,nec vnquam tepescens in bonis Operibus imminuatur. Atque vtinam in Ecclesia Dei nunc Pastores reperirentur, qui Dei, & Proximi amore languentes vnà cum Apostolo suis Ouibus, & Animabus dicerent. *Quis infirmatur ex vobis, & ego non infirmior? quis scandalizatur, & ego non vror?* at proh Deum immortalem cupidine potius, & libidine, quàm Amore, & Charitate quàm plures languent, qui Ecclesiarum fructus vberrimos omni cùm diligentia sciscitantur, at Animarum salutem nec tantillum quærunt; quinimò seipsos Christi sanguine inebriare contendunt,at Christi gregem nec paululum pascunt: discant igitur Ecclesiæ Dei Prælati,atque Pastores,discāt à sponsa nostra, quæ ipsorum nomine,inquit, *Fulcite me Floribus, stipate me Malis, quia Amore langueo.*

LECTIO XCIIII.

Laeua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.



PErseuerat adhùc in his verbis loqui Sponsa, vt omnes volunt Explicatores, etsi quibus cùm Personis sermonem habeat ab inuicem dissentiunt: nam aliqui asseuerant Sponsam suas hìc affari Adolescentulas, alij autem dicunt cum Sponsi Sodalibus verba facere, vt diximus etiam in proximè præcedentium verborum interpretatione: Ego verò posteriorem potius opinionem ceu probabiliorem amplectens existimo Sponsam eosdem, quas supra allocuta fuerat sui Sponsi Amicos, hic affari, illisque dicere, ne mirentur si ïtàm ardenti erga Sponsum amore langueat: nam & Lęua illius manus ipsius Sponsę caput sustentat; eiusq; dextera suaui complexu ipsam amplectitur, carissimæ instar Matris, quæ puerulum filium inter brachia detinens, illius caput sinistro brachio sustinet, & dextero illum suauissimè amplexatur; seu potius, & longè melius, vt ego censeo, ipsamet Sponsa nimio in Sponsum amore victa, dum nullum suo amori modum imponi posse experitur, in ipsum Sponsum labascens se conijcit, eiusque amplexibus se excipi exposcit, nè concidat, & ait: *Laeua eius presto sit sub capite meo, & dextera illius me amplexetur.* Inde, ut ait Cosmas Dam. geminum hìc aduertere debemus Hebræis solitum loquendi modum: nam vice secundę Personæ loquuntur in tertia; & vice imperatiui, aut futuri optatiui modi, futuro modi indicatiui utuntur, ac si dicendum sit, ò Sponse lęua tua sit sub capite meo, & dextera tua me amplexetur: Hęc autem posterior explicatio literę sensum respiciens quàm maximè à me probatur, pręterquàm quòd puto ego non à Sponso, sed à Sponsi Sodalibus id exposcere Sponsam, vt volunt etiam Origenes, D. Hieron. D. Thom. Haym. Hugo Car. Iacob. Valent. & Gilb. Geneb. Et sanè hęc est amatorij dramatis pulcherrima descriptio, in qua uehemens exprimitur Amoris impetus in Sponsa puella recens nupta, quę nec ad horam quidem Sponsi, quem ex animi sententia nacta sit, conspectu carere sustineat quin depereat, & labascat; & ideo à sui sponsi Amicis expostulat, vt ipsius lęua pręsto sit sub capite eius, & dextera illam amplexetur. Verùm ad spiritales sensus iàm accedamus. Qui putant Sponsam Ecclesiam suas alloqui Pedissequas, quę sunt Animę Incipientium, ac paulatim in Chri-

in Christi Fide proficientium, vti sunt D.Greg. D.Bern. Ægid.Rom. & Frater Alphon. ita exponunt, ò Animæ fideles non mirum si tam ardenti erga Sponsum Christum amore langueo: nam ipsius læua, idest vita presens, & temporaria sub Mente mea est: quoniam Mente mea sublimi illam semper neglexi, atque floccipendi; & dextera illius amplexabitur me, hoc est cęlestem vitam, & sempiternam semper amplexata sum, diuinisq; officijs me occupaui: & hac de caussa eruditè animaduertunt Interpretes isti, sponsam Ecclesiam dum de sui sponsi Christi dextera sermonem facit, futuro tempore vti, cùm vera illa cœlestis que consolatio, et vita æterna nondum venerit, sed illam in futuro sęculo expectet. Qui verò existimant Ecclesiam sponsam loqui cùm sponsi Sodalibus, qui sunt beati spiritus, ita explanant, ò Mentes angelicę, Animæq; beatę, vtinam sit sub capite meo, hoc est sub fide mea, quę est omnium virtutum caput, lęua Christi, quę sunt diuitiæ & gloria humanitatis eius, hęc sacra mysteria tùm ad eius incarnationem, tùm passionem pertinentia, semper meditando; et vtinam ipsius dextera, quæ est Christi diuinitas, me amplexetur, ita vt de eius diuinitate, et de ijs, quæ ad illam spectant quotidie instruar, vt ita edocta omnia sciam, tàm quę ad eius humanitatem per lęuam, quàm quę ad eius diuinitatem per dexteram significatam pertinere videntur: Aut mysticè sic explicare possumus, vt placet Cosmæ Dam. Apostolorum cętus, qui est Ecclesia primitiua (Christo sponso abeunte, et in Cœlum ascendente, cuius discessum grauiter ipse ferebat, æstuare cœpit, et contristari; quoniam verò tanti mœroris vim iàm ferre non poterat sponsi Sodales, qui sunt Angeli Dei alloquitur in Monte Sion, vnde Sponsus in Cęlum ascensurus discesserat; et implorat, vt ipsis intercedentibus, Sponsus sibi opem ferat, tùm in supplicijs, et afflictionibus, quæ sunt lęua sponsi, tùm in gratijs, et beneficijs, quę sunt eius dextera: inde Angeli, quos Apostoli affati fuerant, illis dixerunt Act. Apost. cap. 1. *Viri Galilęi quid statis aspicientes in Cęlum? hic Iesus &c.* Quid aliud enim fuit Galilęos illos reprehendi ab Angelis, quòd starent aspicientes in Cœlum, quàm stuporē quendam Mentis, et languorem, quem præ Amoris magnitudine patiebantur, illis obijci? et tunc lęua Sponsi fuit in capite sponsę, et eius dextera illam amplexata est, quando Iesus Christus eleuatis manibus benedixit eis, hoc est secretiori quadam vi, et energia perturbatos eorum animos confirmauit. Atq; hęc tùm ad literę sensum, tùm ad Spiritus mysteria pertinentia satis dicta sint. Quid autem per lęuam, quidve per dexteram manum tam in hoc loco, quàm in alijs symbolicè intelligatur in sequenti sermone, ne diutius tędio vos afficiam declarare libet.

LECTIO XCV.

Laua eius sub capite meo, & dextera ilius amplexabitur me.



VT promissis stare videar, quid per læuam, quidve per dexterã manum tàm in hoc loco, quam in alijs symbolicè intelligatur declarare debeo, & primũ, vt hinc exordiar: Apud Æthnicos Auctores, sacrosq; Theologos reperio manum, tùm dexteram, tùm læuam artium, & operum symbolum esse: hinc aiebat Tullius: *Dedit Natura homini manus multarum artium ministras*, & Dauid in Ps. 78. canebat, *Deum exquisiui manibus meis noctes coram eo*, hoc est bonis operibus, quæ nocte, & occultè, in Dei tantum conspectu fieri debent: imò verò Philo Iudæus illud Dei præceptum, quò mandat Moysi, vt Serpentis caudam apprehendat manu, eruditè perpendens, inquit, actionem per manum hic significari, quemadmodum etiã Eucherius, & Hesychius asserunt ipsammet agendi potestatem, agentisq; auctoritatem per manum figuratè exprimi: tum in Psal. 65. *in Dei manu sunt omnes fines Terræ*: tùm apud Hierem. cap. 18 dicentem: *Sicut lutum in manu figuli, sic uos in manu mea do nus Israel.* Et quãquã Veteres Ianum bicipitem absq; manibus, pedibusq; effinxerunt, vt Dei potestatẽ indicarent, cui neq; manibus opus est, neq; pedibus ad ea, quę voluerit efficienda, at solo nutu Mundum vniuersum administrat; verumtñ in Scripturis sanctis habemus (ipsummet Dei filium) qui est virtus, & sapientia Patris, per quam facta sunt omnia, manum, & dexteram Dei manum appellari, vt dicitur in Psal. 117. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.* Quod etiam asseuerant D. Ambros. lib. 2. de Spiritusancto, cap. 10. & D. Aug. lib. vnico contrà serm. Arrian. cap 12. sub his verbis: *Si manum Dei Patris, non secundum lineamenta corporis, quæ in Deo non sunt, at secundum effectricem virtutem sapienter, & fideliter cogitamus, quid intelligimus, nisi vnigenitum Dei filium, per quem facta sunt omnia?* Atq; inde est, vt Theologi in Dei dextera eam esse vim tradiderint, vnde rebus omnibus pulchritudo, & gratia prouenit, sicuti læuam eam in Deo esse vim affirmant, vnde fortia, dura, & aspera procedunt; & sicuti priorem vim Michaelem, ita posteriorem Gabrielem nuncupant, aut, vt volunt Astronomi hanc Martem, illam verò Venerem appellamus. Alibi autem, vt D. Greg. placet, lib. 2. Mor. cap. 21. illud Micheæ, cap. 7. interpretanti: *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & exercitum Cœli à dextris eius, & à sinistris*; per Dei manum dexteram, & sinistram boni Angeli

geli intelliguntur,& mali,inquit enim Doctor sanctus: *Solium Dei angelicæ sunt potestates, quarum mentibus altius ipse præsidens, inferius cuncta disponit; at Exercitus Cœli ministrantium Angelorum est multitudo, vt dextera Dei sit Angelorum pars electa, finistra verò Angelorum pars reproba: neque enim ministrant Deo solummodo boni Angeli, qui Homines à culpa redeuntes subleuent, verùm etiam mali, qui redire nolentes grauent.* Necnon dextera manus passos digitos habens apud antiquos Ægyptiorum Sacerdotes Opis ferendæ Hieroglyphicum fuit, cuiusmodi species in Opis Deæ simulachro obseruatur,quasi ea, quæ omnibus opem ferre polliceatur: hinc legimus apud Maronem,li.5. Æneid. Palinurum præsidium aliquod ab Aenea petentem, ita clamasse.

Da dextram misero, & tecum me tolle per vndas:

Quemadmodum etiam apud eundem Poetã dexteram manum fidei indicium esse habemus: nam 6.lib. Aeneid. Senem Anchisem Aeneæ filio dexteram porrigentem inducit,inquiens:

Dat dextram,atq; ie Animum præsenti pignore firmat.

Rursus,apud D.Lucam,cap.6.Dextera illius hominis manus, quæ arida erat,Scribas,& Doctores mysticè designat, qui ceu dextera mystici corporis ipsius Synagogæ pars erat præstantior,vt astruit D.Ambr.ibidem serm.8.sub his verbis, *Nulli dubium est dexteram totius Corporis præclariorem esse portionem, quæ diurna alimenta suo Corpori subministret, & prouidentia quadam ad fruẽdam hanc vitam cętera membra pascat: quare hanc dexteram in Iudaico populo Scribas esse dixerim,& legis Doctores, qui velut præstantior portio in Pharisęorum corpore mystico à Domino constituti,cęteris eorum membris,Prophetarum oracula,quasi escam Vitæ æternæ porrigere neglexerunt,& ob id eorum doctrina,tanquam manus aruit imbecillis,quia fontem perennis sapientiæ nõ quæsiuit;*vt dicitur in Euan.D.Lucæ,cap.11.*Veh vobis Scribæ & Pharisæi,qui absconditis Clauem scientiæ.* Neq; me fugit in dexterã declinare,&in sinistrã, ex auctoritate D. Aug. & D.Greg.aut securam esse Peccatorum delectationem, quibus libenter consentimus,aut superbam Iustitiæ nostræ, vt ita dicã præsumptionem, qua ob bona opera nostra nimis gaudẽtes,magis quàm deceat eleuamur: nam D.Aug.lib.2.contra Pelag. cap.35. ait: *Populus Dei eruditus in regno Cęlorum,per duo testamenta Vetus,& Nouum, non declinans in dexteram superba præsumptione Iustitiæ, neq; in sinistram secura delectatione peccati, in terram illius promissionis intrabit,vbi iàm peccata,nec nobis donanda optemus nec in nobis punienda timeamus:*et D.Grego.lib.16 Mor. cap.16.idem asseuerans,inquit,*ad sinistram ire, est Peccatorũ delectationibus consentire,& nimis constat, quia Deum apprehendere non valet, qui adhùc in delectatione peccati per sinistram iacet, at in dexteram procul*

dubio vertitur, qui de virtutibus eleuatur, & hic quoque Deum videre nequit, quia cordis oculum in illo tumor elationis premit, qui priuata lætitia nimis de bonis actibus gaudet. Verùm iam videamus quid sponsi Christi dextera, quidve læua manus figuratè nobis significat: & primùm hanc vitam temporariam, & momentaneam per læuam Christi, cœlestem verò, ac sempiternam per dexteram figurari legimus, cùm apud D. Hieron. super Prouerb. cap. 31. tùm apud D. August. super Psal. 120. tùm etiam apud D. Grego. super Cant. cap. 2. Adhùc quod idem ferè est per Christi læuam præsentia Dei Dona, quibus in hac vita mortali à Deo donamur, vti sunt Mundi diuitię, dignitates, fęlices rerum euentus, & alia id genus, per dexteram autem futura bona, & spiritualia, vt Fides, Gratia, Gloria cœlestis, & Vita æterna intelliguntur. vt volunt D. Ambros. Serm. 14. super Psalm. 118. & D. Bern. sermo. 4. de Aduen. Domini, & sermo. 4. in vig. Natiu. Domini, quò loci sic inquit, *Gaudete, quoniam iam accepistis Dona sinistræ, quæ sunt diuitię, & Gloria, & gaudete quia expectatis pręmia dexteræ, quæ sunt veræ Virtutes, & æternitas Vitæ, lęua quidem leuat, at dextera suscipit; lęua medetur, & iustificat, at dextera amplectitur, & beatificat.* Præterea læua sponsi Christi Charitatem præmonstrat, qua nulla est maior, cùm Animam suam posuit pro Amicis suis, dextera verò beatam visionem indicat, quam promisit Deus diligentibus se, vt dicitur in Psalm. 15. *Delectationes in dextera tua vsque in finem*, ita astruit D. Bernar. in tractatu de diligendo Deo. Item ipsemet Doctor sanctus, sermo. 51. super Cant. affirmat lęuam sponsi æterni supplicij comminationem symbolicè designare, dexteram verò regni cœlestis promissionem: hinc apud D. Matt. cap. 25. Sponsum Christum, tàm Viuorum, quàm Mortuorum Iudicem statuere quidem Impios legimus à sinistris, Electos autem à dextris, & his quidem dicere: *Venite Benedicti Patris mei, possidete Regnum vobis paratum ab origine Mundi*, illis verò, *Discedite à me Maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Necnon serm. 4. in festo omnium Sanctorum, inquit: per læuam Christi, temporariam eius natiuitatem, naturamq; humanam symbolicè significari, & per dexteram ipsius ęternam generationem, diuinamq; maiestatem sub his verbis: *Audi sponsam in Cantic. cantic. magna cùm fiducia animi dicentem, læua eius sub capite. Transcendit enim beata Anima incarnationem Christi, & humanitatem, quæ nimirum læua eius iure vocatur, vt diuinitatem eius, & maiestatem, quam non incongruè dexteram appellat sublimius, ac suauius contempletur.* Demum antiquus, & doctus Origenes, Homil. duodecima in D. Matthæ. illa verba explanans. *Dic vt sedeant duo Filij mei vnus ad dexteram, & alter ad sinistram*

nistram in Regno tuo, censet Christi læuam Creaturas esse visibiles, & corporeas; dexteram verò inuisibiles, & spiritales, inquit enim: *Et quid est sedere ad dexteram Iesu, & sinistram in regno eius, nisi quam cum Christus in omnibus Creaturis regnet, per eius dexteram intelligere possumus inuisibilem Creaturam, & spiritalem, per sinistram uerò uisibilem, & corpoream: nam quidam ex ijs, qui Christo appropinquant ipsius dexteram sortiuntur, & alij sinistram, hi sunt qui res temporarias, ac sensiles amplectuntur; illi uero qui res intellectiles, ac spiritales quærunt*: Ego verò qui sponsam Ecclesiam prę eximio in Deum, & Proximum amore iã languentem proposui, illam quoq; in his verbis à sponsi Sodalibus, hoc est à beatis Mentibus, auxilium implorare arbitror, vt ipsis intercedentibus, Sponsus eius Christus, tàm lęua, quàm dextera sibi opem ferat, & vndiq; illam amplectendo foueat, & fouendo amplectetur, supponens nimirum sinistram ad consolationem, & imponens dexteram ad protectionem, ita vt Sponsi læua, Christi sit consolatio, dextera verò ipsius protectio, qua nos protegit, & consolatur in omni tribulatione nostra.

LEÇTIO XCVI.

Læua eius sub capite meo, & dextera illius ampl. me.



IN summã profectò delabimur difficultatẽ, si Persona quę loquitur in his verbis est Ecclesia Christi Sponsa; nam si caput ipsius Ecclesię Christus est, & totus Christus, vt scribit Apost. ad Ephe. cap. 1. qui fieri potest, vt lęua Christi manus sit sub ipso Christo? tunc enim Christi lęua, non Ecclesiam vniuersam, at seipsum dumtaxat, qui caput est Ecclesiæ, sustentaret, suiq; pręsidij liberalitate sustineret. Nisi dicamus per caput Christum, vniuersam designari Ecclesiam, quoniam, sicuti ex capite in vniuersum Animalis corpus per neruos, tamquàm per quosdam ductus manat omnis sensus, & motus, quibus etiam nexibus totum Corpus compaginatum, & coaptatum capiti cohęret; ita ex Christo Domino nostro in vniuersam Ecclesiam per fidem, & Charitatem, ceu per neruos quosdam, omnis sensus, & motus spiritalis deriuatur, & iisdem veluti nexibus compaginata, coaptataq; Ecclesia capiti suo Christo indiuiduè cohęret: quare dum Sponsa Ecclesia dicit, leuam Christi manum esse sub eius capite Christo, idem est ac si per synecdochem dixisset, eam existere sub vniuersa Ecclesia, vt eam præ amore languentem

guentem sustineat. Verum, audite rem omni attentione dignam: Caput in Scripturis sanctis pro varijs sanè rebus symbolicè vsurpari solet, & primùm, cùm Dei caput legimus, qui quidem ceu purissimus actus, ac simplicissimus omnis materiæ, omnisq; potentiæ tàm Physicæ, quàm Metaphysicæ expers, omni corporeo membro caret, diuinam ipsius essentiam figuratè intelligere debemus, cui sicuti omnia membra capiti vniuersa, quæ sunt in rerum creatarum ambitu subijciuntur. Nec me fugit humanam etiam Mentem sub capitis appellatione exprimi, vt astruit D.Greg.tû lib. 2.Mor.cap.38.illud Iob.cap, 1. exponens. *Et tonso capite Deum adorauit*, quò loci ait, *Caput est Mens ipsa, & caput tondere est cogitationes superfluas, quæ per capillos intelliguntur, à Mente resecare*, tùm lib.5.Mor.cap.21. dum illud Iacob Gen.cap.28. interpretatur, qui dum iter faceret, super lapidem posito capite, dormiuit, inquit enim Doctor Sanctus: *Caput quippe in lapide ponere, est Mente inhærere Christo, qui lapis est*: Nec non primam peccati suggestionem per caput Serpentis intelligi posse habemus apud D.Aug. super Psal 90. aientem: *Caput Serpentis est prima peccati suggestio, si igitur venerit tibi in mentem aliquod illicitum, noli tu ibi tenere mentem tuam, noli consentire, sed caput calca, hoc est ipsam peccati suggestionem contemne*; Verùm præcipuè Christus ab Apost.Paulo varijs in locis vniuersæ Ecclesiæ caput appellatur, vt Collos.cap. 2. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, namq; membra eius*, Vt Ephes.cap.1. *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est Corpus eius*; & cap.4. *Charitate crescamus in illo, qui est caput Christus*; & cap. 5. *Vir caput est Mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ*. Etenim in ipso, & ab ipso replentur omnes sensus interioris hominis, quinimmò & Ratio ipsa, & Intellectus, cùm nec ad opus aliquod moueri possimus, nisi ipso præstante, qui ait, D.Ioan.cap.15. *Sine me nihil potestis facere*. Et certè, sicuti abscisso capite, nihil quod in trunco remanet, aliquid operari potest; ita recedente Christo ab Ecclesia Dei, omnis eius operatio, & motus, qui ad vitam spectat spiritalem, iam esse desinit: Possumus etiam, & iure quidem optimo asseuerare D. Petrum Apostolorũ Principem, & primum Christi Vicarium vniuersæ Ecclesiæ caput esse, vt omnes Orthodoxi Patres tàm Græci, quàm Latini in omnibus ab ipsius Ecclesiæ exordio Sæculis non solum fateantur, verùm etiam profitentur, & potissimum Irenæus, lib. 3. aduersus Hæreses cap. 3. D. Cyrill. Alex. in lib. Thesauri. D. Ioan. Chris. suis in comm. super D. Matth. capit. 16. & Theophil. super D. Lucam cap. 22. Rursus D. Cyprianus in Epist prima ad Cornelium Papam, D. Hier. in Epist. quàm scribit ad Damas. Papam, D. Ambros. in lib. de de excessu fratris sui, cap. 7. & serm. 40. de fide Petri, D. Augustin. contra Epist. Manich. cap. 4. & in Epist. 62. ad

Glorium,

Glorium, & Eusimum scripta, & D. Greg. lib. 4. registri cap. 32. Necnō hoc idem asserit Anacletus in Epist. prima de oppressione Episcoporū, Xistus primus, & Eleutherius ad Ecclesias scribentes Gallicanas, Pius primus in Epist. ad omnes Ecclesias, Victor in Epist. ad Theoph. Zephirinus in Epist. ad Episcopos Sicilianos, & Melchiades ad Hispaniarum Episcopos. Demum idem confirmatur in Concilio Niceno, in Cōc. Calcedon. in quinta Synodo generali Constantinopolitano; in Conc. Lugd. sub Greg. celebrato; adhùc in Conc. Lugd. sub Inno. III. & in Conc. Flor. sub Eugē. IIII. cuius hæc sunt Verba, *Diffinimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem successorē esse beati Petri, principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput.* Quare improbandi sunt Caluinistæ, Oecolampadistę, Zuinglijstæ, Buceristæ, Lutheranistæ, ac cęteri huiusmodi Hæretici ab impio Luthero originem trahentes, qui lingua blasphema contrarium asseuerare ausi sūt. Neq; ob id sequitur vt Christus vnigenitus Dei Filius verus Deus, & verus Homo ipsius Ecclesiæ, tàm militantis, vt inquiunt, quàm triumphantis caput esse nequeat, nam D. Petrus, sicuti est Christi Vicarius, ita Christi loco, & post Christum Ecclesię militantis est caput. Ego tam in verbis pro Ecclesiæ sponsę capite sub quo est Sponsi Christi læua, tùm D. Petrum, & quemlibet Christi Vicarium, tùm ipsummet Christi Vicarium, tùm ipsummet Christum mysticè intelligi posse opinor; nā si priori modo Ecclesię caput, pro Christi Vicario cæterisq; Ecclesię prę latus accipiatur, tunc Sponsi læua Christi est consolatio, qua Ecclesiæ languentis Prælatos in omni tribulatione, qua ipsi affliguntur pro amore Christi & proximi Christus ipse consolatur: dextera verò Sponsi Christi protectio est, qua ipsius Ecclesiæ filios, & vt ita dicam subditos, ne veluti infirmi languentes, afflictioni bus succumbant, & tentationibus, ipse Christus protegit, & tuetur; quoniam Prælati ceu perfecti sola egent in eorum angustiis Christi consolatione, at subditi, veluti infirmi & debiles præsidio quoque opus habent, atquè protectione, & ob id læua Christi, quæ est ipsius erga nos consolatio, est sub capite Sponsæ, qui sunt Prælati; & ipsius dextera, quæ est Christi protectio, amplectitur Sponsam Ecclesiam, quę sunt cætera huius mystici Corporis membra. At si posteriori modo Ecclesiæ Sponsæ caput pro ipsomet Christo, & toto Christo intelligatur, tūc Sponsi læua vitam hanc temporariam designat, & hæc momentanea dona; vti sunt honores, Diuitiæ, bona corporis valetudo, & alia id genus, quibus à Deo opt. max. in hac mortali vita donamur; dextera vero cęlestia bona figurat, æternamq; fælicitatem, quam in cælesti regno consequemur, & tunc horum verborū sensus huiusmodi erit, vt omnia hęc caduca, & temporaria dona, sint sub ipso

Chri-

Christo capite nostro, ipsiusq; pedibus veluti vilia subijciantur, dum ipsius, Proximiq; amore languemus; & hoc pacto cęlesti gloria, æternaque vita, quæ est eius dextera in illo beato Regno donabimur. Audite ipsam Sponsam Ecclesiam ita docentem, læua, læua Christi sit sub ipso Christo, non supra Christum, & ita ipsius dextera amplexabitur me: Et sanè, vt astruit D. Aug. primo libro de Serm. Dom. in monte cap. 10 *Fatui sunt iudicandi ac dementes, qui temporalium Bonorum, vel copiã sectantes, vel inopiam metuentes, amittunt æterna, quæ nec dari possunt ab hominibus, nec auferri.* Verùm vtro modo aptior sit, & congruētior mystica hæc explicatio, vos ipsi, Domini mei, qui solertes, igeniosiq; estis, Iudices sitis. Et de his hactenus.

LECTIO LXXXVI.

Adiuro vos Filiæ Hierusalem, per Capreas Ceruosq; camporum.



HÆc est quinta pars, & postrema huius secundi Cantici canticorum, atq; vox est sponsi, qui cum sponsæ pedissequis sermonem facit, quas filias Hierusalem appellans, pastorũ instar & venatorum, per Capreas, Ceruosque camporum adiurat, quibus ipsæ filiæ quàm maximè oblectantur, ita censent D. Greg. D. Bern. D. Tho. Doctus Haym. Hugo Card. Ægid. Rom. Iacob. Val. Alph. Aug. & Gilb. Genebrardus: Neq; enim sponsus affatur hinc ęmulas sponsę & inimicas, vt opinatus est Cosmas Dam. quandoquidem inimicos non adiurare, sed illis potius iubere & minari solemus: Imò verò neq; persona, quę loquitur sponsa est, vt voluerũt Orig. & D. Hier. inquientes sponsam suas hic alloqui adolescentulas, illas prouocantē, & adiurantē per ea quę ipsis cara esse nouit. Illud sanè verum est, hos duos antiquos interpretes, alio modo, ac nos in versione nostra habemus, hæc verba legere (nimirum) *Adiuraui vos filiæ Hierusalem in virtutibus agri, si eleuaueritis, & suscitaueritis charitatem quoadusq; velit*; Ita vt horum verborum sensus sicuti placet Orig. ac D. Hier. sit huiusmodi, cùm sponsæ, suum sponsum verè amantis, hæc sit perfectio, vt à nemine velit fieri quicquam contra sponsi, quem diligit, voluntatem; idcirco suas hinc affatur adolescentulas, prouocãs eas, & exhortãs; imò verò & adiurans per ea quę illis cara esse nouit, vt si fortè eleuare cęperint charitatem iacentem in eis, aut illam excitare adhùc dormientem apud eas, in tantum eleuent illam, & suscitent, in quantum volue-

voluerit ſponſus, nec minus aliquid agant in eam, quàm voluntas ipſius ſponſi patiatur, cuius ſemper voluntati parere ſponſa parata eſt: At longè melius (vt opinor ego) illi exponunt, qui ſponſum cum ſponſæ pediſſequis hìc loquentem inducunt, inquientes, poſtquam ſponſa in Cellam vinariam ſe inductam fuiſſe ſuis coram adoleſcentulis nunciauit, ibiq; charitatis modum, & ordinem à ſponſo ſe edoctam fuiſſe dixit, ita vt prę eximia dilectione languens, & lęua ſponſi ſub capite, & dexterę illius amplexu opus habuerit, vt ſuſtineretur, tunc ſponſus tàm magni ſuæ ſponſæ languoris miſertus illam ex deliquio reſtitutam, in eiusq; ſinu quieſcentem, ne labaſcens decideret, dextera amplectens, & læua ipſius caput ſuſtentans, adoleſcentulis ſub graui (vt ita dicam) adiuratione interdicit omnem tumultum, & omne, quod eius quietem impedire poſſet, nè ipſa ſponſa excitetur a ſomno, niſi cum ipſa voluerit, audite: *Adiuro vos filiæ Hieruſalem per Capreas, &c.* Quare & dramatis ordo mutatur, & noua hinc efficitur ſcena: etenim ſponſa tacente, in ſinuq; ſponſi quieſcente, inducitur ſponſus ſponſæ pediſſequas alloquens & adiurans. Id autem vt luce clarius fiat, iam videamus quid per filias Hieruſalem, quid per capreas, quiduè per ceruos camporum à Salomone Propheta hic myſticè intelligatur: & quod primum ad filias Hieruſalem ſpectat, nonnulli ſunt ex recentioribus interpretibus, vt Coſmas Damia. qui volunt has filias eſſe Iudæos, Scribas, & Phariſæos, ciues Hieroſolymitanos & filios terrenę Hieruſalem: Alij verò vt Alphóſus Aug. opinantur has filias Hieruſalem eſſe tàm populum Iſraeliticum, quàm Eccleſias omnes particulares, id eſt Eccleſię tàm veteris, quàm nouę filias.

Quidam rurſus vt D. Greg. per huiuſmodi filias ſatis benè cenſent, intelligi poſſe Chriſti fideles carni obſequentes, qui ſunt in Eccleſia Dei, & hi congruè nõ filij, ſed filiæ nominantur, quia dum mores effęminatos nutriunt (virili dignitate amiſſa) quales interius habentur, tales etiam exterius nomine fœmineo deſignantur. At reliqui omnes dicunt, has filias Hieroſolymitanas eſſe Chriſti fideles incipientes, ac proficientes, de plebe tamen (vt ſub pręlatorum poteſtate conſtituti ſunt) quorum pericula ipſorum ſuperiorum Eccleſięque prælatorum ſolicitudinem requirunt: Quod verò ſpectat ad Capreas, Ceruosq; camporum, per quos ſponſus filias Hieruſalem ſuæ ſponſę pediſſequas adiurat, Origin. & D. Hier. vt ab antiquioribus exordiar, qui non *per Capreas, & Ceruos camporum*, ſed *per uirtutes, & uires agri*, aut vt verterunt ſeptuaginta, *per exercitus & robora campi*, ſponſum filias Hieruſalem adiurantem inducunt, inquiunt has eſſe virtutes cæleſtes, & vires ſpiritualium gratiarum, quæ ſunt in agro, hoc eſt in exercitio fidei Orthodoxæ, & Chriſtia-

næ

næ conuersationis. Huic autem explicationi fauent D. Bernar. Gilbert Geneb. & Cosinas Dam. quippe qui (etsi legunt per Capras Ceruosq; camporum) hos tamen esse volunt beatos animos corporibus exutos, & Angelos sanctos, qui cùm Deo sunt, tùm propter acumen visus, tùm propter saltus celeritatem, quibus excellentijs hęc animalia præstant, & satis congruè beatis spiritibus conueniunt, qui facilè summa petunt & intima penetrant, maximeq; liberos atquè expeditos in contemplationis agro discursus habent, vt ob miram ipsorum velocitatem, in psal. 17. pẽnæ ventorũ nuncupentur, celeres. n. sunt, & sequũtur agnũ quòcunq; ierit. At Hugo Card. & Ægid. Ro. exponũt per Capreas Ceruosq; cãporũ Ecclesię platos atq; doctores, in qbus Ecclesia spõsa cõtẽplando quiescit quod ex nõnullis horũ animãtiũ proprietatibus cõfirmant, nã capreæ visum habent perspicacem, ardua pascua quęrunt, viridiores herbas comedunt, ruminant, & vngulam findunt; sicuti & Doctores Sancti summam intellectus perspicacitatem habere debent, vt spiritalia mysteria inuestigent, adhùc arduas Sacrarum Scripturarum veritates, quibus ipsi pascuntur, omni cùm diligentia quærunt, meliores quoque sententias, & vtiliores sibi eligunt, vt illas cùm fructu auditoribus prædicent; necnon meditando ruminant, & demum quid bonum, quiduè malum sit animo discernentes, vngulam findunt: Cerui autem cùm tempus amandi aduenit, patrios agros linquunt, flumina tranantes, se inuicem (capite supposito) clunibus sustentant, miro ordine incedunt, primus fert, & vltimus fertur, ille postquàm satis ex pondere fatigatus est, quiescit, & iste mox graui oneri succedit; adhùc cerui, canibus ipsos insequẽtibus, cornibus dorso impositis, per dumæta illesi incedunt, caligantibus oculis, ac se nescientibus, serpentes comedunt, cursuq; ad fontes properantes visum recipiunt, floridamq; ætatem, prętcrea saltu magis, quàm passu incedentes (loca spinis etiam ac vepribus septa transiliunt, & nihil deniq; durum, nisi cornua extrinsecus habent. Ita quoquè Ecclesiæ Dei prælati ob Christi amorem res proprias, & familiares linquere debent, alter alterius onera mutuò portare, huius mundi delicias cõtemnentes transire, in omnibus operibus ordine quodam procedere, supremam dominij auctoritatem, dum à detractoribus maledictis affliguntur, tolerantię dorso humiles imponere, & hoc pacto huius vitæ metam illęsi transilire; in seipsis, populisq; sibi subiectis (hoc est dęmonem, deuorare) est protinus ad diuinæ sapientię fontes properantes, aquam ibi suauissimam bibere licq; interiorem animi visum creatorum caligine obscuratum recuperare, & culpæ vetustate deposita, in Dei gratiam renouari. Item non breui passu, vt saltu mentisque eleuatione in Deum, diruta superbię, spinosa auaritię, & lutulenta luxurię loca per transire,

transire, & demum nusquam nisi in cornibus, hoc est in dignitatis potestate animi duritiam habere debent. Preterea Lyranus, & Iacobus Valentinus per Capreas, Ceruosq́ camporum, Patriarchas, & Prophetas Sanctos figuratè exprimi posse opinantur, qui in veteri lege, Christi aduentum in carnem Israhelitis prædixere, cuius opinionis hanc rationem reddunt; Patriarchę dicuntur Caprę, eò quòd omnes pastores extiterunt, & Prophetę nuncupantur Cerui, propter horum animaliū, in cursu, celeritatem, quàm in Sacris mysterijs dignoscendis habent Prophetę: Tandem Greg. sanctus, D. Thom. & doctus Haymon volūt hæc bruta animantia, quæ tamen sunt munda animalia, inimica serpentibus, & venenis, sanctorum virtutes, & pręsertim Theologicas Fidem, Spem, & Charitatem Symbolicè designare, quæ videlicet virtutes, & mundicia Spiritali refulgent, & diabolicę fraudis venena non solum cauent, sed insectantur etiam & in nihilum redigunt; imò verò per easdem, quas mundus iri nobis ipsis sernamus, duos diuinæ contemplationis montes, summa celeritate conscendimus: Quapropter sicuti res varię per Capreas, Ceruosq; camporum, à variis interpretibus mysticè exponuntur, hactusq; audistis, ita varię horum verborum allegoricæ explicationes ab ipsis proponuntur, vt infrà (Deo benè fouente) vobis ostendemus.

LECTIO XCVIII.

Nè suscitetis, neq́ euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.


Vdiuimus in præcedenti sermone sponsum suę sponsę pedissequas, pastorum instar & venatorum per Capreas Ceruosq; camporum adiurantem; Verùm qua de re illas adiurauit hùcusquè non intelleximus, at in præsentia id ex his verbis colligimus, nimirum nè sponsam præ nimio amore languentem, in eiusq; sinu suaui somno detentam suscitent, aut euigilare faciant, donec ipsa velit, quàmquàm Origines, & D. Hier. vnà cum septuaginta interpretibus idipsum alio modo declarant, nam isti sic legunt: *Si eleuaueritis, & suscitaueritis charitatem, quoadusq; velit*: Et ob id etiam inquiunt, sponsam suas adiurare adolescentulas, vt si fortè eleuare cæperint, & excitare Charitatem iacentem in eis, & dormientem, eam in tantum eleuent, atquè excitent, inquantum voluerit sponsus; ita vt huiusmodi verba non sint sponsi de sponsa, vt cęteri volunt expli-

explicatores, at ſponſę de Charitate apud eius adoleſcentulas dormiente, nè illam de ſomno excitent, donec ſponſus velit: Nos tamen cùm cęteris interpretibus non ſponſam de charitate, at ſpōſum de ſponſa loqui eiuſq; adoleſcentulas adiurare opinamur, & ita legimus: *Ne ſuſcitetis, neque euigilare facietis dilectam, donec ipſa velit:* Niſi cum Gilberto Genebr. dicere velimus, ab iſtis charitam ſumi pro dilecta, ſponſaque amica per auxeſin; Verùm tamen quicquid de hac re ſit; Illud ſanè verum eſt, non omnes interpretes, eamdem horum verborum myſticam proponere expoſitionem; & primum Orig. & D. Hier. ita explanant; Eccleſia adiurat animas incipientium, filias ſuperioris Hieruſalem, per virtutes cęleſtes, & vires ſpiritalium gratiarum, quę ſunt in agro, hoc eſt in exercitio Eccleſiaſticę fidei, Chriſtianę conuerſationis, vt non eleuent, & excitent Chriſti charitatem, in illis iacentem, ac ſi dicat Eccleſia ſponſa, ò animę filiæ cœleſtis Hieruſalem, quę fidei habetis initia, ſi ad hoc veneritis, & tali pacto profeceritis, vt perfecta in vobis charitas mittat foris timorem, adiuro vos per Beatos Spiritus, cęleſt ſque virtutes, vt illam in uobis tàmdiu eleuatis, & excitatis, quàmdiu ipſe ſponſus, charitatis filius velit, ſeu quāmdiu ipſe Sponſus Chriſtus, qui charitas eſt, id permittat, nè fortè putantes vos humanæ charitatis menſuram ſufficere in claritate Dei, minus aliquid agatis, quàm Deo dignum ſit; menſura etenim diuinæ charitatis hæc eſt, vt tantùm diligatur, quantùm ipſe Deus velit, hoc eſt ſemper maximè cum Dei voluntas ſemper eadem ſit, nec unquàm mutetur. Verum D. Greg. non allegoricè de anima iuſti ſic interpretatur; quoniam carnales homines, qui ſunt in Eccleſia Dei, iuſti viri animam Chriſt ſponſam a cunctis huius mūdi perturbationibus quieſcentem, in ſinuq; Sponſi Chriſti (ſopitis terrenis cupiditatibus, dormientem, vt in huiuſmodi ſancto ocio neceſſaria quoque colloquia aliquando faſtidiat, ſoliuſq; ſponſi Chriſti ſermonibus, quantò quietius, tantò ſerenius hilareſcat, nonnunquàm importunè excitant, eamq; mundi negocijs implicare deſiderant; quoniam ipſius vitam inutilem putant, dum ab eorum curis illam ſe abſtinentem conſiderant; Idcirco hi carnales homines, ſub filiarum Hieruſalem appellatione, dilectam ſuſcitare, a ſponſo ſub adiurationis pondere prohibentur, nè videlicet iuſti uiri animam, quę ad uacandum Deo ſe accingit, ſoliſq; ſpiritalibus ſtudijs inhęrere cōcupiſcit, importunis ſolicitudinibus perturbent, & terrenarum curarū tenebris, ipſius cordis oculum obnubilent; ſed quando ipſa ſuſcitari debeat, Sponſe Chriſti volūtatem requirant: Necnon D. Thom. & Haymon de iuſti hominis anima, hęc uerba pariter exponentes, Sponſum Chriſtum ita loquentem inducunt, O animę ęternis deſiderijs intentę, paciſq; uiſio-
nem

nem requirentes, adiuro vos, ne quiescentem, animam scilicet diuinę cõtemplationi vacantem, & orationibus, sacrisq; lectionibus occupatã, suscitare velitis, & ad extranea opera eam excitare, donec contemplationis tempore expleto, eiusq; corporis imbecillitate admonente, ipsamet ab interioris quietis somno, suscitari velit, & ad res temporarias per agẽdas exire: Rursus D. Bern. sic exponit, Christus sponsus vehementer zelans pro quiete Ecclesię sponsę, quam inter eius brachia dormientẽ, hoc est in suauissimam extasim, altissimamq; rerũ cęlestiũ contemplationem elatam, quiescentem solicitus seruat, nè qua forte molestia, aut solicitudine, ab huiusmodi somno, sanctoque ocio ipsa perturbetur, adiurat incipientes, ac proficientes animas, Christi fideles, quæ filię Hierusalem nũcupantur, cùm adhuc molles, & delicatæ, quasi fœmineis affectibus sint infirmæ, illasq; adiurat per beatos spiritus, angelicasq; virtutes, vt horũ auctoritate perterritæ, sponsam Ecclesiam, hoc est Christi fideles perfectos, non perturbent, ab ipsorumq; beatorum mentium societate non reuocent; cui absq; dubio toties sponsa Ecclesia admiscetur, quoties contẽplationi vacãs, si nõ vita, vitę saltem sensibus excedit, & quoniam nouit Christus sponsus, quanta Ecclesia sponsa charitate flagret, in eius volũtate ponit vt quatenus ipsa oportere iudicauerit, eatenus rerum cælestiũ cõtemplationi vacet. Præterea Hugo Card. hoc pacto explanat, ò subditorũ plebes in Christi fidẽ genitæ, ob amorem quo vos Ecclesię doctores, & pręlatos prosequimini, adiuro vos & obtestor, nè vestrorũ erratorũ & litium exigentia, spõsam Ecclesiam, seu perfectos fideles in sinu meo quiescentes, diuinęq; contemplationi vacantes excitetis, donec sponte pro fideliũ inferiorum vtilitate ipsimet à somno cõtemplationis, ad agrũ actionis egrediantur, nimirũ nihil (obsecro uos) faciatis, propter qđ illos oporteat diuinę contẽplationis quietem relinquere, & actiuę vitæ operam nauare, ægritudinibus erratorũ vestrorum medentes, & sacramentorum medicamenta illis adhibentes. Adhùc Iacob. Valent. diuersam a cęteris omnibus expositoribus mysticam expositionẽ proponẽs, sponsum Christũ ita loquentem introducit (o animę fideles, ego vos adiuro per Patriarchas, & Prophetas, vt nemo vestrum existimet, me postquã naturã humanam ad diuini suppositi vnionem assumpti, & Ecclesiã sponsã per fidẽ & gratiam mihi desponsaui, aut istam, aut illã aliquãdo dimissurũ, cũ quod semel assumpsi, nunquã dimittam; licet. n. à Tyrannis, ab hæreticis, alijsq; Christiani nominis inimicis ipsam affligi, & diris cruciatibus tentari nonnunquã permittam, de eorũ tamẽ manibus illam semper eripiã, & vsque in extremi iudicij diẽ protegam, vt gloriosè demũ populis omnibus dominetur, in cęlestiq; regno beata triumphet. Et quoniã quis obijcere potuisset, sponsum Christum in his postremis verbis *donec ipsa*

KK *uelit,*

uelit, aliquo modo innuere, huiusmodi vnionem, aut hypoftaticā cum natura humana, aut myfticā cū Ecclefia Dei, aliquando diffoluendā fore, idcirco fatis huic facit dubitationi ipfemet Iacobus inquiens pro æternitate tēpus indefinitū fumi, ficuti in fcripturis fanctis plerumq; fieri folet; neq; enim hyftoftaticę vnionis vinculū unquā diffoluetur, nec myfticę cōiunctionis nodus vnquā refcindetur, at hoc Chriftus, & Ecclefia, & illo Chriftus & natura humana perpetuò coniuncti manebunt, tùm in terris per gratiā, tùm in cęlo per gloriā. Item Cofmas Dam. ita interpretatur, Sponfus Chriftus per Angelos tutelares adiurat Synagogā, feu Iudęos, fcribas, & Pharifeos Ciues & filios terrenę hierufalē, nè fpōsā Ecclefiam hoc eft eius fideles electos vllo modo perturbent, vllāuè illis iniuriā inferant, dū in orationē intenti, & mente in Deū elata, quafi fuauem capiunt fomnū, ad munufq; euangelicum fe ipfos parantes, promifsū expectant accipere Spiritū fanctū, vt illo deinde recepto, ad Euangelicę prędicationis opus fumma animi cū lætitia accedant, alioqui tutelares Angelos in fe ipfos irritabunt Iudęi, eorumq; impietatis vltores illos experientur quales olim experti fuerunt Reges & populi Cananęi; quandoquidē fpiritus illi beati, cū patris cęleftis faciem femper videant, indignè admodū, & grauiter ferunt humiles, & pios homines eorū tutelæ cōmiffos, à potētioribus & impijs offendi, aut aliquā iniuriā pati amplius. Idē ferè aftruit Alphonfus Aug. in hoc vno à Cofma Dam. diffentiens, ꝙ Cofmas per filias Hierufalem Ecclefię ęmulas hoc eft Synagogā & Iudęos itelligit: Alphonfus verò tàm populū Ifraeliticū interpretatur, quam fingulas totius Chriftiani orbis Ecclefias particulares; inquit igitur ifte vir, fpōfus Chriftus in his verbis cū filiabus Hierufalē, quæ funt populus Ifraeliticus, & oēs Ecclefiæ orbis terrarū, verba facit, quibus imprecatur duriffimam ferarum mortē, quā capreæ ceruiq; camporū a venatoribus patiūtur, a quibus circūmfepti, & capti occiduntur, fi rebellione a S. Matre Ecclefia facta, fufcitauerint eā, aut aliquo modo calumnias illi parauerint, donec ipfa velit, quod eft femper, ad extremū vfque iudicij diē, quo fponfus Chriftus in fede maieftatis fuæ viuos & mortuos iudicaturus aduenerit. Ego verò, etfi rē difficilē effe opinor, germanam & fatis benè cū dictis congruentem, horū verborū myfticā expofitionem inuenire, illā tamen quā D. Ber. fer. 52. proponit cæteris aijs, & probabiliorē, & cum dictis magis quadrantē libenter approbo & amplector: etenim fponfa Ecclefia, vtpote quæ eximio in Deum & proximum amore languet, Chrifti fponfi lęuā, q̄ eft diuina confolatio, fub capite habens, & eius dextera quę eft Dei protectio defenfa, iam iā in eius finu quiefcebat, & quafi quodā omnium laborū folicitudinumq; perfugio fuaui fomno, fanctoq; ocio fruebatur, diuinorū myfteriorum contemplationi vacans, cæleftibus arcanis, vt in

verbis

verbis proximè precedentibus explicauimus, quod quidẽ: sponsus Christus animaduertens, & quanta illi sit cura, de hoc suæ sponsæ Ecclesiæ sãcto ocio declarans, ipsemet vigilat, vt sponsa sine strepitu dormiat, & idcirco adolescẽtulas ipsius sponsæ pedissequas adiurat, ne illã excitẽt, aut euigilare faciant, donec ipsa velit, vt vnà cùm D. Ber. paulo superius exposuimus: ò somnũ mirabilem, ò suauẽ soporẽ, quẽ exstasim ego dicã, an mortẽ? & extasim dicã & mortẽ; extasis quidẽ est, quã D. Paul. aliquando passus, tunc raptus est vsq; in tertium cęlũ, vbi *vidit arcana Dei, quæ nõ licet homini loqui*; At mors etiã est, de qua idẽ Apost. Coll. c. 3 dixit: *Mortui estis, & vita uestra abscondita est cũ Christo in Deo*, quinimò D. Bern. in hoc loco huiusmodi morte suauissima frequenter mori desiderãs inquiebat: *Vtinam hac morte ego sæpe cadã, ut mortis laqueos euadã, uiteq; præsentis blãdimẽta non sentiã*, Hinc auditores colligatis vos mirã Christi spõsi ergà sponsã Ecclesiã charitatẽ, quã materno etiã affectu diligẽs, illius se custodẽ vocat, & facit, velut matres, quæ suos infantes in cunis nè excitẽtur à somno, custodire solent: audite obsecro vos, & summa animi attentione audite sponsum inquientem: *Adiuro uos filiæ Hierusalem per Capreas Ceruosq; camporum, nẽ suscitetis dilectam, donec ipsa uelit.*

LECTIO XCVI.

Adiuro vos per Capreas Ceruosq; camporum.



Xpeditis, quæ tũ ad huius literæ sensũ, tũ ad ipsius spirit⁹ mysteria spectare videbãtur, nõnulla de caprea ceruoq; & illa quidẽ scitu digna, vobis aperire libet: Primũ antẽ animaduerto (hoc inter caprã) & capreã discrimẽ intercedere, q caprea animal syluestre est, nõ solum vidẽs acerrimèq; perspiciẽs, sed aliis etiã visum præbens; capra verò animal est domesticũ, & ita vocatur quasi carpa, quoniã virgulta carpit, aut potius à crurum crepitu; at hìc de caprea nobis loquẽdum est unà cũ Propheta Salomone, qui spõsum, ut audistis, per capreas, ceruosq; cãporum filias Hier. adiurãtem inducit: Verum de ceruo in primis, vt potè de animali nobiliori aliquid dicam⁹; etenim animal est, quẽadmodũ & capra auditu maximè pollẽs, & summã audiendi, obediẽdiuè celeritatẽ figuratè designat, qua nobis impetrãtibus parere parati sumus, & hac de causa fortè fortuna spõsus p vtrumq; animal, spõsæ pedissequas, ut sibi obediãt, adiurat, nè illã excitẽt, aut euigilare faciã[t d]onec ipsa velit; Nec nõ vehementissimi desido-

rij iudicium esse ceruũ ad aquę fontẽ celeri cursu properãtẽ diuinę literę indicant, dum in Psal. 41. Prophetã canẽtem proponunt: *Quemadmodũ desiderat ceruus ad fontes aquarũ, ita desiderat anima mea ad te Deus: Quã* quã me nõ fugit ceruum timoris etiã & formidinis signũ esse, inde apud Comicos inoleuit, vt fugitiui (quod omnino timidorũ est) cerui appellarentur, & Achilles apud Homerũ Agamemnoni ignauiã obiiciẽs, ceruino corde pditũ illũ obiurgat. Verũntamẽ sub cerui appellatione multa, & illa quidẽ pulcha mysticẽ exprimuntur; Vt n. in superioribus lectionibus, ex varijs interpretibus adnotauimus, cũ Angeli beati, & sanctæ aię corporibus exutæ, quæ triũphant in cęlo, tũ prophetæ, magistri, & doctores, tùm etiã spiritales virtutes, ac Theologicæ ceruorũ nomine symbolicẽ designantur: Præter hæc autẽ ex lib. 2. D. Hier. in Abacuc Prophetã prope finem colligimus, Apostolos etiã, & Apostolicos uiros per ceruos allegoricẽ significari, de quibus à propheta dicitur in psal. 28. *Vox domini præparantis ceruos*; quod idẽ Greg. San. lib. 30. Mor. ca. 16. asseuerans ait: *Magistri atquè doctores cerui uocati sunt, qui interemptis vitijs, quasi extinctis serpentibus, uenenum bibunt, & ob huiusmodi uitiorum extinctionem, ad uitæ fontẽ uerius inardescunt:* Amplius vt placet D. Aug. super Ps. 41. ceruo assimilatur homo, quẽ suorũ pœniteat scelerũ, & quorũ veniã vt à Deo obtineat, ad ipsũ confugere toto corde se paratum ostendit: Etenim cũ ceruus sit annimal innoxium, celeris cursus, & serpentes naribus trahat, ut uorauerit, ueneno æstuante, protinus ad aquarũ fontẽ, quanta potest celeritate, festinat, quippe qui aqua dulci, lucidaq; satiari cupit, huius certẽ decora cõparatio, nostrũ summopere instigat desideriũ, ut quãdo antiqui serpentis uenena haurimus, eiusq; facibus æstuamus, ad fontẽ diuinæ misericordiæ illico properemus, quatenus quod peccati aduersitate constrahitur, dulcis aquæ puritate uincatur; sed quid plura? ipsemet Christus ceruus symbolicẽ nuncupari potest, ut asserit Origines hom. 2. super Cant. illud explicans quod Cant. c. 2. habetur, nimirũ *similis est fratruelis meus capreæ, hinnuloque ceruorũ*, inquit enim suis in commentarijs: *Et forsitan Saluator meus caprea sit iuxta Theoriam, & ceruus iuxta opera; & quænam sunt ista opera? interficit ipse serpentes, contrariasq; fortitudines iugulat, ut dicitur de eo in Psal. 73. Tu contriuisti capita draconis, tu contribulasti capita draconũ in aquis:* Verum de caprea quoquè nonnulla nunc di[illegible] libe[illegible] A[illegible] primis apud D. Greg. super Cant. c. 2. illa sponsę uerba interpretant[illegible]m: *Reuertere, & similis esto dilecte mi capræ super montes Bethel.* Ita legimus, ipsius capreæ nomine Ecclesiam designari, quemadmodum enim caprea mundum est animal, & ardua pècit, ita Dei Ecclesia, dum in cælestibus men[illegible]abitat, quasi in montibus pascitur; super montes igitur Bethel similis capreę, hinuloque

ceruo-

Ceruorum Dominus noster apparebit; quoniam in illa humanæ naturę forma ad iudicium veniet, quam ab Ecclesia assumpsit, quando in hoc mundo ex antiquorum patrum progenie, quasi hinnulus ex Ceruis natus est. Nec me fugit eundem doctorem sanctum ibidem asseuerare Capream figuratè exprimere Synagogam, & hinnulos ipsius filios designare Iudæos, nam inquit: *Similis capreæ benè dicitur esse sponsus, quia ex synagoga Christi carnem sumpsit, & quasi hinnulus ceruorum esse perhibetur, quoniam ex antiquorum patrum stirpe progenitus est*; Ita vt capreę nomine Synagoga, Sponsi Christi mater secundum carnem Symbolicè intelligatur, sicuti sub ceruorũ appellatione, antiqui patres Iudæi, a quibus ipse trahit originem carnis, mysticè exprimuntur. Veruntamen quicquid sit, illud sanè verùm est, per Capreas, & Ceruos in hoc loco beatos spiritus, angelicasque virtutes à Salomone Propheta significari, per quos fideles animas incipientes, ac proficientes Sponsus Christus adiurat, nè dormientem Ecclesiam Sponsam in eiusque sinu, per diuinam cælestium mysteriorum contemplationem quiescentem, vnquam excitent aut euigilare faciant, donec ipsa velit.

LECTIO C.

Nè suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.



VT extremam manum huic secundo Cantico tandem imponamus, quid in Scripturis sanctis somnus, quidue suauis soporis requies figuratè designet, explicare restat. Somnus igitur à Sacris patribus plurifariã accipi solet, nam aliquando per somnum ipsius corporis mors exprimitur vt ait Apost. 1. Epist. quam scribit ad Thes. cap. 4. sub his verbis: *Nolumus fratres vos ignorare de dormientibus*, hoc est de ijs, qui iàm hac vita functi sunt. Rursus accipit somnus quatenus negligẽtię torporẽ significat, quod idem Apost. docet 15. cap. post. Epist. ad Cor. scriptę, cùm inquit: *Fratres hora est iàm nos de somno surgere*: Nec non spiritalem mortem, qua impij homines in peccatis moriuntur somni nomine pręmonstrari legimus in Ps. 12. sub his verbis: *Ne fortè obdormiam in morte*: Et tandem somnus interiorem nostræ mentis quietem, uitamque Spiritalium hominum, quam vocant contemplatiuam, Symbolicè figurat, ut in Cantic. Canticor. tum capit. 8. vbi dicitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat*; tum capit. secundo, vt in hoc loco, vbi de sponsa sponsus

ait: *Adiuro vos ne suscitetis dilectam;* Etenim sancta mens quò magis à rerum terrenarum strepitu se comprimit, eo verius interiora cognoscit ad spiritum pertinentia; & tantò alacrius super hæc vigilat, quantò magis a rebus exterioribus se abscondit: Inde Greg. sanctus lib. 5. Mor. c. 21. illud Iob. cap. 4. exponens: *Quando solet sopor occupare homines*, aiebat: *Quisquis ea, quæ mundi sunt, agere appetit, quasi vigilat, quisquis uero interiorem mentis quietē quærens, huius mundi strepitū fugit, quasi obdormit*: & medius fidius Propheta Salomon in his verbis sub allegorica ipsius sponsæ somni, quietisque appellatione, de ipsius Ecclesiæ prælatorum vita (vt inquiunt) contemplatiua sermonem habet, de qua nonnulla dicere libet, quæ breuibus perstringere verbis enitar: Atquè vt hinc exordiar, excellens profectò est, & longè admirabilis vita contēplans; hęc enim omnium virtutum mater est vitiorum expultrix, miserorum solatium, bonorum mentium lætitia, mundi, ac terrenarum omnium rerum neglectio, & ardens cælestis amoris ignis; quo ad diuina intelligenda mysteria, quàmmaximè inflammamur; sicuti enim cibus in hac corporis nostri vita, qui naturali calore in stomacho non concoquitur, noxius nobis est, atquè inutilis; ita fidei nostræ mysteria in ipsius spiritus vitam, nihil nostris mentibus prosunt, nisi ardentis contēplationis calore perficiantur, mehercule nihil est vita contemplante præstantius, nihil amabilius, nihil diuturnius, nihilq; vtilius; nihil (inquā) ipsa pręstantius est, & magnificentius, quā tùm quæ optima sunt, eligun tur, cęlestia nimirum ac diuina, tùm ipsemet Deus opt. max. inspicitur, & amatur; Nihil adhùc contemplante vita amabilius est homini, ac iucundius, quippe qui rationis particeps, naturaq; scire desiderans, nihil suauius habet, quàm ipsammet veritatem contemplari, summamque bonitatem quę Deus est, amare, cuius delectatio incredibilis est, vt cecinit Dauid in Psal. 35. inquiens *Torrente voluptatis tuę potabis eos*; Rursus nihil ipsa est diuturnius, quę in hac vita non solum satis perfecta habetur, sed in Paradisu etiam quàmmaximè perfecta habetur, vbi nulli mutationi obnoxia, omnino immobilis perseuerat, vt aiebat Christus dominus noster apud D. Lucam cap. 10. *Maria optimam partem elegit, quę non auferetur ab ea*; Et demum nihil hac vtilius est, animorūque saluti magis proficuum; quàmuis enim vita agens, seu (vt appellant) actiua vtilior est, quatenus erratorum veniam per ipsam obtinemus, contemplans tamen (vt placet D. Tho. 3. lib. Sent. dist. 35. artic. 4. quæst. 2.) magis est salutaris, & proficua, vt vitam consequamur ęternam: Greg. sanctus suis in Comment. super Exechielem aiebat: *Magna sunt actiuæ vitæ merita, sed vitæ contemplatiuæ potiora*; Cuius rei rationem hanc reddit D. Tho. secunda secundæ, quæst. 182. artic. 2. nam si

maio-

maioris meriti est deligere Deum, quàm proximum, maioris quoque meriti erit in Dei dilectione versari, quod contemplatione consequimur, quàm in proximi manere beneuolētia, quod actione adipiscimur. Præterquàm quòd sicuti in hominis capite duo sunt oculi, sinister videlicet ac dexter, & iste illo perfectior est, & clarior; ita humanus animus duos quasi oculos spiritales habet, quorum alter intellectus contemplās est; alter verò intellectus, qui praxi seipsum exercet, isteq; sinister est, cuius est munus humana regere, & administrans, ille verò dexter, & longè præstantior, cuius est diuina inspicere, & meditari, quàm ob caussam opinor ego, vt cum duplex hęc vita apud D. Lucam ibidem, duabus cum sororibus a Christo Domino nostro comparetur, hoc est cum Maria Magdalena, & Martha, huic agens, illi autem contemplans vita attribuatur, quæ optimam partem sibi elegisse dicitur; quandoquidem Maria in sui ipsius spiritus domicilio dominum susceperat, vt illum tāquàm Deum contemplaretur, & Martha in domo terrena Christum receperat, vt tamquàm homini, extructa mensa, illi ministraret; Imò verò cùm gemina hæc vita, agens, & contemplans, per duas etiam Patriarchæ Iacob vxores, Liam, & Rachelem, mysticè figuretur, Lia quæ non nimis pulchra, lippos oculos habebat, agentem vitam designabat; Rachel autem, quæ pulcherrima erat, maximeq; decora, vitam contemplantem exprimebat: & quàmuis Lia fęcunda esset, & Rachel sterilis, hęc tamen formosa vitam contemplantem præmonstrat, quæ etsi ergà proximum, fructus exteriores non producit, Deum tamen clarè videt, & conspicit; illa verò lippos oculos habens, vitam agentem indicat, quę licet in exterioribus operibus ergà proximum sit fęcunda, lippis tamē oculis Deum cernit: Neq; ob id agentem vitam negligo aut damno, quippe quæ humanæ saluti non solum vtilis est, at maximè quoq; necessaria, & idcirco à quibuslibet laudanda hominibus, & amplectenda; quam tantæ nobis necessitatis esse existimo, vt nulla ratione vitam contemplantem consequi valeamus, nisi nosipsos in agente primum exercuerimus: Veruntamen illam hac præstantiorem, magisq; necessariam esse, absque vlla dubitatione asseuerandum est, sicuti Dei amor proximi beneuolentiæ, Maria Mathæ, & Lię Rachel pulchritudine, sanctitate, atque meritis quàm longè pręstant, & antecellunt. Inde est, vt cùm Ethnici quoque Philosophi in rerum altissimarum, ac diuinarum contemplatione humanam posuerint fœlicitatem, quæ est ex huius corporis quasi carcere egredi, & Deum mente contemplari, tunc illam certè adipiscimur, cùm mortem meditamur, inquiēte Socrate sapientissimo: *Vera Philosophia mortis est meditatio*, non corporis mortis, sed contemplationis; quemadmodum enim cum mors imminet, animus a corpore separatur, ita in

mentis contemplatione animus ex hoc corporis ergastulo, aliquo modo egreditur, quod est mundo, rebusque mundanis mori, & spiritu viuere, atque hæc est vera philosophia, vt Plato & Aristoteles censuerunt, qui in beatis mentibus ab omni materia, motuque secretis contemplandis humanam fęlicitatem collocarunt: quod et M. Tullius in Tusc. quæstionibus; & Macrobius de Somno Scipionis affirmarunt, vnà cum Socrate existimantes, veram esse philosophiam, omnia terrena contemnere, mundi voluptates negligere, carnis illecebras penitus ęuitare, & contemplatione animum à corpore separare, à qua quidem sententia, (vt ego opinor) nec tantillum Apost. Paul. dissentit, cùm in epist. quam scribit ad Coll. cap. 3. inquit, *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cùm Christo in Deo*: Neque enim de corporis, aut animi morte, D. Paul. ibi loquitur, cùm nec corpore, mortuos, nec animo alloqui possit; non istos, quoniam de ijs subiunxit. *Vita vestra absçondita est cum Christo in Deo.* Quod de illis, qui animo mortui sunt, dici non potest, neque illos etiam qui sunt corpore mortui, alloqui potest Apostolos: quoniam cùm mortuis qui non audiunt, haud verba facienda sunt; quare de mortis contemplatione ipsum loquutum fuisse crediderim ego, qua animus à corpore, solius mentis cogitatione separatur; quandoquidem homines aliquando in eo mentis excessu, extrà se ita commoti conspiciuntur, vt hominis instar mortui, nec ad ipsorum aures clamantem audiant, nec ictibus etiam percutientem sentiant, quod D. Paulo contigisse, cap. 12. post. Epist. ad Cor. scriptæ legimus, quippe qui raptus in tertium cœlum, & sensibus quoquo modo priuatus, nesciebat an in corpore, an extrà corpus raptus fuisset. Et medius fidius in ipso contemplationis actu, ita cùm Deo vnimur, vt ferè mortui simus, etsi viuimus, vt ait Apost. cap. 6. post Epist. quàm ad Cor. scribit: *Quasi mortui, & ecce viuimus*; item Gal. capit. 6. *Viuo ego, iàm non ego, viuit autem in me Christus*, hoc est viuo Deo, iàm non carni viuo, cùm mens Deo vacans viuat, sed non corpus, à quo animus cóntemplatione recedit, vt Christo viuat, & Christus, qui vera animi vita est, viuat in eo. Si igitur vita hæc contemplans adeò excellens est, atque perfecta, vt nos vniat, dicam etiam, vt nos vnum faciat, cum ipso Deo, quid, obsecro, est in caussa, vt huius amore non capiamur? vt huic operam non nauemus? vt hanc non amplectamur? vt ad hanc animum nostrum non extollamus? plura sanè sunt, quibus ad diuinam admonemur, ac propè impellimur contemplationem, primum est vniuersæ creatarum rerum productionis, perpetuæque illarum administrationis consideratio, alterum est tot tantarumque rerum à Deo effectarum ordo & pulchritudo, adhuc diuinæ misericordiæ animaduersio, quæ scelera hominum protinus non castigat, sed vt horum illos pœniteat

niteat summa expectat tolerantia, & demum humanæ naturæ ad hypostaticam verbi Dei vnionem, assumptionis admirabilis cogitatio, vt nos à dæmonis seruitute liberatos hic in terris primùm iustificaret, mox verò in cœlesti Paradiso gloriosos efficeret, & beatos; hæc autem sub paucis verbis ita explico, infinita Dei potentia, summa ipsius sapientia, maxima misericordia, & immensus amor, sunt illa quatuor, quibus ad diuinam inflammamur contemplationem, quæ quatuor præcipuis ipsius Dei operibus respondent. Proh Deus Opt. Max. si tàm varia creatarum rerum genera, quæ sunt in cœlo, & quæ in terris, contemplemur, nonnè Dei infinitam potentiam dignoscimus, qua vniuersa ex nihilo prorsus cùm sibi placuit in temporis exordio produxit? Præterea si mirum ordinem, quo cuncta suis debitis locis distribuit, & pulchritudinem, quam ipsis largitus est Deus, consideremus, nonnè summam ipsius Dei sapientiam cernimus, quâ omnia in numero, pondere, & mensura creauit? Amplius si quot vicibus Deus scelera nobis dimittit animaduertamus (neque enim septem, aut centum, aut mille vicibus parcit, at semper cùm nos ipsi voluerimus) nonnè maximam eius misericordiam detegimus, qua nos populum eius, & oues pascuæ eius semper est prosequutus, quotidieque prosequitur? Si demum mirabilem, imò verò ineffabilem humanæ naturæ ad hypostaticam vnionem, cùm diuini verbi natura assumptionem animo perpendamus, nonnè immensum ipsius Dei amorem, ergà genus humanum intelligimus, quo Deus ipse homo fieri voluit, vt homo fieret Deus? Res mehercule ita se habet, vt horum quatuor Dei operum consideratione ad diuinam contemplationem, maximè excitemur, ad quam etiam (vt alij volunt) non parum homo inflammatur, ex suiipsius, mundi inferioris, extremi iudicij, tartarei loci, Paradisique meditatione; suiipsius nimirũ, cogitando quàm vilis sit in ingressu, quàm miser in congressu, & quam flebilis in egressu; Rursus mundi huius inferioris (si animo cogitet quàm plenus sit vanitatibus, quàm varius & inconstans, & quantis homo in illo subiectus sit miserijs; Adhùc extremi iudicij, si consideretur ipsius horror, iudicis ira, & impiorum hominum nullo pacto euitanda ruina; Amplius tartarei loci, si animaduertat homo eius turpitudinem, asperam dæmonum societatem, & ignem illum æternum, quo scelesti hoĩes in oẽ æuum cruciantur; Demum cœlestis Paradisi, si contempletur quàm pulcher sit, & decorus, quàm suauis, cunctisque referetur delicijs, in quo Sancti exultant, & omni cùm iucunditate lætantur. Verumtamen quatuor illum conditiones habere necessum est, qui perfectam contemplationem mentisque in Deum eleuationem consequi cupit, quas omnes Sanctus Dei Propheta Trenorum, cap. 3. his paucis verbis expressit: *Sedebit solitarius*

tarius, tacebit, & eleuabit se suprà se; Etenim qui vacare debet contemplationi, in primis sedere habet, hoc est à mundi perturbationibus quietus manere, mox solitarium illum esse oportet, quod est ab hominibus, humanisque curis separari: Necnon tacere decet contemplantem, nempè animi tranquillitatem consequutum à tumultu diuersarum uirium, quæ sunt in sensibus, liberari; Et tandem seipsum supra se eleuare debet, quod quidem efficit, si animum in spiritum, spiritum in mentem, & mentem in Deum eleuet, erigat, & extollat; Hæ verò quatuor mentis perfectè contemplantis conditiones præcipuę, in sponsa nostra mirum in modum elucent, quippe quæ, & sub sponsi Christi vmbra sedet solitaria, & in eius sinu quiescens tacet, in ipsummet Deum tota mente elata, à cuius diuinæ contemplationis, quasi cuiusdam mystici somni, dulcedine, qua sponsa fruebatur, ipsam perturbari, sponsus Christus extimescens, adiurat filias Hierusalem, nè sponsam Ecclesiam excitent, aut euigilare faciant, donec ipsa velit. Ad hanc igitur diuinæ contéplationis perfectioné, si vos quoq; auditores, cóscédere desideratis, has quatuor potissimum conditiones vos habere, omni cura satagite; & primum ab hominum conuenticulis, humanarumq; rerum solicitudinibus longè estote, mox sensuum perturbationibus pacatis quieti, sedete; adhùc à vanarum cogitationum mentem peruertentium strepitu alieni, silete; & demum suprà vosipsos vos eleuatè, vt ita elati, Deum Opt. Max. & quæ Dei sunt, mente contemplemini; ita namq; vita cótemplante viuetis, qua nihil est præstantius, nihil amabilius, nihilq; vtilius, quippe quæ super semetipsum animum rapit, cęlestia appetit, diuina mysteria mentis oculis patefacit, & nos vnum facit cùm ipso Deo: Atque de vitæ contemplantis excellentia, horumq; verborum explicatione, quæ sunt secundi Cantici Canticorum finis, hæc hactenus dicta sint.

Hanc in secundum Canticum Canticorum Salomonis R. P. M. Prosperi Rossetti Seruitæ, in Gymnasio Pisano Metaphy. & sacræ Scripturæ publici Lectoris expositionem, nihil quod Sanctæ Rom. Eccl. Fidei Catholicæ, et bonis moribus contrarium sit continentem, immò multum vtilitatis sacrarum literarum studiosis afferentem Typis excudendam censeo.

Ita attestor Frater Iacobus Thauanthius Seruita Sacræ Theologiæ in eodem Gymnasio Pisano publicus Lector.

FINIS.

AVCTORVM ET CONCILIORVM NOMINA, QVAE CITANTVR IN HOC OPERE.

A


Lbertus Magnus
Alexander Alensis
Alexander Aphrodisiensis
Alphonsus de Castro
Alphonsus Augustiniensis
Alphonsus Astronomus
Albumasar
Ambrosius
Ambrosius Catharinus
Ammonius
Anselmus Cantuariensis
Antonius Flor.
Arnobius
Anacletus Papa
Anacharsis Scytha
Anaxarchus
Aristophanes
Aretha Cesariensis
Aristoteles
Auerroes
Athanasius
Augustinus
Augustinus Suessanus.

B

Basilius Magnus
Beda Venerabilis
Bernardus
Bonauentura
Boetius
B. Maximus

C

Cassiodorus
Caietanus
Cabalistici
Cato
Catullus
Chrysippus
Chrisostomus Iauel.
Clemens Alexandrinus
Clemens Papa
Cyprianus
Cyrillus Alexandrinus
Cyrillus Hierosolymitanus
Cornelius Papa
Cosmas Dam.

D

Damasus Papa
Dantes Flo.
Dydimus Alexandrinus
Diogenes Laertius
Diogenes Cynicus
Diomedes Grammaticus
Dionysius Areopagita

Diony-

Marsi-

M

Marsilius Ficinus
Macrobius
Martianus Capella
Melchiades Papa
Menander
Mercurius Trismegistus
M. Tullius.

N

Neilus
Nicolaus Papa
Nicolaus Cusanus
Nicolaus Lyranus
Nicolaus Sanderus
Nicephorus.

O

Origenes
Orpheus Poeta
Ouidius Naso.

P

Parmenides Pythagoricus
Pausanias
Petrus Chrysologus
Petrus Lombardus
Philo Hebraus
Philaster Brixiensis
Philo Lacedæmonius
Plautus
Plinius
Plotinus
Porphyrius
Pindarus.
Proculus Platonicus
Prosper Aquitanicus
Propertius Poeta
Psellus
Plutarchus
Plato
Pythagoras
Pius Papa
Procus Constantinopolitanus.

R

Rabanus
R. Selomon
R. Elias
R. Dauid Kimhi
R. Selomon Iarhius
R. Innominatus
Rupertus Abbas.

S

Sacerdotes Aegyptij
Salustius
Scotus
Scæuola
Socrates
Speusippus Platonicus
Sotherus Papa
Syricius Papa.

T

Thales Milesius
Theodoretus
Theophilactius
Thucidydes
Tertullianus
Terentius
Tibullus.

Titus

CONCILIA.

FINIS.



INDEX VARIORVM CONCEPTVVM, QVI IN HOC OPERE Commentariorum IN CANTICA CANTICORVM CONTINENTVR.



De amo-

INDEX AVCTORITATVM, quæ in his Commentarijs explicantur.

INDEX HAERESVM,

& errorum, qui in his lectionibus conuincuntur.

Finis Commentariorum Cantici Canticorum.

